



ARCANORUM

STATUS

LIBER III.

DE ARCANIS POLIARCHICIS

SIVE DE

IMPERIO

OPTIMATUM, ET POPULI.

CAPUT PRIMUM.

Status Divisio in suas partes.

I.



Status omnis Politicus, cætu est hominum sub una potestate viventium. Sive ut Stagyrita philosophus dixit: Ordo obsequentium, & imperantium. Corpus, alij volunt, ex multis membris sub uno capite in unum coalescens: cujus anima est rectam



justumque regimen, ad quod præcipuè referuntur ipsa arcana appropriata regimini; unde conflatur ratio & utilitas Reipublicæ, quæ politius dicitur Ratio statûs. Hâc veluti animâ vivente animatur, continetur, conservatur, augetur omnis Reipublicæ forma, aut species. Status quidem unum nomen est, sed modi imperandi plures. Nam pro qualitate regiminis, aut unus imperat, aut plures, aut universi. Cunctas siquidem nationes, & urbes populus, aut Primores, aut singuli regunt.

Tacito
I. Añal.

2 Tres itaque simplices statûs politici formæ sunt. Regia, Aristocratica, & Democratica.

3 In statu Regio unus imperat, cæteri omnes obtemperant, & multitudinem ad naturalem reducit unitatem.

4 Reliqui status pluralitatem habent imperantium, & ideo græco vocabulo Poliarchici dicuntur. Poliarchia autem eatenûs est laudabilis, quatenûs in se exprimit similitudinem & repræsentationem Regiæ potestatis: reducendo videlicet omnia ad justam unitatem, quæ firmentum est statûs. Nam etiam in Poliarchiâ, quantumlibet multi, vel omnes imperant, unum tamen imperium, unus status, & una multorum capitum mens esse debet.

5 Porro omnis Poliarchia, est vel Aristocratica, vel Democratica. In Aristocraticâ imperium est penes paucos, eosque Optimates. In Democratica apud universos.

6 Quælibet harum sua habet opposita, vel potius agnata vitia. Ferrum quippe rubigo; & lignum exedunt vermes; aded, etsi cuncta externa nocumenta superentur, ab istis tamen, quæ vel tractû temporis, vel ipsâ fatalitate rerum adnascuntur, absumi necesse est. Ita cuilibet Reipublicæ, vel statui politico pro natura ipsius quædam adnascitur, & adhæret peculiaris malitia: utpote Regno Tyrannis, Aristocratix Oligarchia: Democratix Ochlocratia,

S. Th.
lib. 6.
Polit.

7 Unde rursus eruo tres statûs vitiosi, & declinantis species: nempe Tyrannidem sive Despoticum unius imperium absque lege, pro libidine: leo rugiens, & ursus esuriens, est princeps impius super populum.

Arist.
lib. 3.
Polit.

8 Oligarchiam: ubi summa potestate abutuntur pauci, in universorum perniciem. Cùm impij sumpserint Principatum, gemet Populus.

Prov.

9 Ochlocratiam, ubi citra jus, & rectum per turbas furit populus, & seditione magis, quàm officio occupat statum. Provideat do-

ARCANORUM STATUS

4
Deut. 3. minus, ne sit populus, sicut oves sine rectore.
Sed specialius infra de his.

10 Attamen præfatæ statûs formæ miscentur sæpenumerò invicem, & adhæret Monarchiæ quidpiam de Aristocratiâ, & rursus huic de Democratiâ. Quandoquè planè una componitur ex omnibus tribus. Aded, ut quadruplicem rursus Imperij mixti statum quidam asserebant, temperatum nempe ex tribus, vel duabus.

Primus constare posset ex omnibus tribus; secundus ex Monarchia, & Aristocratiâ. Tertius ex Monarchia, & Democratiâ. Quartus ex Aristocratiâ, & Democratiâ.

Commisceri ejusmodi status indubitatae experientiae est. Expende status universos: rarè invenies totam libertatem, vel omnimodam subjectionem. Pars magna unius cum paucis, vel paucorum cum omnibus temperem amat. Ita olim Gallia, nunc Anglia, & Polonia, & ferme ipsum sacrum Imperium.

11 Nec refragatur ratio: imò suadet id aliquando Reipublicæ finis. Sicuti enim populi inter se moribus, linguis, inclinationibus, genio, & naturâ toto cælo distincti sunt: ita regiminè,

gimine, imperio, legibus, & ratione statûs non eâdem omnes; sed alij aliâ opus habent; adde, ut præfatam mixturam in Europæ nostræ partibus passim videre sit.

Licet Majestas per se summa, ubi fuerit Principi ab initio communicata, sit incoînunicabilis in recto suo respectu: tamen nihil obstat, quin salvâ Majestate personali in electione Principis Populus, aut Primores sibi quædam regalia, & jura Majestatis reservare, vel modificare queant, maximè in Regnis, & Imperijs electivis. Hinc odiosa illa nomina audimus capitulationum, reversalium &c. In quæ maximi etiam Principes jurant. Hac ratione miscebitur Populare Regio Imperio, & sic de alijs &c. ut jure dicam cum Lipsio.

12 Quid quid in orbe imperat, scrutêre: nulum hominum cætum reperies sinè aliqua prædictarum formarum, nec aliam præter istas. Miscentur inter se, fateor, & remittuntur, aut intenduntur: sed sic ut præponderet semper aliqua pars, à quâ jure ei nomen,

Quemadmodum in corpore humano dissident primæ, & elementares qualitates, sed una semper prædominatur earum, à quâ Phisiogno-

6 *ARCANORUM STATUS*

mitale corpus pronuciant vel sanguineum, vel cholericum, vel melancholicum, vel phlegmaticum. Ita Reipublicæ cujusvis corpus licet populari, Regio, vel Aristocratico misceatur regimine; nihilominus à prædominante ratione statûs nomen suum fortietur; prout nimirum plus ab unâ vel aliâ specie accepit, & præponderantem habet potestatem.

13. Exemplo res pateat: Sacrum Romanum Imperium, licet multum de Aristocratico habeat, Monarchicum tamen à primis politicis habetur; contradicente quidem Bodino Germaniæ rerum osore. Sed quærat se ille in Gallia, quæ minus Monarchica olim fuit, quam nunc est Germania. Polonia item, & Anglia regna sunt, Regesque alit; jura tamen Majestatis potius pendunt à Primoribus Regni.

14 Veneta Respublica omnes formas statûs complectitur. In duce Regiam: in Procuratoribus, Savijs, Decem viris &c. Aristocratiam: in Consilio magno Nobilium Democratiam.

Et tamen à præponderante formâ Aristocratia, five paucorum imperium dicitur. Ita ferme Genua, & aliæ majores Respublicæ. Helvetia miscetur Optimatum, & populari statû, denomi-

nominatur ea tamen à posteriori. Et Romana ipsa respublica nunquam ita post profligatos Reges exactè pura fuit, ut mixti elementum passa non fuisset.

15 Apud Spartanos Lycurgus ita leges attemperavit, ut Regibus sua dignitas, Optimatibus sua potentia, & Populo condigna libertas conservaretur. Lacedemonij Regibus potestatem bellorum, Magistratibus judicia, & annuas successiones, Senatui custodiam legum, Populo deligendi senatûs curam permiserunt. Mach. lib. 1.


16 Impugnat Lycurgæum hunc statum Aristoteles: ego cautelam verissimam appono: misceri quandoque status utiliter, sed miscendo corrumpi etiam posse. Lib. 4. Polit. c. 9.

Cum enim leges Monarchicæ, & Poliarthicæ sibi planè oppositæ sint; si misceantur; se ipsas quasi expungunt, & destruunt. Sicque statum aut planè corrumpunt, aut saltem mutant. Omnis mixtura corruptioni proximior est.

Idcirco prævalere debet præcellentia unius Regiminis; quia ipsa natura non patitur tantam æqualitatem temperamenti in corpore humano, quin unum ex quatuor semper præmineat.

Dabimus

Dabimus prædominanti arcana pura, quæ quivis miscere poterit mutuando ab alijs: Dicemus Aristocratias, Democratias puras, licet fortè mixtæ sint; quia ejusmodi Rebus publicis dare præcepta, & arcana mixta vix possibile est: nullus ea primi, nullus postremi ævi scribere tentavit.



CAPUT II.

De Statu Populari in specie.

I. **D**emocratia, latinè Principatus Populi, ea est statûs forma, quæ rempublicam per suos populares, ex recti, atque justî normâ administrat.

Id verò contingit dupliciter: primò: cùm quisque singillatim ex populo Jus suffragij habet, quoad Jura Majestatis. Sic Athenienses post acceptam cladem ad Oropum, quinque millibus Civium Jus suffragij decreverant.

2. Pisander Alcibiadis exulis svasû, Antiphone, & Theramene adjutoribus, Auctor fuit promulgandæ legis de Populâri statu in hunc modum. Quinque Civitatis Præsides lecti, qui

centum

centum legerent, quorum singulis ternos sibi legere permissum erat: atque ita quadringenti, veteri Senatû abolito, Curiam ingressi de summâ rei consultare cœperunt. In horum potestate erat aliquot millia Civium ad discussionem rei vocare: nam circa bella indicenda, & alia majora Jura statûs collectitius ille Senatus nihil statuebat, nisi juxta suffragia Populi.

3. Hæc statûs Popularis species periculi ferme ingentis plena est: sæpè numero enim improvisi casus pulsan't Rempublicam, ut omnes in consultationem vocare, aut impossibile, aut perquàm arduum esse videatur.

Sæpissimè etiam ex arcano consilium sumendum: unus verò aliquis contra Rempublicam emi potest, qui consilia revelet, aut evertat, aut certè impediât.

4. In Romanâ Republicâ unus Curio Tribunus à Cæsare corruptus, Pompeianam partem deferens, Reipublicæ & libertati Populari finem dedit. Aded intutum est arcana Statûs cuique, vel unî tantùm ex multitudine comittere.

Gravissimum hujus in Romanâ Republica exemplum! ibi aliquando Popu-^{Berneq}
in Ta-
lus cit.

lus semoto Senatu Tribunitiam potestatem invexit, & huic omne Imperium in Divinis & profanis delegavit; sed temerario, & planè Plebeio ausu potius, quàm consilio.

Nam ex tunc Romana Respublica declinare, concidere, non tam cœperat, quàm ineluctabili amplius casu prolapsa fuit.

lib. 34. Dionem Contestor: Seditioinum, omniũ causas excitavit Tribunitia Potestas.

Posteaquam enim plebem ex secundis rebus insolentia ceperat, præsertim inde à Gracchianis temporibus; alius novas tabulas moliri, alius divisiones agrorum agitare, alius cufque potentium libidini suum, Populique decus gratificari cœpère. Modò Senatum criminando plebem exagitabant: modò largiendo, atque pollicitando magis accendebant: modò omnia turbabant: ut Jure asseverem, exinde omnem Reipublicæ ordinem, atque statum pessumdatum fuisse.

5. Nullum unquam fretum, nullus Euripus tot motus, tantas, tàmque varias habet agitationes fluctuum; quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio Comitiorum, ubi omnibus est liberum loqui, & statuere.

Pauci

Pauci delectu, omnes ferme impetu, & temeritate aguntur. Variant, mutant sententias, cunctantur. Dies intermissus unus, aut nox interposita confundit omnia, & totam consultationem invertit parva aura rumoris. Jam audacter, temerèque insistent libertati suorū suffragiorum, exostulando, minando. Jam pecorum ritu antecedentium gregem, alius alium quasi prudentiorem sequuntur. Nemo deinde præ privatis rebus decus publicum respicit, & appreciat.

6. Exinde prudentiores Politici hanc primam Democratix speciem rejiciunt, in qua Jus Imperij, & suffragij est penes omnes singillatim: ob periculum videlicet, cui subicitur degenerandi in Ochlocratiam, vitiosam illam alteratæ Democratix speciem: ubi plebis multitudo quæcunque libet, vel præsumit; vel sine respectu justi, & recti potestatem faciendi habet.

7. Quis in vulgo quæret consilium, rationē, discrimen, concordiam? Audaciam potius invenies, temeritatem, altercationem, occasionum neglectum, turpem utilitatem, tandem pusillanimitatem, & desperationem: Semperque sapientes ea, quæ populus fecisset, ferenda; rarò laudanda duxerunt. B 2 Se-

8. Secunda Democratix species fermè in hoc consistit, quando totus Populus aliquibus ex multitudine Regimen statûs committit, reservatis interea sibi majoribus Juribus Majestatis, ut sunt: belli indicendi, statuendæ pacis, fœderum, legum &c.

9. Ita in Romana Republica summa quidem erat autoritas in Patribus conscriptis: sed vis multò præcellentior in Populo: unde non rarò in urbe secessio fuit, sempérque nobilitatis opes, vires, & potestas diminuta; populi autem jus, & libertas ampliata.

Curiale hoc bellum, quamdiu citra seditionem, & privatos fines gerebatur, æqualitatem fovebat inter civēs: arrogantiam, fastumque demebat Patribus: Populo libertatem conservabat, & communem pacem tribuebat universis.

10. Et hoc fundamentum est Popularis Statûs, ut Jura sibi salva maneant Majestatis: ea præsertim, quæ populum erigunt, vel ubi publici alea controversi possent.

Expulsis Tarquinijs sive Regio Statu, ad Consules devenit summa Imperij Romani: sed eâ ratione, ut Consules eligeret Populus, &
à Con-

à Consulibus appellaretur ad Populum, & Consules ferre non possent capitalem in cives sententiam, nisi interventu totius Populi.

11. Hæc altera Democratia species etiam suum scopulum habet, si paucis valde ex populo Imperium committat; quemadmodum olim post ejectos Reges Romanus Populus Tribunis plebis illimitatam quasi deferebat potestatem.

Hanc ipsam idè procabatur Cæsar Augustus Tribunitiam dignitatem, ut Jura Populi, Populari Magistratu defendere visus tantò securiùs, & faciliùs Regium inveheret Imperium. Quod etiam factum est, ut ex Tribuno plebis evaserit Monarcha Urbis, & Orbis. De quo infra.

12. Temperamentum subjungo: Democratia non solum debilitatur recedendo à multis, & conferendo paucis omnia: sed progrediendo etiam ad multos & laxando potestatis delegatæ habenas nimium. Adèd, ut in statu populari vel omnes admittere, vel valdè paucos legere æquè periculosum sit, ac omnem auferre, vel concedere potestatem. Media periculis ferè non obnoxia.



CAPUT III.

Status Popularis in Republica Helvetiorum exprimitur.

1. **H**elvetiorum plures sunt populi, & urbes paucae; una nihilominus est Civitas, una Respublica, unum est totius gentis Consilium, ac communi Imperio suas regit ditiones.

De pace & bello omnes simul statuunt, & praeterea leges, & consuetudines ferè easdem habent, ac pactis perpetuis ita invicem colligati sunt; ut licet quandoque inter se se diffideant, quo ad conservationem tamen totius Reipublicae, & communis libertatis, jam in tertium & amplius usque saeculum, in avita sua libertate constanter unanimes perseverant, facti interea formidabiles toti Europae.

2. Ita olim Athenienses, quorum in Graecia celeberrima fuit Democratia, ex compluribus populis, & oppidis, Thesei operam non tantum in unam Rempublicam, sed in unam quasi Civitatem coaluerunt: ita ut multae urbes, una Civi-

Civitas; & multi diversique populi, una Republica diceretur.

Porro fundamentum Helvetiorum Democraticæ Republicæ consistit totum in unione invicem arctissimè inita, ac publico instrumento obfirmatâ, quod hic adnecto. In nomine domini, Amen. Quum hominum memoria valde sit debilis, & rerum successus, qui perpetuâ memoriâ conservari debebant, oblivioni facilè tradantur: utile sanè & necessarium est, ut res, quæ ad pacem, quietem, utilitatem, & honorem spectant, scriptis & instrumentis publicis sive diplomatis consignentur. Quare nos Sympatriotæ: Uri, Suitij, & Undervaldi, notum facimus omnibus præsentem hanc scripturam lecturis, aut legi audituris, quod ad occurrendum temporis difficultatibus, pacem, quietem, & concordiam inter nos conservandam, & vitam, ac bona nostra tantò meliùs tuenda communi consensu fœdus fecerimus, idque fide stabili, & perpetuo juramento firmaverimus, ac promiserimus, nos consilij invicem adjuturos, & personas nostras, & fortunas impensuros tam extra, quàm intra patriam contra omnes illos, qui vel per-

sonis

fonis nostris, vel fortunis vim inferre, aut quidquam, quod in damnum cujuscunque nostrum redundare possit, tentare conati fuerint. Contra hos tales promittimus nos vim passis auxilia pro viribus præstituros, & injuriarum auctores, vel vi, vel ratione ad satisfactionem coacturos.

Secundò conclusum inter nos est & stabilitum, ne cuiquam nostrum Cantonum sive pagorum, multò verò minùs cuiquam privato liceat dominatum occupare, aut dominum recipere, sine aliorum consilio, & consensu, sed potius, ut omnes utriusque sexus, in debitis & honestis rebus, veris suis dominis obedientiam præsentent, ijs tamen exceptis, qui ferro patriam invadere, aut injustum aliquid imperare præsumpserint, quibus, quàm diu à nostris dissidebunt, nullum omnino obsequium & servitium est præstandum.

Tertiò, conclusum item & stabilitum, ne quisquam nostrum pagorum aut confœderatorum extraneum quemcunque, sine consilio & consensu reliquorum pagorum & confœderatorum, auxilio invet.

Quartò conclusum item & stabilitum, ne quis confœderatorum, cum extraneo quoquam sine reliquorum confœderatorum assensu in ullam tractationem descendat.

Quintò, si quis fortè aliquem dictorum pagorum civem prodiderit, aut in aliorum manus tradiderit, aut quidquam horum supra & infra scriptorum non observârit, illum pro turpi proditore & nullius fidei homine haberi, pagorum Magistratibus tradi, & bona ejus publicari jubemus.

Sextò, conclusum item est, ne quis uspiam toleretur Judex seu iuri dicundo præfectus, qui vel pecuniâ, vel alio illegitimo modo munus illud sibi acquisierit, aut qui non sit Sympatriota.

Septimò, si inter confœderatos dissidium, aut etiam bellum existat, eorum est, qui meliores ac prudentiores habentur, sese interponere, & discordiam, turbas, aut bellum modis omnibus tollere & sopire: contradicentem verò, sive æquas fuscipere condiciones recusantem, ipsius contradicentis sumptibus ac damno ad officium communi auxilio revocare.

Octavò, si item inter pagos ipsos discordia aut bellum ortum fuerit, & unus eorum æquis rationibus acquiescere nolit, reliqui pagi cæteris contra hunc contumacem & inobedientem, & quidem hujus ipsius sumptibus & damno, succurrere teneantur.

Nondò, si confœderatorum quis alterum occidat (nisi defendendi sui causâ coactum id se fecisse probârit) & fugâ sibi consulat: tum is, qui talem hospitio susceperit, aut defende- rit, itidem pro bandito, sive proscripto habeatur, nec in patriam reverti ei liceat, nisi communi pagorum consensu admissus fuerit & absolutus.

Decimò, si fortè confœderatorum quis alterius domum incenderit, & aufugiat, ei nulla unquam in patriam revertendi concedatur venia: qui verò talem hospitio susceperit, aut auxilio iuverit, damnum passò id resarcire teneatur.

Undecimò, Nemo confœderatorum de altero pignus aliquod capiat, aut auferat, nisi securitatis causâ, neque id sine suo facere possit iudice.

Duodecimò, omnes & singuli suo quisque

que Judici sive præfecto obedientiam præstare, coram eo comparere, & causam dicere teneantur.

Decimotertiò, si quis Judici sese opposuerit, aut ei obedire recusârit, vel suâ obedientiâ cuiquam confœderatorum damnum causatus fuerit, reliquorum confœderatorum est talem ad officium reducere, & ad satisfaciendum ei, qui damnum passus est, cogere.

Decimo quartò, ut fœdus hoc & capitulatio, & omnia supra scripta & comprehensa in perpetuum firma sint, & suum vigorem retineat, nos Sympatriotæ & concives, Uri nempe, Suitij, & Undervaldi, sigilla nostra præsentibus litteris appendimus. Præscriptæ sunt in Uren Anno MCCCXXV. Calend. Martij postridie S. Nicolai & c.

3. Hic porrò tam vastus Heluetici populi status tribus hodie partibus præcipuè constat.

Primò tredecim Populis, quos non nulli Pagos, alij Cantones vocant, perpetuo fœdere in unam Democratiam, sive Popularis Reipublicæ corpus conjunctis. Tigurum, Berna, Lucerna, Uria, Svitia, Untervaldia, Tugium, Glarona, Basilea, Friburgum, Solodu-

rum, Schafhusium, & Abbatiscella. Hi populi speciale hoc Jus præ cæteris meruerunt, quod de omnibus ad Helvetiorum Rempublicam spectantibus in publicis conventibus soli deliberant, & suffragia ferunt omnium totius corporis commodorum, incommodorumque participes.

4. Accedunt his (quos sibi indissolubili fœdere junxit Helvetia velut Socios, qui vè participant de Democratico hoc regimine) Abbas, & oppidum S. Galli, Rhætorum populi, Episcopus Sedunensis, & totum quod à præfato Episcopo ut Comite & præfecto Vallesia cum potestate tam civili quàm Ecclesiasticâ obtinetur, Vallesianorum territorium in septem conventus, sive Decurias divisum.

5. Præfecturæ sunt tertia pars Helvetiæ. Hæ vel sponte accesserunt, vel bello acquisitæ. Turgovia Anno 1360. in potestatem Helvetiorum redacta, cui septem vetustiores pagi imperant. Aquensis sive Badensis subjugata Anno 1415. illique præfunt novem primi pagi. Rhegusci multò post acquisiti, à tredecim pagis reguntur. Sarunetum à Comite Georgio Verdembergensi primis pagis VII. venditum, à quibus
etiam

etiam regitur. Liberas quoque Provincias Anno MCDXV. captas regunt iidem. Lugana, Locarnum, Mendresium, vallis Madia; præfecturæ nimirum quatuor, dono Maximiliani Sfortiæ Ducis Infubriæ Anno M.DXIII. Helvetijs datæ, ab omnibus pagis gubernantur; præter Abbatiscellam & Bellizonam, quæ trium tantum primorum pagorum agnoscunt imperium.

6. Totum hoc Populare corpus conficitur partim urbibus, five pagis; partim populis, five nationibus.

Inter Urbes refero: Tigurum, Bernam, Lucernam, Tugium, Basileam, Friburgum, Solodurum, Schafhusium, S. Galli oppidum, Curiam Rhætorum, Sedunum Vallesianorum, Rottewillam, Milhusium, Bippenas.

Populi autem sunt reliqui, qui per longos & amplos districtus jacent, & vicatim habitant.

7. Et mirum hoc est, quod partes five membra plurima hujus maximæ Reipublicæ, magis in extero, quàm domestico solo situata, communi tamen Helvetiorum jure vivant.

Sic ex tredecim Helvetiæ pagis Basilea, Friburgum, & Schafhusium Germanorum est; Glarona ad Rhætos spectat.

Ex

Ex Socijs, præter oppidum S. Galli, atque Bippenes, omnes extra limites antiquæ Helvetiæ Situuntur.

Ex præfecturis ad Rhætiam pertinent Rhegufci, & Sarunetes; & ad Italiam Luganenfes, Locarnenfes, Mendrifij, & Madiæ valis accolæ.

8. Præfati populi, quibus hoc populare Imperium constat, fuis quidem quique moribus, & peculiaribus statutis reguntur ex gentis fuæ confuetudine, locorumque neceffitate; eatenus tamen, ut communis totius Helvetici Imperij confilio, legibus item & decretis publicis omnes teneantur.

In illis territorijs, ubi nullæ funt Urbes, & oppida, uti funt Uranij, Suitij, Unterwaldi, Glaronenfes, & Abbatifcellani, merè Democratico Regimine utuntur, ubi omnia fermè totius populi confilio domi adminiftrant: quod idem apud Tugios, licet hi oppidum habeant, obfervatur.

Alia Territoria, quæ Urbes & oppida habent, videntur quidem à primoribus regi, habent enim fuos Magiftratus: fed cum potestas fuma penes Populum fit, à quo non fo-
lum

lūm Magistratus eliguntur, sed etiam intra certos limites, & reservatis Populo regalibus investiantur; nil nisi Populare regimen dicendum.

Cæterū non ego hīc disputo de particulari cujusque pagi, vel populi regimine, sed de universo corpore Helvetiæ, quod reverà aliō non, quàm integerrimæ Democratix nomine insigniri potest.

Etenim legatos omnes, qui ad publicum conventum, ubi de summâ universæ Reipublicæ agitur, destinantur, eligit tantū Populus per libera suffragia; neque illis concedit in materiâ statūs liberam, nisi ex præscripto Populi statuendi, aut concludendi potestatem; aliquando etiam referendi tantū licentiam, ut deinceps popularibus suffragijs domi res ventilentur, & discernantur.

Hinc in magno illo Senatu, ubi conveniunt ablegati 13. Pagorum, communi omnium fœderatorum nomine sanciantur leges, firman-
tur fœdera, deliberatur de bello, & pace, & de negotijs illis, quæ universum statum Helvetiæ concernunt. Ablegati verò, licet plures ex uno loco mittantur; uno tamen, &
solo

solo suffragio, nomine Populi sui gaudent.

9. Nobilitatis alia ratio hîc non habetur, nisi populariter vivant. Habuerunt quondam Basileæ magnam prærogativam Nobiles, sed tractu temporis planè exclusi à Magistratibus degunt in urbe, ut privati.

Omnis Populus in Tribus suas est divisus; & ex Tribus omnes, qui publicis consilijs interfunt, pari numero è singulis deliguntur.

10. Sunt tamen præcipuæ authoritatis duo publica consilia in urbibus singulis. Majus; quando plures nomine totius plebis conveniunt: & id plerumque in gravioribus tantùm negotijs, ubi de Juribus Maiestatis agitur. Minus, privatorum controversias quotidie cognoscit. Uterque temporaneus est, suffragia dantur viritim, in quibusdam locis apertè, in alijs occultè. Omnia denique Popularem libertatem sapiunt.

En tibi igitur Politice in Laconicâ epitome expressam Helvetiam, præcipuè montanam; quæ inviolata adhuc Soboles est Democratix, & primo lacte vivit popularis Imperij, duratura in longum, & felix ævum, nisi à primâ puritate deflexerit.

CAPUT IV.

*Authoritas, & Reputatio Statûs
Popularis.*

I. **A**uthoritatem definitio, eminentiam illam, quæ ob eximias causas tam domesticorum, quàm externorum animis imprimat opinionem reverentem de statu populari: quæ sanè necessaria est ad res agendas.

Tacitus verò dixit: magna motæ rei fama plurimum in consilijs valet. Bona opinio hominum tutior est thesauro. Amplius dico: Authoritas Republicæ, quæ in existimatione publica consistit hominum, ipsis Regnis, & Imperijs potior est.

Annal.
lib. 4.

Seneca
de moribus.

Ejusmodi opinionem olim universus ferme Mundus de Romana Republica habuit. Nam ipsi Reges tam vicini, quàm remotissimarum gentium, non solum ambiebant Cives fieri Romani, sed libertati supremæ ducebant, Senatui, Populoque Romano sociari.

Omnis profectò historia testatur: ingentes nationes, amplissima Imperia, Regna ferme

mè omnia, & orbem propè univèrsùm aliquando adorasse Romam.

Fama, & existimatio semel obtenta, sive bona sive mala, semper adhærebit magna: præsertim verò, si ex Plutarchi consilio illustria facta, veluti nova fomenta conceptæ famæ adjiciantur.

2. Et eget, me Castor! fomentis authoritas Popularis, invisâ aliàs Regibus, intoleranda Nobilibus, & Plebi ipsi periculosa.

Inter illa primum, eximiùmque ajo: si Status Popularis omnia jura Majestatis, quæ alij dicunt Regalia Imperij, & Principum, penes Populum tantùm recondat, non penes Magistratum, vel alios paucos. Et in hoc fons est, & scaturigo totius Popularis authoritatis: inde cætera emanant omnia. Rectè dicuntur Regalia, & reservata Principum: quia reverà ad illum solum pertinent, qui principatum tenet: qualis est Populus ipse in statu Democratico: Majestas integra non nisi uni soli Populo competit, illiúsque Jura, si demittantur ad aliquos vel multos, nihil inter hos, & imperantem Populum intererit: quia Jus Majestatis continet omnia illa, quibus essentialiter

differt

differt Majestas à servitute, potestas à subjectione, & Imperans à subdito. Videri, eminerere, prævalere debet semper Popularis auctoritas, communicata licet quibusdam.

3. Alterum inter fomenta est, ut Magistratus à solo Populo liberè creentur, constituantur, abrogentur, mutantur, judicentur. Hoc pacto evadet Respublica periculum, quod à viris potentioribus, in Magistratu constitutis, metuisse potest. Erunt datori Populo supplices, qui tollere potest, quem dedit honorem. Est ingenua hominibus erga collatores suos veneratio, & à Judice semper metus.

4. Expediens quoquè est, limitare quandòque Magistratum potestatem, ne illà abutantur in licentiam. Idèd olim Romæ à sententiâ Magistratûs fiebat provocatio externa ad Populum, qui solus judicabat de capite Civis Romani.

Plutarchi hæc narratio est: Civis Romanus, cum vel capite plecti, vel virgis cædi, vel extra provinciam relegari merebatur, palam potuit à suo Magistratu ad Populi judicium provocare: nec intereà Magistratui competeat ullo modo, in eum animadvertere, donec Populus centuriatis comitijs de eo suffragia tulerit, &

statuerit. Vox illa *civis Romanus sum*, multis salutem dedit, & plurimos exitio subtraxit.

Hoc argumento Cotta Ciceronis exilium refellebat: nihil de eo actum inquit Jure, nihil more Majorum, nihil legibus. Non potuisse quemquam de Civitate tolli sine judicio, nisi in Populi comitijs: vim fuisse illam, flammamque quassatæ Reipublicæ, perturbatorumque temporum.

5. Tertium fomentum Popularis Authoritatis est; si de bello, pace, inducijs, & fœderibus Populus respondeat, & statuat. Ordo enim ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc exposcit, ut suscipiendi belli authoritas, atque consilium in Populari Republicâ apud eum sit, cujus sunt Jura Majestatis: Videlicet apud Populum, cujus existimationem, quemadmodum cætera Regalia absoluti Imperij, ita jus illud feciale belli, & pacis, induciarum, & fœderum præ omnibus auget, atque commendat.

Cneum Manlium acriter incusabant Romanorum Legati, quod Gallo - Græcorum nationi, non ex Senatûs authoritate, non Populi jussu bellum intulerit; quod nemo alius

de suâ sententiâ unquam, sed ex Populi Romani mandato facere ausus. Antiochi, Philippi, Hannibalis, & Pœnorum acerrima bella Populum iussisse testatur Livius.

Accedit quartum fomentum militaris nimirum fortitudo, bellandiquè vires, bellatorum robur, & copia. Hæc authoritatis certissima ratio, hoc tutissimum Majestatis munitum. Sic enim comparatum est, ut quorum augescere videmus exercitus, eorum amicitiam, vel spe securitatis, vel vindictæ metu aucupemur.

6. Nullum Jus, nulla potestas plus valet, quàm arma, de facto licet non de Jure: ut enim quisque potentissimus est, ita opinione mortalium maximus. Authoritas Popularis, quam non comitantur vires publicæ, ferme despectui est. Videmus id in Italiæ parvis illis rebus publicis. Agendo, audendoque Res Romana crevit, non segnibus consilijs, quæ hebescere faciunt aciem authoritatis.

7. Quantum ex hoc provecta Helvetiorum Respublica! Etenim frigidissimæ illæ alpium regiones, uti procerissimas arbores, & præstantissima armenta educant; sic cœli, soliquè natura

turâ ferente homines quoque robustissimos, & fortissimos progignit.

Cui naturæ emolumento addunt deinceps artis militaris studia: omnes quasi Patriæ leges, & consuetudines ad exercitia belli accommodatæ sunt. Cunctis tam Urbanæ, quàm Rusticæ plebis hominibus, Mercenarijs ipsis, & capite censis arma conceduntur. Omnia ibi ludicra exercitia bellicum quid spirant. Pueris arcu, adultis bombardis, ense, vel bipenni decertantibus proponuntur præmia: in altissima pace visuntur militum lustrationes continuæ, arma ubique resonant, miscentur luctæ, mutantur stationes, præliantur invicem, & cum feris ipsis certamina ineunt: ut rectè ibi dixeris: *Cœlum solumque esse Martis.*

8. Unde factum, quod Populus Helveticus domi, forisquè frequentia bella confecerit: nam cum solis Principibus Austriacis ducentis annis pro libertate suâ prospero decertavit Marte: & ex hoc authoritatem suam altis planè radicibus firmavit, ut vix ullus sit Europæ Princeps, qui eas evellere possit. Imò omnes quasi Reges, & Principes amicitiam hujus Populi quærunt, illius mercenario milite, vel cive

potius

potius, tam pro custodiâ corporis, quàm contra hostes suos utuntur, certi quasi de tutelâ, & victoriâ, pro quibus Helvetiâ phalanges fideliter decertant.

9. Quintum authoritatis Popularis fomentum opes sunt. Ab his pendent milites, arma, socij, urbes, honores, victoriâ, pax, & tota imperij Majestas. Omnia venalia nummis: auro attingimus inaccessibilia: vix stringitur ferrum sine spe lucri. Denique omnia parent Horat. divitijs.

Porro Aristoteles in statu Populari exigit potius opes publicas, quàm privatas, magis 6. Polit. *Ærarium commune*, quàm civium thesauros appetiat. Isti namque sæpe magis exitio sunt popularibus, quàm emolumento: quia oppugnant æqualitatem Civium, & impugnant libertatem communem, quæ primæ duæ bases sunt Imperij Popularis. Inflantur, cum locupletantur privati; & non facilius, quàm libertas venditur auro.

Ast opes publicæ & ærarium Civitatis supeditat æquâ lance subsidium Civibus: & in-violatam conservat libertatem Reipublicæ.

10. Quod ipsum satagebat vetus Roma, quæ

quæ ante tertium bellum Punicum circiter septuaginta duos milliones talentorum sepositi auri numerabat. Sine nervo belli licitari victorias vix datur. Hæc res perdidit progressus Gallorum in Regno Neapolitano; ubi parùm erat ingentibus sumptibus conquistivisse Regnum, & mox retardatis ex Galliâ subsidijs, illud tantò turpiùs amisisse: quòd Lautrehus Mareshalus campi è Regno redux amaris verbis exposuit Regi. Opibus opus, ubi belli est opus.

11. Postremum tuendæ authoritatis Popularis fomentum accedit à prærogativis, & privilegijs Popularem, quod tantò faciliùs assequetur populus, si ex dispositione suâ suis popularem quædam singularia privilegia, immunitates, exemptiones concesserit, quibus ostentant se dominos esse Reipublicæ, quodque præ alijs, & præsertim præ Nobilitate emineant in patrio solo. Univerforum existimatio, est Reipublicæ decus, & authoritas.

12. Huc faciunt connubia popularium cum nobilibus, quæ omnino promovenda, ut inde per familias commixtas authoritas accedat statui populari, & non nihil decedat Nobilitati.

Lege sanciantur publicæ, ut in Nobilibus

bus familijs masculi, ac fæminæ indistinctè succedant in capita. Hac ratione Nobilium opes & vires in plures, fortè etiam Populares divisæ, minùs nocebunt Reipublicæ.

Exosæ quoque sunt in statu populari primogenituræ, majoratus, fidei commissæ, substitutiones, pacta gentilitia tam Nobilium, quàm popularium: quia ejusmodi aliquos tantùm præeminere faciunt contra æqualitatem, quæ est anima Reipublicæ.

Illud denique in Democratiâ irrefragabile: tantùm detrahi Populari authoritati, quantum accedit Optimatum eminentiæ.



CAPUT V.

De Libertate Populari.

I. **D**emocratiæ fundamentum, & basis est libertas: non autem licentia Popularis. Libertatis enim extrema licentia, extremæ servitutis est principium. Ubi cuique suo modo vivere liberum est, ubi nullus ordo, nulla potestas, nulla lex: turbæ potiùs, & seditiões: tandem everfio statûs, & reductio Imperij Omnium, ad Unum.

2. Toties probatum est, post abusum libertatis à multis, sequi Unius, vel paucorum Tyrannidem. Ejusmodi mutationes exhibent omnes fermè veterum republicæ, maximè Romana. Hæc totiès jactata àb ejectis Regibus ad Consules : à Consulibus ad Decemviros : ab his ad Tribunos plebis : tandem ex improvise reassumptâ libertate ferox, suiquè impotens, & in partes divisa, reincidit in primam servitutem, mancipanda deinceps Regibus, quos aliquando profligavit : Aded immoderata libertas in miserrimâ servitute suam catastrophem invenit.

Hâc ratione Lacedemonas, & Athenas liberrimas olim urbes Populares : Patrumque nostrorum ævo non paucas perexiguo flexu iterum, & post paululum novimus in servitutem redactas. Videlicet absoluta illa libertas in apicem provec̃ta licentiam generat, & exindé non tam declinat, quàm ruit in servitutem.

Non ergo popularis libertas in impetu, libidine, abusu, temerario ausu, vel in morum licentiâ consistit : quia libertas nomen, & pars virtutis est : & hominem liberum recta, & honesta, præclara, & decora sequi oportet.

Eusebius ille Philosophus ex Stoâ dixit :
 eorum, qui depravatis moribus dediti sunt ,
 nullum tu liberum ducas: hi enim multò sæ-
 vioribus dominis serviunt,quàm vilissima man-
 cipia: videlicet passionibus suis, quæ in homine
 prædominantur.

3. Democraticam potiùs libertatem consti-
 tuunt prudentiores Politici in securitate comi-
 tiorum, in sinceritate suffragiorum, in incom-
 municabilitate Imperij, & Jurium Majestatis,
 in creatione, mutatione, & justâ degradati-
 one Magistratum, in æqualitate Civium, in
 auctoritate Tribuum, in legibus proprijs uni-
 versos sine respectu obligantibus. Hi Demo-
 craticæ libertatis genuini, & felices partus sunt.

Libertas à natura cunctis animalibus in-
 dita est, omnesque mortales desiderium liber-
 tatis tangit. Cæsaris aliquando hæc mens fuit:
 omnes homines naturâ libertati student, &
 conditionem servitutis oderunt. Unde popu-
 laris ille Sapiens animitùs exoptabat: ut mori-
 ens Populum Romanum liberum re-
 linqueret, quo à Dijs immortalibus nihil ma-
 jus dari posse dicebat.

Ad vos, o Respublicæ liberæ! quæ Cælo vestram debetis libertatem, hæc dicta pertinent: pro hæc agendum vobis, & pugnandum viriliter, veluti pro aris, & focis. Libertatem enim nemo bonus, nisi cum animâ simul amittit. Magni illa emitur; & vix sine negotio servatur. Tyrannidis quippe, & libertatis naturale dissidium est.

4. Porro à nemine magis vereatur libertas Popularis, quàm à Principibus vicinis, & à domesticâ Nobilitate, sive illi Patritij sint, sive incolæ, socij, vel fœdere juncti.

Veteri adagio Regibus invisa est Popularis libertas. Neque facilè sustinent, quos profapia conspicuos fecit, infimorum Dominium.

Demosthenes Atheniensibus, & universæ Achaïæ, Græciæ quæ Urbibus ita consuluit: Non esse tutum liberis civitatibus nimiam Regum, & Tyrannorum familiaritatem, atque illis, præsertim finitimis nihil fidei habendum esse: eò quòd omnis Rex, atque Tyrannus libertatis sit inimicus, & Populares leges Vatiniano odio prosequatur. Palàm est Alenconij (aliàs àb ordinibus Battaviæ ad principatum vocati) Belgicæ libertatis invasio. Palàm sunt
inter

inter Guelphos, & Gibellinos; inter Populares, & Principatū affectantes diffidia, & ex his prognata non minū diuturna, quā cruentissima bella.

Athenas aliquando precariū immissus Rex Pyrrhus, & etiam in arcem Palladis. Cum ibi rem Divinam perfecisset, eodem die descendens ex Arce, Atheniensium erga se animum, & fiduciam laudavit quidem, sed admonuit quoque: si saperent, & Patriæ libertatem tueri vellent, ne posthac cuique Regum portas aperiant, significans: Regibus ac Principibus semper acerbam esse Rerum publicarum libertatem, neque ab illis ferri æquo animo vires Populares, aut videri, nisi alto supercillio Populum absque jugo dominatū.

5. Unde, si salvam Populus libertatem amat, maximè ad hoc coniti, & omnes suorum Popularium cum externis Principibus correspondentias, pensiones, munera, blanditias, insinuationes, & ipsam planè Monarchiæ memoriam ex statu suo tollere, eliminare, & quidquid Regias artes sapit, angue pejus odisse debet. Sic Populo Regnum invisum fiet; libertatisque amor firmabitur in Democratiâ.

Id præcipuè in nova Republica, quæ fortè

pristinæ libertati, aut repressis, aut justè expulsi Tyrannis, restituta est; observandum: quia mutato statu plerùmque remanent reliquæ saltèm primæ Dominationis, vel in rebus ipsis, vel in affectu quorundam popularium.

6. Contra ejusmodi forti animo colluctabatur quondam ille Romanæ libertatis assertor Brutus: qui avidum rerum novarum populum, ne postmodum sive precibus, sive Regijs donis flecti posset, Jurejurando adegit, nunquam Romæ se toleraturum Regis nomen.

Postea Regiam supellectilem plebi diripiendam dedit, bona Regia jussit Quæstores vendere, atque in publicum Ærarium redigere precium. Ædes, & Palatia olim Principum diruit. Statuæ, Imagines, Regùmque simulacra concisa, contracta: & omnis Principum memoria, æternâ quasi oblivione sub ruderibus ipsis sepulta.

Præclarum hoc arcanum est in nova præsertim Republicâ confirmandi maximè plebem, aliàs volubilem, nova facilè molientem, & res suas non ratione, sed affectu, aut aliorum impulsu dijudicantem.

7. In statu Populari suspecti jure veniunt Regum,

gum, tam externorum, quàm eorum, qui olim præerant, agnati, affines, legati, pensionarij, vasalli, aut qui in Aulâ Regiâ, sive conjunctos habent, vel filios educant, vel inibi magnâ Principis gratiâ pollent. Ab ejusmodi plurima pendent pericula, aut invadendæ, aut dividendæ, mutandæ, aut tollendæ Republicæ. Quanta hîc exempla! Novissimum est Ducis de Breganza, licet non in Popolari, sed Regiâ Republicâ: tantum tamen est! ut alienis periculis, & ingenti Hispanorum damno, nôrint aliæ sibi cavere Respublicæ.


8. Neque minus periculum in Popolari statu imminet ab illis turbulentis ingenijs, quibus nova semper placent, & displicent præsentia. Id rursûs verendum est in novâ præsertim Republicâ, & quidem ab illis, qui vel præpotentes sunt, & rebus nondum integris, aut debilitatâ Republicâ singularia quædam affectant: vel verò, qui infimæ fortis homines, lucrum avidi, Rempublicam commovere idèò attentant, ut in turbido tutiùs recondere queant seditiosum animum.

Inveteratum etiam odium est Nobilitatis

tis adversus Popularem libertatem, & Plebeiorum adversus Nobilium factum. Lucta inter utrosque indefinens, & usquedum Populus non prævaleat, non leve à Nobilitate incumbit periculum.

Cui rectè opponuntur potentes Tribus viris præsentim doctis & honoratis mixtæ. Item Syndicatus Nobilium de gestis officijs, auctoritas Tribunorum, Popularium suffragiorum pluralitas, Populares leges, Popularis educatio, accusationes liberæ, quæ armorum instar Plebi Romanæ adversus Patritios fuere.

9. Nullâ demùm re fulcitur magis Popularis libertas, quàm dicendi fiduciâ, & agendi potestate, cui nemo nisi leges adversari audeant. Inæstimabile bonum est, suum esse.



CAPUT VI.

Comitia in Statu Popolari.

I. **A**ccedit Comitiorum libertas, sive Senatus magnus totius Reipublicæ. Ad firmandum enim Imperium Democraticum, necesse est commune quoddam totius Reipub-

publicæ & Gentis Concilium constitui, in quo de re communi, & univerforum salute agitur, consultatur, decernitur.

Non magis mens, & ratio in corpore humano necessaria, quàm Concilium in statu Populâri. Multa, quæ naturâ impedita sunt, consilio expediuntur. Non semper vincit major potentia; non omnia viribus; non celeritati; plurima Consilio deferri videmus. Magni vatis hoc dogma:

Mens una Sapiens Plurium
vincit manus.

Eurip.

Tiberius Germanico rescripsit: se novies à Divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quàm vi perfecisse.

2. In Principatu & Imperio Monarchico, pro genio præsertim Principis fervidi plus arma, plus vires agunt. Verùm status Popularis in Coronâ Patrum Conscriptorum majora astu, & Consilio molitur, quàm viribus.

Modernæ Respublicæ Poliarchicæ procul habent arma: nec ea facilè suscipiunt. Conservant se tamen in avito flore, feliciores etiam, quàm veterum Respublicæ, quarum vix una assecuta est ætatem nostrarum. Quiete & pace

gaudent domesticâ, ubi intereâ Principes, & Reges alij invicem colliduntur, sequè in visceribus proprijs exanimant cum exterminio suarum Provinciarum. Hoc facit fortassis unius temeritas in Principatu, quod reverà multorum consilium non admittit in statu Poliarchico.

Una civitas Numantina, quatuor, & decem annos fatigavit Imperium Romanum: & pro Saguntho majores exantlati fuerunt labores, quàm pro universa Asia. Tantumque modicæ vires iunctæ recto consilio audebant contra potentiam Mundi! Franguntur viribus vires, vix reassumendæ: consumitur tempore nervus belli; ast consilium nunquam: & quo plus fenescit, vigorosius est.

Hæc supponimus in genere: nunc ad specialia hujus Concilij magni, sive Comitiorum Popularium provehamur.

3. Thucydides in Oratione Atheagoræ perhibet, in Republicâ non partem duntaxat, sed communitatem totam in consultationem admitti solitum esse, atque iudicium deliberationum publicarum Populo deberi.

Etenim Status Popularis corpus quoddam est civile, quod suis constat partibus & membris

bris. Et hæc vel territoria sunt, vel Provincia confœderatæ invicem, ut in Belgio Batavi: vel jurisdictiones, vel civitates, vel pagi, vel præfecturæ, ut in Helvetiâ. Hæc omnia simul accepta Rempublicam constituunt; cujus anima, mens, & vita ipsa, Senatus ille magnus est, quem Comitia, Concilium, vel Diætam generalem dicimus; quo corpus illud politicum animatur, vivit, & vegetatur.

Ac proinde Senatus ille magnus primò componi potest ex universis singillatim, quod in magnis Rebus publicis per quàm difficile, raram, & periculosum est. Potest tamen id practicari in parvis Rebus publicis, & Democratijs subordinatis.

Ubi tamen notandum subvenit, quòd in Democratiâ distingui debeat Populus à Plebe, & non rectè plebs sub nomine Populi intelligatur. Sicut in animante multæ sunt partes, quæ non sunt animatæ, quibus tamen opus habet animal: ita in Civitate Populari multi sunt homines necessarij, qui tamen nec Civitatis Cives, nec inter Reipublicæ membra collocari debent: quales sunt opifices, non recepti Cives, mercenarij, milites, servi.

vis Rebus publicis non vocantur ad Concilium: quia tales non imperant, sed serviunt Reipublicæ.

4. Rectius ac salubrius constituuntur Comitia ex Univerforum ablegatis, & deputatis, uti olim in Atheniensium, & Lacedemoniorum civitatibus, & etiamnum modernis temporibus fit.

In Magnis Rebus publicis, quæquæ pars fœderata proprios ablegat ex gremio suo viros, quod usivenit in fœderati Belgij, & Helvetiorum Rebus publicis. Sicque in ejusmodi Comitij universi per suos legatos exercent omnia Jura Majestatis: & quidquid ad provinciarum regimen spectat, de his cognoscit Senatus ille summus, rationes à Præfectis exigit, accusationes audit, punit, Magistratu privat, Senatus Consulta edit, Legationes instruit, excipit, bella decernit, fœdera sancit, inducias coarctat, extendit, pacem denique stabilit: quæ omnia in legem assensû Populi transeunt.

5. Quales ad tantum Senatum mittendi, quibusuè univerforum salus commendanda? Sacer Textus in Exodo indigitat: provide de omni Plebe Viros potentes, & timentes DEUM, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam.

Cives

Cives, vel viros potentes volo, non quidem eos, qui fastu tument, vel divitiarum pleni majores suspirant; sed qui alienæ rei non indigi, non inopes, & egeni, suâ satis commoditate, & sorte contenti. Quasi impossibile sit Aristotele teste, ut quis egenus existat, Magistratum sincerè gerere, aut quietem optare possit. Necessitatis quippe durissimum telum est, lege vix repellitur, facilè ad nefaria se præcipitat.

lib. 2.
Polit.

In Romana aliquando Republicâ duo pro regenda Hispania proponebantur candidati, Sulpitius Galba, & Aurelius Cotta viri primæ auctoritatis, & experientiæ, Sed Scipio hoc unum reposuit: Galba nihil habet, Cottæ nihil sufficit. Ultimum vix emendari potest, primum supplet interdum virtus.

6. In libera Republica non emi debent suffragia: fieri enim non potest, ut libertatem ament, qui largitionibus vincuntur. Hæc labes aliquando Senatores Romanos occupaverat. Quod cùm inaudisset Cneus Poticius: utinam, inquit, ad illa tempora me fortuna servasset, quando Romanorum fortitudo muneribus, & donarijs cedebat! Profectò non

passus fuiffem, tam diuturnum Imperium in venali Republicâ. Alterantur, & mutantur Status, ubi Civium suffragia corrumpuntur auro.

At profequitur divinus textus, ut ejusmodi viri fint timentes DEUM: id est boni exempli, probatæ virtutis, laudatæ conscientiæ: non tam piè superstitiosi, vel aniliter pij, quàm solidæ virtutis zelatores.

7. Item *viri veraces*: illos nimirum intellige, in quibus non est fucô illita virtus, non cor duplex, non biceps lingua; sed cordata sinceritas, honesti amor, fides boni viri, Patriæ zelus, sagacitas sine dolo, & agendorum calliditas sine fraude. Præ his autem omnibus fidelitas erga Populum, qui vices delegavit. Appositè Plato: Si Legatus ea, quæ sibi demandata sunt, falsè nunciaverit, vel reticuerit, vel aliter fecerit: adversùs hunc tanquam Patriæ proditorem agatur.

8. Tandem eos vult Spiritus Veritatis, qui *oderint avaritiam*, & excludit viros quæstuosos, nummularios, & insidiatores rei alienæ: his non detur occasio felonix, quam auri plerùmque cupiditas per tot Rerumpublicarum decantata excidia generavit.

Pythium Oraculum prædixit Spartæ excidium ob avaritiam Civium. Quis sincerè aget causam publicam in Comitijs, cui domi sententiam dictavit pecunia? Animus subjectus avaritiæ magnum nihil operatur. Ubi interesse privatum intercedit, nunquam emergit publicum.

Nunquam in statu Populari felici exitu committuntur Civibus avaris negotia Comitiorum, & Patriæ salus. Aut hanc negligent domesticis intenti lucris, aut illa reducent ad fines suos particulares.

9. Tandem Comitorum sigillum addo, taciturnitatis videlicet vinculum, & statutorum silentium. Arcana Popularia, quia plurimum auribus commissa, semper occultiori fide tenenda sunt, ne aliàs erumpant, amissòque arcani nomine fama celebris dici debeant.

Indignum est Rempublicam, & fortunas illi committere, qui linquam continere nescit: aut quomodo Rem unquam publicam ab eo sustineri posse credemus, cui tacere grave est. Tacendi virtus vix habitat, nisi in pectoribus probatæ virtutis; quemadmodum garrulitas in scurris, & infimæ sortis hominibus.

De Romanis testatur Velleius Maximus, quòd Reipublicæ illius arcana multis sæculis nemo penetraverit : at posteaquam Principes Popularibus honoribus aucti, & ad Senatum Popularem admitti, sensim solutum fuit silentij vinculum, ac demum popularis Imperij libertas deperdita.

10. Sed quanta in Venetorum Republica hujus silentij religio ! obstupesco planè, cùm lego maris Præfectum Generalem, in absentia suâ capitis damnatum ob culpam fortè in bello contractam. Aderant sententiæ, & secreti participes multi tam sanguine, quàm familiaritate juncti condemnato : protrahebatur fatalis sententia in octo menses, donec ab expeditione reverteretur, tantòque tractu temporis nemo erat, qui vel per se, vel per alium merneret reum. Tandem feliciter reversus (cùm de triumpho, quem à Patria mereri existimabat, cogitaret,) ductus est alto silentio ad infelix supplicium.

Sanè inter omnia alia statûs Popularis instituta vix aliud præsentius rerum administrandarum vinculum est, quàm silentij religio nullâ mercede venalis. Nubes, quæ diuturnos
edunt

edunt fragores, raro fulmen emittunt. Magna rerum molimina male celata, irrito conatu dilabuntur.

II. In Epitome tria pro Comitibus: Populus cum supremâ Potestate: suffragia sine respectu rei privatæ: statuta prius executioni data, quàm divulgata.

CAPUT VII.

De Magistratu Populari.

I. **Q**uemadmodum Jura & Regalia Majestatis omnia, ita creandorum præcipuè Magistratum ratio, & delectus ad solum Populum spectat.

Senatus rectè constituitur ex Popularibus quidem, eâ tamen ratione, ut Nobilitati & Patribus (si qui tolerantur in statu Democratico) quibus à Majoribus suus solendor, & claritas, non planè præcludatur omnis aditus ad honores publicos.

2. Tertiam partem dignitatum Nobilitati tunc tribuunt aliqui Politici Populares, manente tamen supremâ Præfecturâ penes Virum Popularem

larem. Permagnum enim interest in Democratiâ eos imperare, qui & populares sunt, & præsentem Imperij statum amant. Sic in Romanâ Republicâ boni Aristocratici fuerunt App. Claudius, Coriolanus, Furius, Manlius, Cæso. Contrâ boni Populares, qui Populi libertatem satagebant, erant Servilius, Titus Quintius, Menenius, Sicinius, Virginius, aliique. Hos libenter Populus in Magistratu tulit, illos Patrieij.

Ibidem Consulatus dignitas, quæ suprema præfectura fuit Reipublicæ, æquali Jure patebat Nobilibus, & Plebeis. Non ita in alijs Rebus publicis Democraticis, ubi semper prævalebat Nobilitati Populus Magistratu, & suffragijs, atque Consulem legere solebat ex gremio.

Lib. 4. 3. Aristotelis Arcanum hic nota: in delectu
 Polit. Magistratus merces popularibus constituatur,
 cap. 14. Patrieij solummodò honor deferatur. Inde Populares ad Magistratus contendunt alleciti mercede, Patrieij ex honore onus sentientibus.

Vetus quoque in Democratiâ ratio status est, ut Nobilibus sumptuosa, & gravia, popularibus lucrosa, & utilia conferantur munia. Sic sua erit sibi tinea Nobilitas.

4. Reipublicæ quóque interest, non semper unum, vel paucos; verùm plurimos Cives successivè legere, & publicis Magistratibus præficere. Multi ex diuturno Imperio vel res tentant novas, vel inolescunt: mitiores redduntur, ubi post gestum Magistratum privati vixêre.

Sanè formidolosum perquam est privati hominis nomen super Rempublicam attolli. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: *Servi inutiles sumus.* Breves, & infausti populi amores: unius æmulatio concitat sæpe omnes contra unum. Rectorem te posuerunt, noli extolli: Esto in illis, quasi unus ex ipsis.

5. Rogatus à quopiam Agesilaus, cur Spartanorum Respublica præ alijs secundo rerum cursu proveheretur? quoniam, inquit, Cives illius plus cæteris in hoc se se exercent, ut pariter imperare, & parere sciant. Hoc pacem inter Cives conservat, æmulationes omnes evellit, ubi omnibus imperare, & obsequi alternis vicibus conceditur.

In Venetâ Republicâ omnibus familijs sal-

temper fortem patet accessus ad Magistratum. Uni omnia, vel paucis deferre familijs munia, calamitosum est videre in Republicâ Populâri, & liberâ. Fabius ille in hoc maximus, cùm à se quinquies, à Parentibus, & Majoribus suis multoties gestus Consulatus, rursus etiam filio demandaretur, deprecatus est, ut vacationem honoris hujus tandem familiæ Fabiæ concederent, ne maximum Imperium in una domo continuaretur.

M. Cato Cives suos inculcabat, quod semper iisdem suffragarentur. Videmini, inquit, aut vos nullum habere Magistratum, aut paucos judicare esse dignos Magistratu. Quorum alterum erat malè sentire de Republicâ, alterum de Civibus. Idèd in statu Democratico rectius, ac melius non uni, vel aliquibus, sed alijs, & alijs successivè Reipublicæ deferri debent munia.

6. Certissimus canon est: quantò magis Populâris status ab unitate recedit, sive in conferendis Magistratibus, sive in cogendis Comitijs: tantò longius abest à mutatione, & exitio. Democratix fatalis numerus est unitas.

Pausanias in Atticis improbat munia Reipublicæ

publicæ perpetua, vel valde diuturna. Certo tempore definiri debent ea, quæ usurpandæ potestatis causa esse possunt. Apud Thebanos legem novimus, quâ morte mulctabatur, qui ultra tempus à legibus præscriptum Magistratum retinuiſſet. Imperandi illa, parendisque viciffitudo ſingularitates reprimit, & neminem ſinit inebriari licentiâ.

Ælian⁹
lib. 13.

Roma in ſervitutem redacta eſt Imperij prorogatione. Tametsi inde (quod quiſpiam opponet) paucæ ſeditiones ortæ ſint: conſtat tamen eos, quibus prorogati fuere Magiſtratus, ad tantam authoritatem, potentiâque evaſiſſe, ut cum excidio popularis libertatis dominatum inſenſibiliter introduxerint. Talis Julius, talis Auguſtus.

Metuendi ſemper tales cives, qui in ſtatu Popolari, vel perpetuitatem Magiſtratûs affectant, vel ejusdem prorogationem precantur. Prorogatio perpetuitatis eſt janua, & perpetuitas facilis ad Principatum ſaltus. Nam ut Princeps inter Philoſophos dixit: qui magnam & longam poteſtatem habent, etiamſi ipſi nullius preciſi ſint, multum nocent. Publicæ potentix Miniſtros, quos delectat ſuperbiæ

Ariſt. 1.
3 Polit.

suæ longum spectaculum, minùs se cogitant posse, nisi diù: multumque tandem, quid possint, singulis ostendunt. Hoc suo malo facto experta est Respublica Florentina, quæ etiamnum staret, nisi potestatem publicam plus æquo impertijisset, & prorogâisset.

7. Postremò delectus per gradus tutiùs fit, quàm per saltum. Ibi expenduntur merita, hìc favor & affectus sæpe sapius decipit. Neque Tiberius cum Drufo properavit, sed per octo annos capto experimento Tribunitiâ potestate insignivit.

Ideo in Delectu Magistratûs, virtutis, prudentiæ, meritorum, & probitatis rationem habeat Populus. Sub virtute dotes animi, sub prudentia regendi peritiam, sub meritis exantlatos pro Republica labores, vel duntaxat conatum, sub probitate famam viri boni intelligo.

In Romanis legibus de Magistratu eligendo hæc erat: *Hic ordo vitij caret; cæteris specimini esto.* Non regnant, sed sæviunt, qui mali sunt. Mens mala malè imperat, quia in se ipsa est perversa. Nam quomodo fieri potest, ut, si Magistratus ipse officium non faciat, alios

alios ad præclara quæque excitet: aut contineat alios, qui se non continet: aut etiam sine rubore puniat, & illa flagitia condemnet, quibus se palam obnoxium advertit? Justitia præsertim vindicativa, quam destituit Judicis probitas, ludibrio magis habetur; quàm emendationis Exemplo.

Felix Respublica! ubi electionibus non intervenit ambitio, nec intercedunt proximorum preces, vel profusa munera: ubi virtus non opus habet alienâ protectione, aut commendatione, sed ex secessu vocatur ad publica: ubi ipse Populus suos cognoscit, & ignatos alijs ultrò evehit ad Magistratus: ubi denique ratio publici præponderat omnibus alijs emolumentis.

CAPUT VIII.

De legibus in statu Populari.

1. **R**espublica nulla est, ubi leges non tenent imperium. Hæ tamen obtinent variè: quibusdam in primo ortu, & constitutione Reipublicæ: aliquibus post interval-
lum

Xenoph.
lib. 4.
Pædia.

Arist.
lib. 4.
Politic
cap. 4.

lum: multis casu: alijs per Tyrannidem: plurimis in conseruationem vel remedium: mutata nimirum causa, sine, vel medijs, ut ille verissimè praesensisse videatur: *Ubi multae leges ibi corrupta Respublica.* Nequè enim sana corpora remedijs, aut Cives probi emendatione indigent.

2. Ufu probatum est: leges ex delictis aliorum gigni. Vetusissimi enim mortalium nulla adhuc mala libidine, sine probro, sine scelere, eoque sine pœnâ, & constitutionum farragine vivebant. Praemijs haud opus erat, cum honesta quæque suo apte ingenio petebant. Ubi nihil præter morem ambiebant, nihil per metum prohibebatur. At postquam pro modestiâ, & pudore ambitio, & vis; pro sinceritate, & familiaritate astus, & invidia incedebat; evenerunt leges, & Magistratus.

Fieri proinde debebant leges, ut earum metu humana coërceretur audacia, tutaque foret inter improbos innocentia, & in ipsis improbis reformidatô suppliciô refrænaretur mala voluntas, & nocendi facultas.

Quia multiplicavit Ephraim Altaria ad peccandum, factæ sunt ei Aræ in delictum:

Scri-

Polyb.

Tacit.
demo-
ribus
Germ.

L.Leg.
C. de
Leg

Oseæ.
8.

Scribam ei multiplices leges meas. Aded legum five multiplicitas, five innovatio suum principium, causam, & finem sumit à corruptis Reipublicæ moribus.

3. Felicius erit illud Imperium, præsertim Populare, quod in ipso sui exordio ea jecit fundamenta statûs, ut se deinceps variare, aut novis legibus emendare necesse non habeat. Thucidides præsentis mores, legesque, etiam si deteriores sint (quod notandum) laudat magis, quàm novas.

Lycurgus Spartam ita ab initio legibus instruxit, ut supra octingentos annos absque ullo notabili motu constans perduraverit. Sta. Xenep.
bit Populare Imperium usque dum à primis suis institutis non recesserit, vel aberraverit potiùs. Eo quæque, quo cæpta sunt modo, tutò conservantur.

In hoc rursus Spartam imitemur; ubi nefas erat, ullam prisca legum vel innovare, vel abrogare. Verissimo effato legibus convenire auctoritatem in homines, non hominibus in leges. In petra sculpsit Omnipotens primævam legem, & olim laminis imprimabantur leges, ut vel inde perpetuitatem le-

gum notaret, & eas magis revereretur posteritas.

Inter præcepta vitæ Politicæ, quæ Aristoteles; Xenophon, Lycurgus, Dion, Cassius, & alij gravi autoritate tradiderunt, hoc facile primum fuit: Antiquas leges vix, temerè nunquam mutandas, & potiùs admittebant aliqua parva incommoda condonari consuetudini, quàm ut Reipublicæ corpus, veluti ex commotis humoribus alicujus morbi periculum contrahere.

4. Quis non, assuetus libertati animus, abhorreat ad innumerum illum legum numerum, Digestorum; & Codicis, Pandectarum, Novellarum, Decretorum, & Canonum? obruere potiùs videntur, quàm dirigere: & Dicasteria quandòque implere otiosis hominibus, qui plerumque, quod statuunt, non agunt. Facile est Statuere, sed statutum pati difficile.

Sanè Aristotelis sensû, perinde ac medicorum copia, & fora Panacæis plena, non paucos indignant illius loci morbos; sic ubi innumeras videris leges, quas nec concipere, minùs exequi homo potest, illicè certum est infirmam, vel confusam esse Rempublicam.

Quid

Quid opus novis remedijs , si veteribus succurri malo possit ? leges instar medicinæ in necessitate tantum sunt salubres , quæ aliàs sæpius sumptæ magis debilitant corpus ; quàm confortant.

Majori pace , & emolumento floruit quondam vetus Roma inter pauculas leges , easque ab Atheniensibus mutuatas , quarum perexiguo numero duæ , & decem erant , in totidem tabulas postea digestæ : quàm deinceps , ubi inter myriades legum recentior Roma sæpius collapsa jacuit , quàm erecta stetit : raro quieta ; semper Domestico malo laboravit. Caligula per leges , & edicta struxit innocentibus pedicas , ut vel quid emungeret , vel quos vitâ privaret. Claudius viginti leges unâ die statuit , ut non minus populo difficile fuerit eas intelligere , quàm servare. Arcanum hoc malorum Principum est , per leges , & statuta exarmare cives libertate.

5. In gravibus casibus ad legem respiciendum dixit Aristoteles : leviora naturæ dictamini submittit. Jam sufficiunt Posteritati , quas Antecessores condiderunt leges : his maneat condendi gloria , nobis obtemperandi ne-

cessitas. Paucis dico: in statu Populâri plus valent paucæ leges, cæque universales; quàm multæ, & partiales; nec habeant exemptum quemquam, nec quidem ipsum Magistratum.

Non exiguum, ait Plato, subit periculum civitas illa, in qua non leges præfunt, sed voluntas Magistratum. Et ab adverso magnis extollit encomijs Athenas, & Spartam, ubi leges dominabantur ipsis Magistratibus. Singularitas odiosum in statu Populâri nomen est, nec minùs periculosum. Omnes connectat una libertas, una omnibus imperet lex.

Rectè olim Demaratus cuidam percontanti, cur exularet Spartâ, cùm ibi fuisset Rex? Quoniam inquit Leges in eâ sunt Potentiores. Significans: apud Spartanos Regem esse tantùm Rectorem civitatis, at non super leges Dominum: participem publicæ libertatis, non usurpatorem: legibus denique obnoxium non minùs, quàm cæteros cives.


6. Et quemadmodum ipsa vita hominum est duplex, *in otio, & negotio, domi, & foris*; sic omnes in statu Populâri leges ferantur, vel ad pacem civium inter se tenendam, vel ad bellum

bellum foris gerendum, vel ad opes augendas publicas, vel ad amplianda pomæria, & præ omnibus maximè ad stabiliendam Populi libertatem respiciant.

7. Leges suadeat Magistratus: Populus decernat, jubeat, imperet, & ipse pareat. Pars quædam libertatis est omnes indistinctè sub una lege vivere, vicissim parere, & præesse.

8. Status Popularis abhorreat externas leges, externos Doctores, Notarios &c. Suis utatur, iisque paucis, neque lites in immensum finat: quod Helvetij cauent, qui causas in Consilio voce solâ proponunt: desuper audiuntur testimonia, nec in totâ causâ quidpiam intercedit scripto, nisi sententia, quæ immèdiatè litem perimit, & partes dirimit. Nunquam pax popularis, & amicitia inter Cives durabit, ubi litigia movent animorum dissidia.

9. Solonis quidem pronunciatum verum est, In legibus Salutem Civitatis positam esse. Sed ego veteres malo, quàm novas: raras, quàm multas: Universales, quàm particulares: libertati Populari accommodatas, justas, perpetuas.



CAPUT IX.

De Æqualitate Populari.

1. **F**ACIT plurimum ad conservandum statum Democraticum Æqualitas Civium: causa nimirum unica Popularis concordia. Verus priscus ille sermo: *ab æqualitate amicitiam generari.*

Shent.
Ser. 4.

Idem verissimò Angelici Doctoris verbò: æqualitate existente stat Justitiæ opus. Ego fulcrum hoc, imò fundamentum Republicæ Popularis apprimè necessarium, æqualitatem pronuncio.

2. Hæc autem consistit in omnibus fermè externis: qualia sunt, Patriæ consuetudines, religio, leges, præmia, pœnæ, quibus omnibus harmonicè junctis exurgit æqualitas illa, quæ libertatis publicæ invincibilis est tutela.

in La-
con.

Graviter admonuit Plutarchus: ibi locum non esse Justitiæ, neque Pacis; ubi, ut quisque potentior est, ita licentiùs opprimit imbecillior. Ab admiffa inter Cives inæqualitate nascitur ambitio, & avaritia, discordia,

cru-

crudelitas, licentia, Tyrannis. His occurret illa ad æquam lancem, similitudinemquè omnium Civium reducta vitæ ratio. Singularitas in Republicâ Populâri, sicut omnium oculos, ita omnium odia in se convertit.

Curius victis Sabinis, cùm ex Senatûs Plin. in vit. Illust. Consulto agri modius, quem consummati milites occupare solebant, ei ampliaretur, recusavit: & gregalium portione contentus malum esse Civem dixit, cui non est satis, quod cæteris esset satis. Suspecti omnino illi sunt, qui conditionem communem Civium exsuperare volunt. Virtute id licebit, & animi promptitudine; non ostentatione, & externo fastu.

3. Malè comminatur Thucidides etiam viris strenuissimis, qui alios non tam meritorum amplitudine, quàm opum splendore, & nimio vestitûs, victûs, apparatusque reliqui luxu antecellere gestiunt. Alcibiadem hæ res perdiderunt. Is, cùm apud suos esset magno in honore, & ambitiosius, quàm pro modo facultatum viveret, cùm in alijs sumptibus, tum præcipuè, quos in alendis equis faciebat; magna ex parte Civitatem Atheniensium turbavit. Multi enim, cùm nimiam ejus in cul-

tu corporis, victûsque liberalitatem, & quibuscunque in rebus versabatur, spiritûs magnitudinem livido oculo intuerentur; æmulatione, & invidiâ correpti insurrexerunt in virum, Patriæ Principem potiùs, quàm Civem; & de affectatâ Tyrannide suspectum condemnârunt, forsan innocentem.

Quantò magis excellunt viri Populares, tantò periculosiorem finem expectant, nisi reducantur ad æqualitatem. Ignei Spiritus (maximè si Nobilitas Avorum accedat) vix se continent in societate Popolari, nisi illis pabulum subtrahat Populi sive sagacitas, sive æmulatione. Gelidâ hîc opus, non oleo. Deme, non adde. Hinc in veterum civitatibus Ostracismus inductus fuerat.

Dan. 9 4. Ostracismus autem lex quædam erat,
Lic. 2. quâ Cives opibus, gloriâ, amicis, potentiâ,
Polit. meritis, & capacitate super cæteros conspi-
Lib. 2. cui & præ eminentes, ne possent Popolari
 sorti officere, jubebantur decennium, vel per-
 petuum, vel ad aliud præscriptum tempus exu-
 lare â Republicâ, ejusque Magistratibus, &
 functionibus publicis privari.

Aedè omnia summa periculosa sunt, ut etiam excellentia virtutis, & meritorum, exilium, poenamque pati, atque præpostero naturæ ordine malum pro bono referri debeat. Citrà demeritum hoc plecti erat; nevé opprimat, opprimi: dato præventioni loco, ubi non tam ipsum periculum, quàm illius metus incumbibat.

5. Arcanum hoc Populare invenerunt Athenienses, dictum postea à Lacedemonijs **Petalismus**,

An expediat arcanum hoc? multis disputat Aristoteles, & concludit in depravatâ Republicâ, qualis est Oligarchia, omninò expedire Petalismus. At distinguit quo ad regulatas Respublicas, ubi merito, & demerito suum pretium, & supplicium ex æquo est. Polit. Lib. 3. cap. 9.

Quanta enim in superos hominésque committeretur injuria: si indistinctè punirentur potentes cives, quâ potentes citrà demeritum & non habitâ ratione. Barbara hæc immanitas foret, & non politica providentia.

Aliud esset, ubi potentes illi Cives longâ

amicorum, & clientum cateruâ freti insolita quædam molirentur, & despectui haberent optimos Cives, aut planè populari vitæ insultarent, vel insidiarentur libertati: tunc sanè Ostracismi culpam vix effugerent, ejúsque pœnis subjacerent. In cinere enim tutiùs sopiuntur ignes, & in herba angues suffocantur.

6. Ostracismi pœnam in veterum Rebus publicis innumera Commonstrant exempla exulantis, vel potiùs mortificatæ virtutis in Aristide, Themistocle, Coriolano &c. aliàs optimis Civibus.

Etiam Veneta Respublica Joannem Superantium virum maximâ potentiâ, virtute, & gestis pollentem, ac populo charum ad Istriæ saxa relegavit: indè post aliquot annos revocatus vitam privatam modestiùs egit: tandem auctus honore Procuratoris, maxima quæque Reipublicæ negotia feliciter tractavit.

7. Posterioribus ævis rara ejusmodi cum prospero eventu exempla numerantur. In Florentinâ Republicâ Cosmus Medices primarius Civis, agendi peritiâ non minùs insignis, quàm opibus potens, Urbe ejectus, peregrè vitam duxit, donec àb amicis desideratus, non solum
Civi-

Civitatem repetijt, sed etiam extinctâ sensim libertate Dominatum obtinuit æquiparatus hac ætate ipsis Regibus.


Potentes Cives nunquam magis liberi, quàm cùm à Patriâ extorres nanciscuntur causam, & occasionem se jungendi externis, nequè quiescunt facilè, nisi eversâ Patriâ, oppressâque Republicâ soli Imperium usurpent.

Rectè Bodinus Ciceronem reprehendit, quòd Catilinam Româ expulerit, cùm potius detectâ seditione in ipsa Urbe opprimere debuisset. Immanis fera ex caveâ emmissa ferocius sævit.

Si vetera attendimus? Coriolani certè, & Dionis Syracusani exulum atrocita in Patriam bella historiarum monumentis liquent. Si recentia? palàm omnibus sunt Medicæorum, ut dictum est, & Tigurinorum optimatum; Principum item Borbonij, & Condæi; & novissimè Lotharingi exulum exempla. In suos ex indignatione major hostilitas est.

Tutiùs erit virtutem eximiam in civibus respicere magis, quàm odisse: potentiam verò, quæ in excessu plus æquò majori est, sensim populari æqualitate attemperare, remo-

vendo, minuendo, onerando, etiam premen-
do: eâ tamen ratione, ut securitati publicæ
consulatur antè, quàm vindictæ. Res enim
ipsa monet præcavere potentia magis, quàm
eam, cùm jam insolescit, opprimere.



CAPUT XI.

Popularia fœdera, & aliena auxilia.

I. **M**Ajor quandoque metus ab amicis,
quàm ab hostibus: & majus sæpe-
numero incumbit periculum ex confidentiâ,
quàm ex odio. Amicos non metuimus, &
opprimimur: hostes opprimimus, sæpius,
quos metuimus. Fœderum, & amicitia prætex-
tu vehitur secura sibi ratio statûs, & majora mo-
litur blandiendo, quàm feriendo. Facile ex-
armat amicitia Cives, & Republicas externo-
rum familiaritas.

Philippus Macedo Amynthæ filius, cui
Demosthenes Popularis Imperij acerrimus vin-
dex in omni re adversabatur, Græcorum li-
bertatem simulatâ amicitia, & fœderibus in
com-

commodum suum verſis tandem oppreſſit. Aded externas ſuppeticas amplius Popolari libertati nocuiſſe, quàm juviſſe compertum eſt.

Sic Romani Rempublicam totius mundi invaſerunt, multos in ſocietatem vocando; alios per ſœdera ſibi conjungendo; plurimos in Cives Urbis aſſumendo: donec dilatatum hoc undequaque ambitionis venenum in naturam ipſam converſum ſit, ac liberrima illa totius mundi Reſpublica evaſerit Romanum Imperium.

2. Omnis Reſpublica ſocietate continetur, & ſœderibus: & omnis ſocietas publicæ utilitatis cauſâ conſtituitur. Age tamen ſolicite, ne finis iſte in prætextum, & ſolam ſpeciem abeat, ne vè ſaluberrimum hoc communionis civilis vinculum tranſeat in compedes, & vincula popularis libertatis, ſub quibus priori ſæculo gemuit univerſa Germania in ſe dilacerata, & diſciſſa Suecorum ſive amicitia, ſive ſœderibus (rectius dixero) cædibus, & injuſtâ uſurpatione.

Quando cernimus à factione aliquâ civium in urbem (ut in Florentiâ, in Piſa, alijs ſue popularibus urbibus cum dolore vidimus) vel in Provinciâ aliquam (ut Dux nuper egit

Mantuae, & prius Ludovicus Sfortia Mediolanensis) aduocari externa auxilia; tunc Jure arbitrari possumus, quod ea Reipublicae forma brevi mutabitur, cum non habeat legitimam rationem extinguendi domesticos ignes, quibus in se flagrat. Eiusmodi suppetiae congeriem faciunt igni, non ut extinguatur, sed ut consumat vires & cives: Belgium id expertum sub Colinio Gallo, & Casimiro Palatino.

Doluit etiam hoc Florentia: & passa est Pisa: Ludovicus Sfortia carcerem tulit; & Mantuanus jugum: Belgae sub praefatis Colinio, & Casimiro extremam depopulationem. Raro felici successu externis viribus domestica comparatur tranquillitas. Praestat ibi invenisse remedium, ubi morbus invaluit.

3. Attamen, quantum inveniatur emolumentum in foederibus, & ex foederatis, omne ævum docuit: nam res humanae per se vix subsistunt. Ego foedera non improbo, sed Popularibus POPULARIA; in proprijs visceribus Regia nunquam; in alieno solo, & contra externum hostem omnino, sed moderatè, & cautè suadeo,

Unde

Unde pacifici confœderationes, societates cum vicinis Urbibus, Pagis, & Territorijs, quæ vel eâdem populari libertate reguntur, vel ad illam aspirant, proficuum valde cenferi debet statui Democratico.

Ex hoc arcano in immensum crevit Respublica Helvetiæ. Nam solùm tres Pagi, ut illi nominant, prima jecerunt fundamenta tam formidandi statûs, Uriorum scilicet, Svitiorum, & Unter-Waldiorum: quibus accesserunt mox amplissimæ Urbes, Regiones, Præfecturæ, Nationes, Territoria, quæ perpetuis fœderibus invicem connexa Reipublicæ pomæria tantis auctibus extenderunt, ut ad omnium Principum invidiam suâ persistant libertate, & potentiâ.

Cum potentibus periculosa sunt fœdera, & satius erit adhærere debiliori contra potentiorum, ut vel inde æquum temperamentum potentis emergat uniusque. Adjuvare imbecillum commiserationis est: adjuvare velle potentem magis submissionis quædam necessitas est, quàm Politica Statûs ratio.

4. Imò Democratix irrefragabile arcanum est: retinere vicinos Principes in æquilibrio.

Quo

Quo arcano felici planè successu usa est Vene-
torum Patrum Respublica in diffidijs Italiæ
Principum. Quia aliàs, ubi unius potentia præ-
ponderat, periculum est, ne suæ fortunæ ve-
lit acquiescere; sed plus justô vires suas exten-
dat cum pernicie vicinorum. Pericula à longè
suspicienda sunt, proxima vix cavemus.

Ad hoc impediendum libera Respublica
ed semper consilia dirigit, ut ad tuendam bi-
lancem inter suspectos libertatis Principes,
jam hujus, jam illius partes apprehendat, ne
unus aliquis ex suspectis arbitrium universale
obtineat, sed cujusque potentia in divisas partes
trahatur.

Primùm igitur domi suæ consulat, & contra
ejusmodi potentias externas nanciscatur fœde-
ra cum popularibus suæ formæ, vel quasi Re-
bus publicis. Cùm enim utriusque eadem
causa libertatis, & periculum est, nihil suspe-
ctum esse poterit amicitia in eâdem navi ve-
henti, idémque periculum subeunti.

Tale fœdus iniijt Respublica Grifonum cum
Venetâ. Ubi anno 1603. Oratores in oratione
ad Serenissimum Senatam causam fœderis
hujus esse dixerunt, similitudinem nimi-

rum illam, & correlationem utriusque Thes. Polit. fol. 306
 Reipublicæ, quæ sympathiam quamdam
 naturalem ex uniformitate Regiminis causavit
 in animis Civium, ut dignissimum esse judica-
 verint, ibi amicitiam & fœdus quærere, ubi
 ex similitudine Regiminis constantiam, & fir-
 mitatem sibi ominabantur.

Alterum est, ut in causis domesticis alie-
 na auxilia sive remedia nunquam induci patia-
 tur in viscera suæ Reipublicæ. Justinus de ever-
 sis Græcorum Rebus publicis ita fatur: Macedo-
 num Rex libertati omnium insidiatus, dum
 contentiones civitatum alit, auxilium inferiori-
 bus ferendo victos pariter, & victores subi-
 re Regiam servitutem coëgit.

Auderet hoc Magnus Ludovicus contra
 Helvetios, nisi sapientissima ista Respublica
 alienis periculis cautior potius Gallis suppedi-
 taret, quàm acciperet auxilia. Deplorat jam,
 sed tardè nimis Argentina suam, cui trigemi-
 nâ turri frænum injecit Gallus, Libertatem.

Felix Respublica, quæ suis persistit viribus:
 neque ex vinculo fœderum se commiscet Regi-
 bus; aut alienis facilè implicat bellis. Stabite jus-
 modi, futura aliquando arbitra belli & pacis.



CAPUT XI.

De arcanis periculis Democraticæ.

1. **C**reatio Tribunorum Plebis arcanum est Statûs Popularis. Creabantur enim olim, ut Livius memorat, Tribuni veluti Principes Plebis hoc solo fine, ut Populum contra Nobiles, & Patritios, & libertatem statûs Popularis tuerentur adversus paucorum, vel unius Imperium.

Hoc arcanum quemadmodum in emolumentum libertatis Democraticæ inventum fuit, ita lapsu temporis Rempublicam Romanam sensim pertraxit in ruinam: neglecto nimirum delectu personarum, quibus temerè confidebat arma, vires, vel omnimodam potestatem in Republicâ.

2. Hoc arcano, Monarchiæ potius jaciendæ, usus est in contrarium Augustus adversus Democratiam; ne enim Regis, aut Dictatoris nomen assumens vel novitate rei turbaret Populum, vel in se concitaret invidiam, reperit aliud summi fastigij vocabulum, dum

Se

Se Tribunitio Jure ad tuendam Plebem contentum diceret. Tum sensim insurgens non Romæ solius, sed Orbis propè universi invasit Imperium. Adèd eodem telo cadebat, quo surgebat Romana libertas, & ubi antidotum quæsit, venenum fuxit.

Tacit.
Annal.
cap. 2.

3. Tacitus testatur de Tiberio, qui famâ moderationis partâ, quòd ingentes occisores depresserat, misit literas ad Senatûm, quèis Tribunitiam potestatem Druso petebat. Erat enim summum jus in Tribunis: audebant omnia, & quibus resistere religio erat. Idèd Principes (quibus aliàs paucilla potestas fuit) studiosè satagebant, ut sibi deferretur munus illud populare, quo viribus majus non erat, quovè sub prætextu plebis defendendæ, sua jacere poterant fundamenta Dominatûs. Adèd Potestas illa Tribunitia, cùm apud populares fuit, proficiebat Reipublicæ, quemadmodum, cum deinceps Principibus tribueretur, officiebat.

4. Idem periculum Aristoteles comminatur Reipublicæ à Ductoribus Populi, ab adulato-

Lib. 6.
Polit.

blanditiæ, petulantia, temeritas præsertim in statu populari frequens, & idèd perniciosissima est. Solent enim libertatis asserendæ prætextu concitare Populum, & præsertim inferioris sortis humanes, cùm tamen alium (quod summum est flagitium) præ oculis scopum non habeant, quàm privatum suæ rei familiaris commodum, sive aucupando honores, & munera in Republicâ, sive excitando odium adversus majores, vel probiores. Quod ultimum ipsimet Augusto objectum fuit: ipsum privata odia publicis utilitatibus debuisse remisisse.

Quintius Cincinnatus Populum Romanum aliquando pro concione graviter increpabat, quòd Tribunitijs clamoribus se huc, illuc rapi pateretur. Inter multa alia dicebat: Assentatores illos publicos, quia in concordia ordinum nullos se usquam esse vident, malle proindè, quàm nullius, turbarum saltem, ac seditionum Duces esse.

Libertas speciosum tantùm illis nomen est, cæterùm latet in hujusmodi Civibus, veluti sub cinere, ingens dominandi libido. Argutissimè Scaliger:

Laudari à plebe aditum aperiet ad Senatum.

Laudare plebem, parit Imperium in plebem.

Pisistratus, cùm inopum causam adversus divites susciperet, evertit Athenas, & Tyrannidem induxit. Eodem modo Ephialtes Areopagi senatûs fregit Potentiam.

Cromuellus ille Oliverius Regicida infamis, sub libertatis specie affectabat trium Coronarum protectionem imò Tyrannidē. Aded: ut nihil libertate melius, ita nihil Reipublicæ perniciosius obtingit, quàm ubi illa in prætextum abit, & vaserrimis Civibus servit in simulacrum boni publici.

5. Alterum periculum imminet Democratiæ à cunctatione, & morâ agendorum. Agendo, audendoque Respublica Romana crevit, non segnibus consilijs, quæ à timidis cauta vocantur. Nam metus temporum obtinuit, ut, quod segnities erat, sapientia vocaretur.

Peloponnesij & eorum socij, (inquit Pericles) etsi ad dimicandum de summâ rei, in uno prælio pares sunt cæteris Græcis: attamen diuturnum bellum gerere vix possunt. Quia, cùm

non sit una communis eorum deliberatio, sed res ad diversas Civitates longo ordine referendæ sunt, non potest subitò perfici, quod opus est. Nam & gentes diversæ sunt, & suffragia parem vim habent, & singulæ suam utilitatem spectant. Quæ res moram, & impedimenta deliberationis afferunt, sicque tardè convenientes, exiguo spatio de publicis negotiis deliberant, plus temporis tribuentes privatis controversiis; & quilibet putat suâ unius negligentiam non impediri bonum publicum, & id aliis curæ fore pro ipso. Sic cum omnes similia cogitant, intereà bonum publicum perit omnium culpâ: agendorum enim occasiones nolunt tarditatem.

6. Periculum hoc effugiunt ille Respublicæ, quæ stabiliter ex Provinciis confœderatis quoddam veluti Consilium statuunt, ubi res subitanæ, vel fortuitò obventæ sine morâ ventilantur, & expediuntur. Privatæ autem controversiæ vel in communibus, vel in cujusque loci particularibus dicasteriis tractantur, & resolvuntur. Hâc methodo obviamitur cunctationi, quæ non leve periculum adferre solet illis Rebuspublicis, ubi plura membra,

&

& multæ confœderatæ urbes unum corpus conficiunt.

7. Tertium periculum ab otio est: Populi namque ea fermè natura, libenter otio, & voluptatis dulcedine trahi. Et inde tantò majus Reipublicæ periculum imminet, quantò toxicum hoc dulcius est. Arcanum, & occultum hoc malum, quo magis sentitur, minùs creditur nocere.

Ideo Infidiatores libertatis Popularis in eo toti sunt, ut bellicosum præsertim Populum variâ artium suggestione, luxu vestium, tripudijs, symposijs spectaculis, & mimorum ludicris, ijsquè omnibus occupent, quæ Popularem geniù inescant quidem, sed eneruant quoque, & vires, robur, atque avitam fortitudinem imbellem reddunt.

Eâ arte Drusus Germanos (Gentem aliàs bello invictam) inter Rhenum, & Visurgim avitâ libertate spoliavit, & Romanis subjecit. Quocirca dicit Florus, & judicium suum hac de re luculenter exprimit: Germani allecti magis, quàm domiti erant: moresque nostros magis, quàm arma suspiciebant.

Unde quamprimùm Varrus rigori magis
affue-

assuetus humanitatem illam officiosam, & mollius vitæ genus restrinxit, cæsus fuit ipse, & totus exercitus, restitutâ denud Germanis libertate, quam Romanæ blanditiæ, assuetumquè otium depravaverant.

Augustus certè similium voluptatum philtro planè dementaverat Romanam plebem, ubi militem auro, Populum annonâ, omnes dulcedine otij ed pellexit, ut sibi è vulgo passim persuaderent meliorem fore conditionem sub uno, quàm multis; sub Principe, quàm in Republicâ. Otium pessimus est seductor eorum præcipuè, qui opes, vitam, & omnia ex labore habent, qualis est populus, & plebs.

Non ita Helvetij, quorum ipsa voluptuosa Martem spirant: quivè mimicos ludos in hastiludia, & ludicra quæque in feria quasi convertunt, ut mirum videatur, quodd Gens Galliæ vicina, & sæpiùs socia, non Gallicâ molitie imbuatur, sed persistat constans in avito suo robore magis pecuniæ, quàm Galliæ morum avida.


8. At illud periculum maximum est; quia in ipsis Democratia latitat visceribus, illa nimirum

mirum luxuria nimix libertatis. Libertas ejusmodi (nisi licentiam mavis dicere) ad instar generosi equi, calcar non solum admittere debet honesti, & decori, sed frænum quoque pati justî, & recti.

Excentrici planè libertatis Popularis sunt temeritas, impetus, contemptus, audacia, præsumptio, impudentia, instabilitas, abusus, & similia, quæ sphæram Reipublicæ in confusos motus rapiunt, & in exterminium usquè præcipitant.

Libertatis disciplina est amor recti, honesti, & justî: ad cujus trutinam Cives, & Populus officia sua metiri debent. Contrà libertatis usurpatio licentia potius morum est, ex quâ oritur confusio quædã, & Annarchia inter Cives, sine lege, sine rectore, sine ordine, atque consilio: furentis instar belluæ, quæ tandem ultrò cadit in prædam proximo usurpatori. Divini vatis comminatio est: *Reversi sunt, ut essent absque jugo, & dabo vos in commotionem cunctis Regnis terræ.* Ejusmodi infelices exitus habuerunt omnes quasi extinctæ Respublicæ. Nulla libertas ex-

lex est: nullum Imperium sine jugo: nulla Respublica sine disciplina.



CAPUT XII.

De statu Optimatum in specie.

1. **A**liam speciem Poliarchiæ aggredior, nempe Aristocraticum Regimen, sive Statum Optimatum. Is autem dicitur: ubi penes optimos Cives ex universis electos regimen Reipublicæ, & ratio Imperij consistit, quod alij dixerunt paucorum Potestatem.


2. Hujus aliquod ectypon est in antiqua Lege: ubi ante Regum electionem sub septuaginta Senioribus charus DEO Populus Israëli regebatur. Et etiamnum confœderati Belgæ ex omnibus ordinibus eligunt Status, id est viros eximios, regendiquè peritos, qui ad clavum sedent Reipublicæ cum plenitudine potestatis.

3. An autem post exactos Reges, Roma olim ad statum Popularem, an ad Aristocraticum, sive paucorum relapsa fuerit, hærent ancipites multi ex Politicis. Cicero in fauo-

rem statûs Popularis perorat pro Rabirio: Imperium Magistratibus, auctoritatem Senatui, potestatem & Majestatem soli Populo, & in hac omnia Imperij Jura attribuens, reservatâ eidem Populo provocatione, creatione Magistratum &c. alijsquè præ eminentijs, quæ ad supremum solummodo Imperium pertinent.

Livius ex opposito sub Consulibus, & Decem-viris Aristocrantem dicit Romam, & libertatis originem indè magis, quia annum Imperium Consulare factum est, quàm quodd diminutum quidquam sit, ex Regia Potestate numerat; Jura, & insignia omnia tenentibus consulibus. Ut ut est, nobis abundè refert Roma in suis vicissitudinibus imaginem sæpissimè mixtam, aliquando Popularem, aliquando Consularem, & etiam, sed rariùs, Plebeam. Quemadmodum nimirum jactata fuit, ita etiam suos excentricos pati debuit; ut supra sæpiùs memoratum est, & ex historiâ constat, & dicetur in infra innumeris mutationibus, haud secùs, quàm mare ventis agitatam, rem Romanam fuisse obnoxiam. Adèd nulla forma Reipublicæ immunis est à lapsu, si declinat à ratione sui statûs: qui tamen lapsus non de-
Cic. in
Catil.
 let, sed mutat Rempublicam. 4. Sic

4. Sic Aristocratia degenerat in Oligarchiam, quando neglectis optimis permittitur jus Imperij tantum locupletissimis. Et sunt in hac re non solum arcana Aristocratica contra Oligarchiam, sed etiam Oligarchica adversus Aristocraticam. Utraque deinceps expendemus Laconico calamo, innixi magnis viris, Aristoteli, Tacito, Livio, Salustio, sine quibus nihil, vel parum de Rerumpublicarum arcanis posteris constitisset. Sunt & novatores quidam (pessima lues purissimæ statûs prudentiæ) qui ex præfatis Doctoribus præsertim Tacito excerpta malè applicant: non enim omnia, quæ scripsit ille, imitanda, sed ostendenda tantum voluit: quantum nimirum Dominationis flagitia improborum calliditate in Respublicas introducta aufint ex licentiâ summæ fortunæ.



CAPUT XIII.

De numero Optimatum.

1. **Q**UO magis Respublicæ ad unitatem accedunt, minus periclitantur. Non semper amplitudinem statûs componit magnus nume-

numerus Imperantium, imò Divina quædam Nemesis est: Multi Principes (septuaginta legunt) Pollentes peccata Terræ. Status Optimatum est Respublica paucorum, non multorum: ut vel inde numerus Optimatum restringi potiùs, quàm augeri debeat.

2. Fuit quorundam sensus, ut Optimates in Republicâ pauciores sint universis: quæ regula nimium concedit, & potiùs observatâ amplitudine statûs ad tertiam, quartam, quintam, & sextam partem universorum salubriter reduci potest. Sicut enim in multiloquio sæpè periclitatur veritas, ita in multitudine Imperantium multoties confusio, & non rarè anceps fides intercedit. Bodin⁹

3. Multùm floruit Lacedæmoniorum Respublica; & non plures triginta habuit Optimates: Barsalorum Viginti: Athennarum quatuor-decim: aded ut ad universum corpus Republicæ reflectendum sit, & in vastissimo, vel tenuiori Imperio plures, aut pauciores delignantur Primores, habitâ ratione multitudinis, consuetudinis, loci, & necessitatis præsentis.

4. Duûm-viratus, Trium-viratus, paucifimorum

simorum est status, fatalis sæpiùs Reipublicæ, quàm utilis. Vel enim inde exsurgit Dominatus, ut in veteri Româ: vel seditiones in Republicâ, ut priorævo in Trium-viratu Germaniæ Friderici Palatini, Marchionis Ansbacensis, & Christiani Anhaltini: qui conjuratione in Cæsarem factâ, à malevolis in Trium-Viros Germaniæ electi, susquè dequè omnia turbaverunt.

5. Certissimus ille canon Aristocratix est, ut nec paucis admodum, nec aded multis summa committatur Imperij.

In Hollandia penes Ordines summa est potestas, & omne Jus Majestatis supremæ. Componitur ex duodecim ferme viris primæ Nobilitatis, & non modicæ Potentiæ quo ad possessiones ditionum. His accedunt ex octodecim circiter Urbibus Legati, omnes ferme Viri Consulares, & Civium Magistri, aliquando etiam est Senatu Urbis Assessor quispiam, vel legum peritus. Sententiam primò locò dicit Nobilitas, deinde Urbes. Unus omnium supremus Præfectus est, cui accessit maxima Auctoritas extinctis Hollandiæ Comitibus, & exactis Principibus. In hoc Consilio quidquid concluditur; sanctum, & irrefragabile habetur. Et

Et iste est verus Optimatum status, qualem etiam olim habuit Creta, Achaia, Carthago, Samos, Rhodus, Thessalia: & etiamnum Epidaurus Illirica, Luca, Genua &c.

6. Fœdus item Belgicum septemplex, nempe ex Frisijs, Geldris, Hollandis, Zelandis, Trajectinis, Transiselmanis, & Gronongaranis, ubi Senatores subindè atque definito numero ab Ordinibus cujusque Nationis eliguntur. Hujus Concilij Principes sunt Nationum confœderatarum Præfecti, quorum conventus rarè dissolvitur, eique Ordinum fœderatorum nomen est.

7. In hoc magno Ordinum Senatu salvâ cujusque Populi, vel Nationis Majestate ea solum, quæ exfœdere sunt communia, tractantur, sanciantur, & executioni mandantur. Verùm ejusmodi fœderatus Senatus quasi improprie dicitur Aristocratia: rectius Diæta, & Congressus multorum Statuum, suis quidem quique legibus, uno tamen fœderis jure viventium, sive *Aristocratia Aristocratiarum*. Qualis apud veteres erat Amphictijonicus Conventus, cujus nexu colligati Græcorum populi, videlicet Jonij, Dorij, Achæi, Delphi, Phocenses,

censes, Dolopes, Pithy, Melienses, Medorum hostiles conatus, omnemque externam Potentiam diu à se repulere: & nunc huic non absimilis foederatus ille Ordinum Belgij Senatus maximis Europæ potentijs non minus feliciter resistit, quàm gloriosè sapius de bello, & Pace Europæ arbitratur.

8. Venetorum Respublica mixta quidem videtur aliquibus ex omnibus Statibus. Ex Monarchiâ: quia Ducem habet. Ex Democratia: Consilium enim magnum, compositum ex universis Nobilibus refert Populare Regimen. Ex Aristocratiâ: quia Senatum habet, item Decem-viros, Consiliarios, Sapientes &c. omnes veluti arbitros totius Reipublicæ.

Janot.
in hist.
Ven.

9. Hæc tamen, si ad trutinam ponantur singulatim; aliud non erunt, quàm pura Aristocratia, sive Status Optimatum. Quid enim in effectu ipso Dux, quàm primus & Nobilissimus Civis? quid Concilium magnum quàm conventus Patritiorum? quid Senatus, quàm virorum eximiorum, & præcellentium numerus? quid aliud hi omnes sunt, quàm Status Optimatum?

Dux imago Regis est, non Rex: nisi velis

lis Regem dicere sine potestate. Præest confilij, sed hac solâ prærogativâ, quodd sit Senator perpetuus. Adjungere se potest omnibus alijs Magistratibus, sed tantum par cum singulis habet suffragium: aded, ut Ducem rectius nemo dicat, quàm specie Regem, potestate Senatorem.

Honorus de
Repu.
Ven.

Magnum Concilium ex ipsâ constat purâ Nobilitate; id est Patritijs nobilibus, non civibus, & popularibus. Isti nunquam, illi mox adepto vigesimo quinto ætatis anno hujus ordinis capaces redduntur cum jure suffragandi in omnibus, quæ ad Rem publicam, & creando Magistrate spectant.

Decem-virale Collegium septendecim Senatorum numerum explet. Ex his decem numero magni Consilij suffragijs eliguntur, & ordinarij sunt. Ex horum numero singulis mensibus sorte eliguntur tres Senatores, qui Principes Collegij sunt, & dicti vulgò Capi di dieci. His accedit Dux cum sex consiliarijs, sicquè constitutum Collegium est summæ auctoritatis, ad instar (ut apud Romanos) Dictatoris potestatis. Præcipuam curam habet omnium, quæ ad Rempublicam perti-

Coto-
nizius
deRep.
Ven.

nent, factiosos, & facinorosos singulari vigilantia observat, ac plenam auctoritate, summarioque Judicio plectit delinquentes.

Seniorum sive Præconsultorum Collegium ex sexdecim Senatoribus (quorum sex primarij Patritij, vulgè Savij; alij quinque ex terra continenti, dicti Savij di terra ferma; demum quinque alij Patritij adolescentes, dicti vulgè Savij degli Ordini) componitur. His interveniunt Dux, Sex Consiliarij, Triumviri quadraginta-Virorum, causarum criminalium Præfecti, ut numerum expleant centum triginta sex Senatorum, qui omnes Patritij Nobiles sunt, ad quos pertinet oratores Principum audire, epistolas ad Senatum referre &c. Quæ rursus congregato Senatu reassumuntur, tractantur, & Præconsultorum sive Seniorum sententiæ, quibus plures quàm dimidia pars Senatorum suffragati fuerint, pro decreto habentur.


Senatus tandem ipse centum viginti Senatoribus, sive Patritijs Nobilibus constat. Sexaginta ordinarij singulis creantur annis per publica Consilij magni suffragia, eo servato ordine, ut singulis Comitij sex fiant Senatores, usque dū

sexa-

sexagesimū attigerint numerum. Reliqui sexaginta, vulgò della gionta dicti à singulis primi ordinis Senatoribus creantur, & si dimidia saltē habuerint Magni Consilij suffragia, eo anno adscripti Senatui habentur. Hisce accedunt æquali jure Princeps, Consiliarij sex, Præconfulatores, Decem-viri, quadraginta-viri, Judices capitales, Præfecti rei frumentariæ, Sanitatis, Rei nauticæ, Arssennalis, & demùm divi Marci Procuratores, qui post Ducem primus honos est: sicque constituitur Senatus iste magnus biscentum, ac viginti Patritijs, qui totius Reipublicæ curam gerunt, de pace & bello decernunt, tributa, & decimas imponunt, ad externos Principes eligunt Oratores, & ablegant: cum ærario disponunt, Magistratus primarios creant, & moderatores sunt totius Reipublicæ.

Exinde quis non videat Rempublicam Venetam merum esse statū Optimatum, adeoque optimū, quippe ex optimâ Nobilitate collectum? Vel deinceps non calleat, quanto Optimatum numero Respublica, & status Aristocraticus instrui debeat.





CAPUT XIV.

De delectu Optimatum.

1. **D**electus non minùs singulare donum liberi arbitrij (quo nihil præstantius homo habet) quàm arcanum humanæ prudentiæ est : Scire, quod est ; re expeditâ eligere. Maximum hoc in Politica arcanum ! ubi enim nullus est delectus, ubi nulla personarum distinctio, ibi aliud non emergit, quàm commixtio quædam abominabilis vitiorum cum virtutibus, proborum cum improbis : vel planè periculum ; ut pessimi quique eligantur. Vitam ego, & animam dico Aristocratix delectum ex omnibus optimorum.

Arist. 3
Polit.

2. Sed qui illi optimi ? Quos splendor commendat sanguinis : cùm præstantissimi quique ex præstantissimis nascantur, *Tuli* ait Divinus legis lator Moyses : *de cunctis Tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos Principes & Tribunos.* Hæc autem Nobilitas non solum resplendat in sanguine, & avorum imaginibus, sed etiam in se ipsâ, & in operibus suis luceat exemplo, sapientiâ, & virtute.

Deut.

Num autem soli Nobiles optimi? etiam alij. Nam apud majores id præmium virtutis fuit, ut *cunctis Civibus liceret petere Magistratû.*

Taci-
tus

3. Ast Sapientiæ illa fedes, Respublica Venetorum non alijs, quàm Nobilitati soli aditum aperuit ad gubernacula Statûs sui, verita ex Popolari multitudine turbationes, & minùs illustria fuorum facta; & licet aliquando nonnulli arbitrabantur, delectum definiri debere ex censu, & copiâ rei familiaris, tamen in contrariam sententiam itum est, & rationem subjungit Contarenius: quia homines populares, & plebei plerùmque ex sordidis artibus, rei tantum augendæ causâ, & ad æmulationem Nobilium, ingentes sibi comparant opes, ubi viri Nobiles & Cives magis studio, & illustribus exercitijs intenti potiùs jacturam rei familiaris patiuntur, quàm ut indè locupletaretur: quâ ratione fieret, ut sordidi homines (verba sunt Contareni) qui nil aliud sapiunt, quàm lucrû; bonarum verò artium expertes sunt, paulatim Rempublicam capeffant, & Nobiles inde sensim ob inopiam decidant: ideo Sapientissimi Patres hanc definitionem publicæ potestatis longè meliùs fieri censuerunt generis Nobilita-

in hist.
Ven.

te, quàm magnitudine censûs. Quantumvis, & alijs viris eximijs, & de Republicâ bene meritis, sive sint domestici, sive externi, & advenæ (inter quos magni etiam Principes, & Viri Nobilissimi) dummodo de Republicâ officiosi & meriti sint, pateat ad hanc egregiam Nobilitatem non infrequens aditus, seclusis tamen primis Reipublicæ muneribus; quæ Primoribus domesticis tantùm debentur, & deferuntur. Deinde provecctos ætate voluit Cicero Optimates: eó quòd maximæ Respublicæ per juvenes labefactatæ, per senes constitutæ, & restitutæ sint. Quibus bonorum priorum non facilè datur administratio, an concedetur Reipublicæ? Ne tamen excludas penitùs etiam juniorem Nobilitatem, cujus annos sæpè virtus supplet. Sua etiam est animi in juvenibus canities, quam vix senes assequuntur. Latent sub prima lanugine quandòque maturi spiritus, qui potiùs ad publica excitari, quàm oblivione sepeliri debent. Veneti certè etiam in consilio Seniorum, velut vulgò dicitur dei Savij grandi, admittunt quinque Senatores adolescentes, id est Savij degli Ordini, ut vel indè maturè discant ea, quæ senes facti aliquando docebunt alios.

Porro

4. Porro verus, quem exigimus, delectus largitiones omnes excludit; cum nullo mercatur, nihil vendit. Augusti edicto cautum fuit, ut qui largitionibus factis Magistratum ambiisset, quinqueñium ab eo arceretur. Malè subsistit Respublica, ubi virtutis præmia ambitione possidentur. Qui emptò capessunt Magistratum, in id facilè incumbunt, ut rursus domesticas repleant lacunas, non absque detrimento Reipublicæ. Severus Imperator luculenter dixit: necessarium est, ut qui emit, vendat: nec sine rubore puniri potest is, qui, quod emptò obtinuit, iterum venum exponat.

5. Optimates, ne sint exteri. Hi quippè Reipublicæ negotia, & necessitates ignorant potius, quàm sapiunt: Cum tamen *pernecessarium sit Senatori nosse Rempublicam*; quàm latè pateat, quid militum habeat, quid valeat ærario, quos socios Respublica, quos amicos, quos stipendiarios, quâ quisque sit lege, conditione, fœdere? tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla Majorum &c. quæ omnia licet etiam callerent exteri, non expendunt tamen ut indigenæ, qui ex natura ipsâ amant Patriam, & quibus ob facultates proprias, & posses-

Cicero
lib. 2.
de legibus.

possessiones ditionum suarum par cum Republica emergit fortunæ periculum.

6. Quantas abhinc clades, & Provinciarum defectiones tulit Hispania ! ubi enim populus Belgij suos optimates nec gubernationi Reipublicæ, nequè Principis consilio adhiberi vidit, illicò credidit eos vel à Principe contemni, vel pro mancipijs haberi, vel denique pro infidis reputari. Primum generavit aversionem, & odium tam in Principem ipsum, quàm suos Ministros : secundum libertatem suggestit : tertium planè in rebellionem induxit, quod facilè erat Populo vix domestico dominio unquam assveto. At similia prætextus erant tantùm Orangio, ubi intereà non nisi dominandì libidine flagrabat, & in turbido quærebat dominatum Belgij. Et obtinuiisset fermè tantis externorum suppetijs innixus, nisi in medio cursu fortunæ stitisset Principem rebellem Girardus Burgundus fistulâ in cor Orangij explosâ.

7. Hoc demum irrefragabile est : à delectu Optimatum pendere Reipublicæ gubernationem justam, vel injustam ; felicem, vel calamitosam.

CAPUT XV.

De Comitijs.

1. **S**Tatûs Aristocratici lex fundamentalis consistit in libertate, & plenitudine potestatis comitiorum. Ab his velut unico fonte Imperij dependent omnia jura Reipublicæ, Magistratus, judicia, leges, arma, fœdera, opes, & universus ordo Imperantium; quantumque decedit libertati, & potestati Comitiorum; tantum damni, & periculi accedit ipsi Reipublicæ. In his resident vita, anima, cor, & omnes spiritus vitales, qui universum Reipublicæ corpus vegetant, animant, erigunt.

2. Sunt igitur Comitia publicus congressus Optimatum, in quo de toto Reipublicæ statu in medium consulitur, & cum plenâ potestate decernitur.

Finis verò est ratio conservandi Statûs, sivè ipsum bonum publicum, quo collimare debent omnia, quæ in Comitijs fanciuntur.

Ad hunc finem præcipuè conducunt libertas, & securitas suffragandi. Libertas Publici rationem; securitas ipsos Optimates attingit.

3. Metus nunquam fidele consilium daturus est, & pavidis consilia in incerto sunt. In concilio Reipublicæ perniciem maximam adferre solet, quando inter consultores adulandi certamen vertitur. Si præconsultorum tanta antiquitatis autoritas habeatur; ut huic, & non rationi assentiendi necessitas sequatur, nunquã dici poterunt vel libera suffragia, vel securi consultores.

Metus, assentatio, respectus, pestilentissimum virus sunt rectæ consultationis: semper malè svadebunt, cùm benè svasisse periculum sit.

4. Prima suffragia expendi debent, si recta? non quia prima sunt. Quantas curias, & Diætas elingues videmus, in quibus dicere, quod velis, periculosum; quod nolis, miserum est. Bona Aristocratia tantam in Optimatibus auctoritatem exigit, ut hæc non sit unius, sed omnium: & ut unum non sequantur omnes, sed liberum sit in omnem partem seqvi veritatem.

Quanti inter spem, & metum suspirant, non loqvuntur veritatem? quantos perstringit potens supercilium unius, qui auctoritate magis, quàm rationis veritate, vel Patriæ zelo
non

non tam suffragatur, quàm veluti ex cathedrâ decidit, & in seqvelam necessitat aliorum liberrima suffragia? Quanti, ne demereantur gratiam, vel offam, assentiendo assentantur, ut blandissimè fallant Rempubicam? Oligarchica hæc sunt, non Aristocratica: & absint à viris cordatis.

Hanc porrò tantam Aristocratix perniciem avertet certus in suffragando modus, qui exclusis metu, blanditijs, respectu, liberrimum reddet animum consultoris.

5. Talem innuit Dion Cassius, inqviens: in causis gravioribus sententias non palàm roges, sed in tabellis eas scriptas ad te solum, ne cui alij innotescant, perferri, & lectas statim deleri, tibi autem notari satagas: sic enim unius cujusque sententiam certissimè cognosces, si eam illi à nemine alio cognitam iri persuasum habeant. Eiusmodi secreta suffragia, extra omnem metum offensionis, spémque privati meriti posita, si non semper attingunt, saltem contendunt in purissimum illum finem, qui est salus Reipublicæ. Aristocratici id maximè Reipublicæ interesse existiment, si libera comitia fiant: idcirco summam operam dent, ut suffragia Opti-

matum, & eorum omnium, qui interfunt, si libertatem volunt comitorum, quàm occultissima sint.

6. Id verò maximè in creandis Magistratibus, & majoribus Reipublicæ negotijs observandum, exemplò sapientissimæ Reipublicæ Venetæ, quæ ad puritatem, & libertatem suffragiorum apprimè attendens per tot sæcula, ad æmulationem ipsius Romanæ Reipublicæ, Status suos in primævo, & vix unquam interrupto flore conservavit, nunquam toties jactata, quàm olim Roma.

7. Methodum suffragandi in Comitijs hanc habet. Primò locantur juxtà suggestum Principis, Consiliariorum, & trium Præsidium quadraginta Virorum tres urnæ, in quibus aurei globuli, & argentei, certis literarum (ne quæ fraus subesse possit) notis inscripti conduntur. Hisque locatis sortes ducuntur, ac is Ordo Patritiorum, cujus fors exierit, altâ præconis voce citatur, qui illic se ad præfatas urnas conferunt, ac manu impositâ quisque globulum unum extrahit. Si argenteus est, nihil proficit. At si aureus: confestim Consiliario, qui urnæ præsidet, conspiciendum tradit: hic
sedulo

sedulo natam globuli examinat, & cum veram invenit, scripto notat: est enim illa nota inventa à sapientissimis viris, ne quispiam globulum imitari, & ex domo propriâ ad comitia furtim adferre auset. Ac proinde ille, cui fors aureum globulum dedit, continuo ad mediam urnam se confert, & rursus inde globulum aureum vel argenteum elevat: secundus nihil operantur, ut dictum est; primus autem efficit illum, qui extraxit, electorem, qui subito è regione Principis suggestum conscendit. Id ipsum tentant alij sequentes, donec prædicto modo forte fiant electores novem, eo tamen pacto, ut inter electores duo affinitate, vel consanguinitate juncti esse non possint.

Confecto novenario electorum numero, recipiunt se electores ad certum conclave; moventurque à scribâ publico, prælecto Senatûs consulto, quid in electionibus faciendum?

8. Post hæc novem globuli in urnam conjiciuntur numeris quisque notati, & in paginâ paululum longiore descripti sunt Magistratus, & officia, quæ tunc sub electionem cadunt. Provector ætate elector (nam ætas præcedentiam apud Venetos gignit) sortem extra-

hit : numerus forti inscriptus inspicitur , ac quo fuerit numero signatus , pro eo Magistratu vel officio Patritium , sive quemvis ex gremio Nobilitatis , uti voluerit , nominandi jus habet : idem contingit secundo electori , & sequentibus.

9. Ac proinde elector ille , cui fors primi Magistratûs per extractionem obtigerit , pronunciat liberè , ut dixi , quem voluerit Venetum Nobilem pro primo Magistratu candidatum : Super hunc alij electores sua suffragia dant : & si sex , vel plura habuerit , inscribitur chartæ , & pronunciat illius Magistratus , quem priùs fors tulit , candidatus. Quod si pauciora sex suffragijs habuerit , tunc elector ille primus alium proponere debet , & quidem toties , usque dum propositus sex suffragia habeat. Eodem modo sequentes electores agunt , usque dum singuli vacantes Magistratus singulos Patritios pro candidatis per dictam electionem adepti fuerint.

10. Post novem istos electores rursûs novem novi Electores forte fiunt , idemque faciunt , quod priores. Mox succedunt alij novem , & post hos tandem ultimi novem iisdem cere-

ceremonijs , legibus , ac modo , ut antecedentes omnes , quivè eadem reagunt , quæ primi electores , aded , ut quater novem , si-ve triginta sex electores fiant , & unus quisque ex novem proponit unum candidatum pro quolibet Magistratu & officio , sicque omnis Magistratus quatuor candidatos obtinet , nisi aliquando unius Candidati persona pro uno eodemquè officio pluriès ab electoribus nominetur.

II. His legitimè peractis recedunt electores , neque amplius in hoc suffragantur , sed Reipublicæ primarius Secretarius ex suggestu proclamat , non solum candidatos primi Magistratûs , verum etiam , quò electorum authore , & in quo ordine electorum quispiam ex candidatis nominatus fuisset. Quod ided studiosè non prætermittitur , ait Contarenus , quia legibus Lib. I. de Rep. sancitum est , ut elector ille , quo authore quisque candidatorum pronunciatus , ac electus sit , veluti fidejussor eius habeatur , si pronunciatus ab illo superatis alijs concompetentibus , & adepto Magistratu , vel officio illo , ærarium publicum malè administraret.

12. Exindè primi Magistratûs candidati secedunt

cedunt cum suis cognatis, necessarijs, ac gentilibus in conclave certū, ubi opperiantur finem electionis. Interea autem secretarius ille supremus omnes in magno concilio commonefacit, ut ei suffragentur, qui omnium optimus ac Reipublicæ utilissimus fore videatur: deinde primum candidatum nominat, à primo scilicet electorum ordine electum, pro quo in suffragia eundum sit. Extunc juvenes quidam exsurgunt, qui urnas exterius virides, interius albas unico fornice superius tectas, sub quo inadvertibiliter suffragia dimittuntur, manibus deportant ad quemvis ex Nobilium ordine, quorum quisque successivè pilulam linteam (ne ex sonitū suspicio provenire possit) ac prius publicè ostensam in utram voluerit capsidem viridem, vel albam demittit: si suffragari velit, in albam demittet, quæ interior est: si reffragari, in viridem, eamque exteriorem: hocquè, quo diximus modo, deinceps in suffragia itur pari planè ratione cum alijs sequentibus candidatis: nam apud Venetos suffragari, vel reffragari solitum est successivè, pro singulis seorsim candidatis.

13. Tandem urnæ deferuntur ad suggestum Prin-

Principis, ibique collecta suffragia effunduntur in duo vasa patula: ea videlicet, quæ fuerunt in urnis albis in vas candidum: & quæ in viridibus in viride. Consiliarij ad latus Principis dextri, numerant candidi vasis suffragia: & illi, qui à sinistro assident latere, dispiciunt suffragia in vase viridi collecta. Numerum utriusque vasis notant scribæ, & qui majorem tulit, dummodò dimidium excedat, promulgatur electus à supremo secretario: & sic, ut diximus, practicatur cum alijs sequentibus candidatis aliorum Magistratum.

14. Sin verò unius Magistratûs, vel officij candidatorum, sive competentium nullus plura suffragia, quàm dimidia omnium tulerit, præteriti hi omnes habentur, differturque electio ad alia comitia, quæ nunquam post solis occasum haberi solent; nè tam magna Nobilium multitudo, si res in noctem protraheretur, tenebris faventibus aliquid contra leges attentaret. An major libertatis securitas, an Regiminis exactior providentia, an suffragiorum par certitudo dari possit? hæreo: & præstantiorem expecto, non credo. Optandum profecto! ut ejusmodi cautelæ, & occulti suf-

fragandi modi omnibus in precio essent Rebus publicis, quæ optimis ex optimatibus deferre satagunt Summam Imperij. Optandum dico in Provincijs præsertim Austriacis, ut sancta hæc suffragandi ratio in usum transfiret! quod non ita pridem suggerebat cujusdam Provinciæ statibus quidam Patriota; sed irrito conatû, indéque prognato deinceps factionum & æmulationû continuo tumultu, cum exiguo servitio Principis, profusâ ærarij distractione, &, quod miserandum est, magnâ avitæ libertatis infractione. Divisis enim statibus intervenit Aula; cujus interventus plerûmque pulsat avitam libertatem, ex veteri adagio: Divide, & Impera.



CAPUT XVI.

De legibus Statûs Aristocratici.

1. **R**Espice, quid moneant leges, quid Curia mandet: nam in legibus sita est Republicæ salus: quid enim leges, quàm agendorum in Republica regulæ sunt? quid Magistratus, quàm viva lex? quid lex, quàm mutus Magistratus?

2. Leges,

2. Leges, quæ pars sunt justitiæ tam vindicativæ, quàm gubernativæ, eò connecti debent, ut pura semper maneat Respublica, nunquam alteretur, minùs convertatur, aut desinat esse Aristocratia.

3. Primævis veterum moribus, ac institutionibus, quæ plerùmque sunt fundamenta statûs totius, leges conformes funto, nec recedant à primo fervore, sed vel augeant, vel confirmant ea, quibus olim cæpit, & crevit Respublica. Dionis Cassij monitum est: *positas Lib. 52* semel leges constanter servate, nec ullam earum immutate: nam quæ in suo statu, eadèmq; semper manent, et si sint non nihil vitiosa, utiliora sunt tamen his, quæ per innovationem, velut meliora inducuntur. Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.

4. Unde in rebus novis constituendis evidens utilitas esse debet; ut recedatur ab eo, quod diu æquum visum est. Contingit tamen aliquando, ut vel ex progressu temporum, vel ex inertia Rectorum quædam invehantur in Rempubliam, quæ si non corrigantur, vel coërceantur renovatâ vi legum, efficere possent; ut ip-

fa mutaretur Respublica : tali casu oportet leges præsentis statui Reipublicæ conformare. Ars præstantissima est scire Rempublicam resolvere ad prima principia; ut vel inde velut in speculo intueri liceat, quibus inchoavit, quibusvè se conservavit legibus Respublica. Hanc, si quidpiam vitij contraxit, revocare norint Optimates ad sua instituta prima, & antiquarum legum novis sanctionibus corrigere profluens in vitia sæculum.

5. Leges Aristocraticæ universos comprehendant absque exceptione Optimatum, ac sine distinctione Civium, aut Populi totius. Licet Jura Majestatis legumque sint penes Optimatum Collegium; singuli tamen non solum vi directivâ, sed etiam coactivâ subjiciuntur legibus, ac statutis Patriæ. Quia ut singuli considerantur Cives, & subditi Reipublicæ; non Domini, & exleges.

6. Firmamentum verò legum est ipse zelus, & rigor observandarum legum, maximè in materia statûs, ubi bis peccare nunquam permittatur. Veneti tres Magistratus cum censoria potestate creârunt, quos ipsi Tres Viros indagandis Civium moribus appellant: pollent hi

maximâ authoritate, inquirunt sagaciter, procedunt summarîè, condemnant sine respectu, & plectunt terribiliter. Unius sæpè nocentis absolutio totius Reipublicæ est afflictio:

7. Leges in statu Aristocratico Optimatum potentiam moderari, & in æqualitate civili conservare debent. Æqualitas Aristocraticæ authoritatis basis est; quâ sublatâ desinet esse Aristocratia, & exsurget deinceps Oligarchia: ubi non Optimi imperant, sed quibus majores vires, & potentia sunt. In antiquâ Româ familia Appia pleròsque habuit viros Oligarchicos, unde ea familia à Livio improbissima & superbissima appellatur. De Pompejo scribit Velleius: Civis in toga (nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modestissimus, omnium penè vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima, in Civitate liberâ, Dominâque Gentiû indignari, cùm omnes Cives jure haberet pares, quenquam dignitate æqualem conspiciere.

8. Præstant in hoc Veneti, quibus semper magnum fuit conservandæ æqualitatis, non minùs, quàm ipsius libertatis studium. Præpotentia etenim libertati semper insidiatur. Idèd neminem ex optimatibus temerè, qui

vel insigni virtute, vel spiritu in gerendis rebus
cæteris antecellat, nimio plùs crescere, vel
collectâ gratiâ potentem, & clarum fieri pa-
tiuntur.

Jovius.
Hist.
Lib. 1.

9. Leges Aristocraticæ neminem ad Sena-
tum admittant, qui aliquâ subjectione tene-
tur Principi externo. In quo planè admirabi-
lis est Venetorum vigilantia, quam etiam Gal-
lorum Annalista deprædicat inquiens: Vene-
tum Senatum, qui meritò omnis civilis pru-
dentix officina vocari debeat, id diligenter ca-
vere, ut sacris initiati nullam Reipublicæ par-
tem attingant.

Thua-
nus lib.
23.

Quin etiam Hermolaum Barbarum, Pa-
tritium meritissimum, exilio damnârunt,
quodd, cùm legationem Romanam obiret, in
Collegium Cardinalium se cooptari sineret non
requisitâ priùs super hoc serenissimâ Republicâ.
Aded omnis comunicatio cum externis suspe-
cta est liberis Rebuspublicis.

Bodin⁹
de Rep.
lib. 3.

10. Leges deinde ad ipsam formam, ac na-
turæ Populi accommoda, & non Populum, vel
Rempublicam legi. Non optimam simplici-
ter legem volo; sed optimam Aristocratix,
quam informat. Imperfectus Populus, & vitio-
sus

sus perfectissimam legem haud tolerabit. Neque propterea malam ejusmodi judicabis legem, sed convenientissimam finis, & statui presentis. Lex Ostracismus in statu Regio exorbitatio quaedam esset Tyrannidis, ubi in statu Aristocratico & Democratico conservatio est publicae libertatis, & aequalitatis. Non omnibus omnia conveniunt, licet optima sint: & pretiosissima pharmaca necant alios, alios praeservant. Ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum: sua singulis propria sunt, non universis. Leges subditorum moribus non probatae, vel alterant Rempublicam, vel saltem non obligant ex praesumpta Legislatoris mente, ut docent Theologi.

Livius

Canis.
in summa
lib. 1.
tit. 3.

II. Tandem leges aeternae sint, & quas Populus instar oraculi habeat. Primum obtinebit merces, vel poena: alterum ipsa honestas, utilitas, & facilitas legis.

Lycurgus, ut reverentiam suis legibus conciliaret, non eas suis civibus tradere voluit, priusquam Oraculi judicio, ac testimonio comprobarentur: cum enim Delphicum Apollinem sciscitaretur, an Sparta sub Lycurgi legibus felix foret? Respondit Oraculum: Spartam

tam tantisper fore beatam, quoad præceptis hujus viri obediret.

Hoc testimonio armatus Lycurgus majori autoritate leges condidit, easque non tantum, ut decreta hominum; sed veluti inventa, & jussa Deorum promulgavit. Demum, ut æternitatem suis legibus jungeret, jurejurando obligavit cives nihil de suis legibus mutaturos interea, donec Delphos iret, & rediret. Ille verò Cretam abiit, ibique spontè perpetuum exilium egit, abijcique in mare ossa sua moriens jussit, ne relatis Spartam solutos se jurejurando cives crederent, legesque indè tollere, aut mutare præsumerent.

12. Porrò salus Populi suprema lex, legumque Regina, arbitra, & moderatrix est: unde evenire aliquando, ut jam suprà insinuatū est, ex accidenti potest, ut evidens Reipublicæ utilitas (quod notandum) veterum leges antiquare, vel antiquas moderari, vel novas subrogare, suadeat: quæ enim conservandæ Reipublicæ causà lata sunt, in ejusdem necem damnumque tolerari non possunt. Desinit esse legis ratio, quæ Reipublicæ est exitio. Tempora,

pora, & eventus mutant non minùs consilia, quàm Imperia.

13. Theramenes Atheniensibus svavit, ut muros diruerent; sed Cleomenes objecit svadenti: pudere debere svadentem muros dejicere, quos Themistocles invitis Spartanis exstruxit. Ego verò (respondit Theramenes objectanti Cleomeni) Themistocli contrarium nihil ago: quos enim ille muros excitavit pro salute publicâ, hos ego ex eadem causâ demolandos svadeo. Profectò salus Populi, præsens necessitas, futurum periculum, unica est legum omnium ratio, agendorum norma, consiliorum cynosura, ac statûs universi moderamen.

CAPUT XVII.

*De arcanis Regiminis Aristocratici
adversùs plebem.*

1. **S**unt quædam Arcana Nobilium, per quæ plebs obliquè, & per ambages à jure Imperij, atque administratione Reipublicæ abstrahitur. Simulatur etenim agi de ple-

bis salute, cùm intereà plebs in servitutem potius disponitur, & humanitatis prætextu in officio continetur. Nam cùm populus sui rationem habere cupit, subitò contentus redditur, quando ejus ratio habetur; factus est illi fumus, licet destituatur offa.

Lib. 4.
Polit.
c. 10.

2. Magnus ille Politices Professor Aristoteles quinque innuit arcana, sive sophismata, quæ ab Optimatibus apud Populum prætexuntur. Nempe Comitia, Magistratus, judicia, arma, & armorum usus (verba sunt Philosophi) circa comitia licere omnibus, id est, tam Primoribus, quàm Plebæis adesse, sed pœnâ dictâ Patritijs tantùm, si non adsint; non Plebæis. Circa Magistratus autem non licere his, qui magnum censum habent, renunciare Magistratui, Plebi verò licere. Circa judicia pœnam decernere Patritijs, nisi jus dicant Civibus; plebi verò impunè. Eodem modo circa arma; Plebæis non necesse sit habere arma, Patritijs verò pœna constituatur nisi habeant: illi, si se in armis non exercent, minimè plectantur; Patritij verò puniantur: adedque hi metu pœnæ, arma tractare compelluntur, illi impuniti ab armis abstinent.

Hæc

Hæc sunt , ait Aristoteles , optimatum artes , sive arcana consilia adversus Plebem : cùm enim pauperes , & plebæi exosi Imperium Optimatum excutere fatagunt , tunc hi , ne Respublica turbetur , justè ac sapienter possunt sub prætextu popularis boni superbam multitudinem vel speciosis promissis , vel datâ Indulgentiâ quorundam privilegiorum pro solis plebæis incautos lactare : ubi intereà alius finis non subest , quàm coercere plebem , quæ semper adversatur Aristocratico regimini.

3. Sic olim mulctâ non levi constitutâ apud Lacedæmonios ad comitia , Magistratus , arma , & præsidia vocabantur Optimates , ubi plebæis citra pœnam licebat abesse , eratque illis liberum Magistratui renunciare , judicandi munere non fungi , non de armis sibi providere , nec in præsidij excubare. Ejusmodi statuta putabant plebæi in sui favorem lata fuisse ; sed eò tantùm tendebant , ut sub hac specie libertatis Plebs vel in otio , vel in privatis suis negotijs viveret , minimè intenta , aut obligata curis Reipublicæ. Sicque solùm Optimatibus absoluta maneret administratio Imperij. Arcanum hoc efficacissimum est Ari-

stocratix adversus Democratiam. Sicut enim plebs summè indignatur se contemni, & præteriri: ita facilè delinitur, si ejus aliqua ratio habeatur. Sufficit plebi copiam sibi dari Reipublicæ; mox ipsa abstinebit ab illâ, maximè si nihil inde lucri speret. Plebi vile decus publicum est, privatæ rei magis satagit. Ejusmodi arcana requirit necessitas, & in necessitate jubet prudentia, prudentemque astum cohonestat ratio boni publici. Ubi vis non potest, ars prævalere debet: nec vi uti oportet, ubi artis remedium sufficit. Solerter deinde provideant Optimates, ne largitiones, aut conventus fiant apud plebem: de quo Patres increpabant olim Consules, quod passî sint Spuriij Mellij largitiones, & cætus plebis in privatâ domo: idèdque Manlium Capitolinum de Capitolio, quod defendebat, dejecerunt: quia videbatur distributione frumenti inter Plebem, eam sibi velle addictiorem facere, quàm conveniret Reipublicæ.

4. Apud Romanos creatio Dictatoris maximum erat Patritiorum munimentum: quia Dictator supra ipsos Tribunos Plebis erat, nec licebat ab illo provocare. Unde apud Liviũ

Tribuni Dictatorum Fulmen in se creatum agebant: nam adversus vim dictatorem nec Tribuni plebis (licet ipsis amplissima fuerit potestas) nec ipsa plebs oculos at tollere, vel hiscere audebat. Hocque arcano creandi Dictatoris toties utebantur Romani, quoties veluti sagaces Ministri ex speculâ providebant vel Tribunorum Plebis insolentias, vel in Comitibus tumultuantis Populi clamores, vel alicujus novæ legis promulgationem.

5. Aristocraticum etiam est, ut Patritij Urbem, quæ caput rerum habetur, nunquam deserant: ipsis enim absentibus facilè Plebs nova quæquæ moliri, auctoris externus propter largitiones, & spes novas, quibus populares mirè trahuntur, per Plebem introduci potest. Ita olim Romani Senatores in devastatione Gallica Urbis Romanæ maluerunt non solum in Urbe, verùm etiam in ædibus, & currulibus suis emori, quàm Urbe egredi. Eamque ob causam inculpant Politici Pompejum Magnum, cæteroquin heroem prudentissimum; quod Urbem caput rerum adventante cum exercitu Cæsare, deseruisset.

Florus
in hist.

6. Cavebatur quoque olim in Lege 12. tabularum his verbis: Patritij cum plebæis connubia ne jungunto. Affinitates etenim plebæjorum demunt Patritijs authoritatem, & invehunt quandam cum fangvine familiaritatem, quæ tandem contemptum parit, & ex contemptu obsequium declinat, sæpè etiam sæpiùs ipsum Imperium invadit: Livius alias quoque causas adducit, nimirum quòd ejusmodi connubia colluvionem gentium, perturbationem auspiorum publicorum, privatorùmque afferant, ne quid sinceri, ne quid incontaminatissit: ut discrimine omni sublato, nec se quisquam, nec suos noverit, ita Livius.

7. Quemadmodum autem dictâ 12. tabularum lege cautum fuit, ne Patritij se Plebæis jungant: ita ex Ratione statûs & arcano Aristocratico adversùs Monarchiam admitti facilè non debent coñubia optimatum cum Regum Principùmque filiabus, sororibus, agnatis, aut proximè junctis.

Regius namque honor est quinta quædam essentia Dominationis, cujus vel unica libata guttula occupat totum palatum, movétque sensus, ut esse velit quispiam, quod non fuit,

nimi-

nimirum ex optimate Princeps, maximè, si ad-
minicula, & spes auxiliij adsit ex Regiâ domo.

8. Et hoc si non? alterum tamen certò eve-
niet certius, ut Regij affines, soceri, vel agnati,
quibus Aristocraticum dominium ex naturâ
odiosum sit, ejusmodi optimates uxorijs leno-
cinijs corrumpant, explorent, suisque planè par-
tibus adjiciant, ut ex Patritijs tandem fiant Pat-
riæ proditores. Modernæ id cavent, & Vete-
rum Respublicæ verebantur.

9. Tacitus de Asinio Gallo refert, quòd is ^{1. Añal.}
nunquam Tiberium, licet ipsi nomine Reipub- ^{c. 12.}
licæ, quam volet, deferret Imperij partem,
delinire potuerit; eò quod Asinius ex Senato-
rio ordine Vipfaniam Marci Agrippæ filiam,
quæ quondam Tiberij uxor fuerat, in matrimo-
nium duxisset, indèque *plus, quàm Civilia*
agitaret.

10. Eâdem de causâ Tiberius Syllanum Cre-
ticum ex Præfecturâ Syriæ dimoverat, quòd
Germanico, qui absolutâ potestate omnibus
Provincijs cis mare, adeoque Syriæ etiam impe-
rabat, affinitate jungeretur, pactâ Syllani filiâ ^{2. Añal.}
Neroni vetustissimo ex liberis Germanici filio. ^{c. 45.}

11. Quantum rei fecit Piso propter Planci-
nam

nam uxorem, summis ortam natalibus? dedig-
nabatur quasi ullum honorem in Republicâ pe-
tere; ipsòsque Tiberij filios despiciebat. Aded
thorus cum amore communicat ambitionem.

Ibid.

12. Prudenter respondit Sejano Tiberius,
cùm Liviam duceret, suâque obsequia Tibe-
rio renovaret. Falleris Sejane, si te remansu-
ram in eodem ordine putas, & Liviam, quæ
Cajo Cæsari, mox Druso nupta fuerit, eâ men-
te acturam, ut cum equite Romano senescat.
Major an sangvinis, an dominandi libido in fœ-
minis, in incerto est.

13. Ad hoc appositè Fridericum Comitem
Palatinum excepit Angliæ Regis filia, sponsa
sponsum: si tanti animi es, ut filiam Regis pe-
tas, tanti quoquè esse debes, ut de Regno ipsi
provideas. Abinde Regnum Bohemiæ affe-
ctavit: sed bis sextilis tantùm Rex factus, se
fabulam fecit Europæ, miser planè ex integro,
nisi clementia Austriaca redintegrasset Prin-
cipem.

14. Regiæ nuptiæ Wilhelmum Nassovium,
Patrē non pridem demortui Wilhelmi Angliæ,
ed impulerant, ut conspiratione factâ in Amste-
rodamū impetū meditaretur; & fortè ex servo

confœderatorum Belgarum Regem, aut certè Dominum se fecisset, nisi Battavi vela huic navi sustulissent, priusquam ventum potuerit capere. Suspecti sunt illi Optimates, qui se Regio commiscent sanguini.

15. Sunt præter dicta, etiam alia arcana Aristocratix adversus Populares. Videlicet Populum semper occupare curâ, & metû alicuius imminentis belli: omnis enim Respublica aut habet, aut expectare debet suos hostes. Item Religionis, pietatis, non tam specie, ut Ethnici aliquando faciebant, quàm ipsâ veritate plebem imbuere: sicut enim superstitione olim, ut Tacitus inquit, efficacius remedium non fuit; ita etiamnum apud Christianos Religio, Sacrorum reverentia, Numinis metus plurimum facit ad obsequium coërcendi Populi: maximè si per Divinos Præcones ex sacro pulpito inculcetur plebi, omnem potestatem esse à DEO, cui citra piaculum resisti non potest. Sic Saxones, quibus Carolus M. Episcopos, eosque viros pios, & religiosos præfecerat, metu Numinis ferociam excusserunt, atque aliàs ferro indomiti, Religioni tandem succubuerunt.

16 Dividere quoque Populum, est bene Imperare

arcanis perare. Divisus in se Populus se ipsum consu-
 Rerum mit : nec se facile optimatibus opponet viribus
 pub.lib distractis. Prima ferocia plebis est periculosa,
 a. c. 9. quia communiter est unita. Tepescit cum tem-
 pore, cum alia quemquè studia, alij fines in di-
 versas trahunt partes, præcipuè verò ductori-
 bus plebis vel sublatis, vel delinitis.

17. Est etiam arcanum ad frangendam Ple-
 bis potentiam: si constituatur coloniarum de-
 ductio in alias Provincias. Sic olim Romæ quie-
 Livius tam & exoneratam fecit plebem deducta in
 lib. 10. colonias multitudo: quod arcanum aliquan-
 do in Reipublicæ perniciem vergit, si translatis
 nimirum civibus transferantur opes, vel vires
 Reipublicæ. Utiliter tamen accidit apud gen-
 tes nuper devictas, ne vires reassumant distra-
 ctæ. Ita Carolus M. Saxonum turbulentam
 olim Nobilitatem supra tricenis millia tum in Ita-
 liam, tum in Galliam, tum etiam in Daciam,
 quæ hoc ævo Transylvania dicitur, deduxit.
 Undè etiam nū in media Transylvania viget lin-
 gua Saxonica, & à Saxonum colonijs dicuntur
 civitates Saxonicæ.

18. Rursus aliud Arcanum Aristoteles in-
 nuit lib. 5. Polit. cap. 9. inquit: *In quibusdam*
 civi-

civitatibus nunc jurant ; & denunciant Populo omne odium : expediret autem simulare, & fingere contrarium , atque ita juramentum concipere : non afficiam Populum injurijs. Noster sensus est : Polliceri publicè , & cavere plebi de Injurijs : ut aliunde reverà tenentur Magistratus citrà omne figmentum, aut simulationem ex ipsa ratione muneris, & Imperij: quod idè olim in Principes , & Magistratus collatum est , ut veluti sub tutelâ publicâ securi viverent cives. Non idè tamen desinet esse magnum hoc arcanum trahendæ in obsequium plebis, quis enim insurget in suos tutores?

19. Fastus Optimatum , rejecto à curis publicis totaliter populo , invisus redditur universis. Idè viri prudentes, licet re ipsâ non teneantur communicare partem Imperij populo: tamen ita se continere nôrunt, ne videantur omnia Aristocraticè , & ex plenitudine potestatis agere. deferunt minutias populo , ut majora soli audeant. Istud svave est arcanum, quod populares credere facit se servitutum totam non pati. Et ejusmodi (quæ in se mala non sunt, nequè in Oligarchiam declinant) simulare agi, licet non agantur, nemo de ge-

te, quam habent, securè, & cum effectu utantur, præmittere debent auctoritatem, quæ quasi Civium animis illapsa reverentiam illis conciliet, & respectum.

2. Parit conversatio frequens contemptum, raritas conciliat ipsa rebus admirationem. Unde ad auctoritatem non modicum conducit abstractio, sed moderata: quæ nimirum novit miscere solitudinem frequentia.

3. Promptitudo, & alacritas juvandi Cives, & agendi pro publico magnum auctoritati addit pondus. Præstent se semper Optimates arbitros rerum: præstèd sint periclitanti Reipublicæ: foveant Cives, concilient dissidia, semoveant à Republica pericula, precia minuant, pacem inducant, factis que egregijs ostendant se esse dignos, qui imperent cæteris Civibus.

4. Audire plurima, respondere pauca, agere multa, clementer alloqui, rigorem temperare, augere præmia, promissa explere, Jus citra respectum dicere, in adversis fortiter stare, in prosperis non excedere, seria miscere jucundis, & in Optimatis persona popularitatem non exuere, auctoritatis præclara sunt fulcra; quibus illa innititur, & securè utitur potestate

Aristocraticâ, aliàs multùm exosâ Popularibus.

Specialia tamen quædam sunt, quæ sibi comparare debent Optimates,

5. Ac primò quidem religiosum quendam horrorem in plebæis, ut planè nefas, & sacri- legum sit Optimates, velut supremos ministros totius Reipublicæ, & vicarios quasi Numinis in mundo (cùm omnis potestas sit à DEO, cui vè si quis resistat, DEO resistat) in perso- na contumeliâ quâcunque afficere, pulsare, ne- dum occidere. Imò lege statuunt, ut nemo Patritius, nisi in criminibus planè exceptis, ad supplicium peti, trahi, vel plecti possit. Atque hoc erat, quod teste Livio, monebant Decem- Viri apud Romanos Aristocraticum Regimen inchoaturi, ut ipsis ab invidiâ caveretur, ne Patres suo sanguine ad supplicia plebem affve- facerent.

6. Armorum deindè usus plebi pedetentim tollatur, & solis Patritijs liceat publicè ense, vel frameâ cingi. Potissimùm autè non sinant juven- tutem Patritiam urbano luxu lascivire, sed tra- ctandis armis assvescere, hostes ferire, prælia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, fra- ctam fidem, & quæ nobilem hominem pro- stituunt.

Arstoteles 6. Politicorum capite 9. ver-
batur inquiens : Gubernatorum filij delicijs
operam navant ; tenuiorum, ac Plebeiorum ve-
rò Gymnasijs , atque exercitijs militaribus :
itaque & volunt, & possunt res novas moliri.
Cives armati facilè rebellant. Ubi robur ar-
morum consistit , ibi Respublica potentior est.
Nobilibus arma , ligones plebæis maneat.
Romani nequè planè in seditione servorum ar-
mari plebem voluerunt : ne quidpiam armata
posset præsumere. Ut summatim dicam : Pa-
tritij ab alijs , vulgò civibus , fermè in omni-
bus, cultu, decore, exercitijs, studijs, incessu,
victu, amictu distingui, & singularem for-
mæ dignitatem, majestatemque corporis præ-
ferre debent. Etiam Barbaris hominibus in
corporum majestate veneratio est : magno-
rumque operum non alios capaces putant,
quàm quos maximè specie natura donare dig-
nata est.

Sic Optimates Veneti vestitu venerando
ab alijs dignoscuntur : sic Musulmani apud
Turcas, & olim apud Romanos Equites, &
Patritij per mediam lunulam in calceis, per an-
nulum in digitis, per phaleras peculiare in
ornatu

ornatu eqvorum, & per ipsum eqvum, quo publicè donabantur: apud Athenienses per torquem, si quem Nobiles è collo suspendebant. Quæ omnia idè instituta, ut Senatoribus, & Patritijs sua ex distinctione cultûs à plebæis deberetur reverentia.

7. Et quia res adversæ authoritatem immi- nuunt; atque penuria rei familiaris reddit familias Patritiorum despectibiles, æqvum est subvenire fortunæ illorum, qui fatalitate temporum ad incitas redacti, non ampliùs ducere possunt decorem Patritijs convenientem. Sic Hortensiorum Familiam nobilissimam jovit Senatus Romanus profusione in illam decies festertium, quæ summa ascendebat ad 62500. patacones.

8. Quod si etiam aliquæ ex Patritijs familiæ defecerint, omnind optimi, optimisque ex civibus in ordinem Patritiorum aggregentur, quemadmodum testibus Livio, Tacito, & Floro apud Romanos usuveniebat; atquè sic dum aliquibus ex vulgo per virtutem, præclaraque gesta aperiri videtur posse additus ad splendidiorem ordinem, majori studio plebs profectetur ordinem Patritiorum, cujus capax est;

nec

nec infurget faciliè in illorum Imperium, cujus membrum esse, & partem habere potest.

9. Unde si quandoque Patritij leviora quædam commiserint negotia Reipublicæ popularibus, multum id addet existimationis, & amoris erga Optimates: compellabunt hos Patres Patriæ, nutritios Reipublicæ, & Civium libertatis assertores. Imò aliquando, & fermè semper salubrius condescendant furenti, & tumultuanti populo: fræna laxent, & ex indomitis domiti reddentur. Plebs licet stringatur, stringi tamen videri non vult.

10. Excudit faciliè jugum, si prematur. Maxime si authoritatis fumus controvertitur, quem populares magis affectare, quàm exercitare gestiunt. Connivendum tunc, & dissimulandum. Non poterit multum refractaria esse, nisi impingat in oppositum silicem. Acquiescet facilius, si sinatur. Optimates nunquam se collidant cum plebe, sed vel ex speculâ prævideant pericula, antequam nascantur, & avertant à longè, & insensibiliter. Perspicaciâ magnâ hic opus, ut prævideant: prudentiâ, ut dissimulent: diligentîâ, ut avertant: ubi jam latè patet incendium, gelidâ opus est,

non bituminosis. Multitudine perturbatâ nihil efficient obices. Resiliet indè fortior, & ferocior. Ubi oppositum non inveniet, per se cadet.

II. Hujus grave extat exemplum apud Livium. Volebant aliquando Populares, ut ex Plebeio etiam ordine, non tantùm ex Patritio, ut solitum erat, crearentur Consules. Multis id contentionibus ventilatum fuit: & prævalebat Populus. Quid tunc Patritij? permiserunt voluntati eorum. Intereà mulcebant cives, placidissimis verbis se insinuabant, cõivebant, laudabant. Magnâ id prudentiâ factum, & rara hæc dissimulatio (ut & aliàs semper solet) gloriosum finem obtinuit. Eventus eorum docuit, ait Livius, alios animos in contentione libertatis, dignitatisque: alios post deposita certamina incorrupto iudicio esse. *Tribunos enim omnes* (qui Consulari potestate sepositis Consulibus tunc imperabant) *Patritios creavit Populus contentus eò, quòd ratio habita Plebeiorum esset.* Hanc modestiam, æquitatémque, & altitudinem animi ubi nunc in uno inveneris, quæ tunc Populi universi fuit? effecit hoc prudentia, & dissimula-

mulatio Patritiorum, quod fortè non effecissent integri exercitus, ut sæpe apud Romanos visum est in collisionibus mutuis, & intestinis bellis.

12. Postremò errant gravissimè illi optimates, qui auctoritatem suam, & existimationem tueri, & ampliare fatagunt per rigorem & sævitiam, quam natura humana abhorret. Nolunt homines, belluas habere Dominos. Nemo patitur leoninam divisionem. Summum Jus, summa Injuria; & summum Imperium est Tyrannis. Homines regitis, O mei vos Optimates! non pecora campi: Cives vestri fratres sunt; & communione civili, & naturali subditi vestri vobiscum unum corpus faciunt, quorum vos caput estis. Quis in sua membra delinquet? quis in sua Viscera ferrum movebit?

13. Verùm sævitix hujus prima pars est, per immensas exactiones depauperatio, & quasi emedullatio Civium. Justum quidem, & Aristocraticum est Cives in æqualitate continere, ne uni liceat plus, quàm omnibus sive in luxu, sive in apparatu, sive in clientelis: &c. iniquum tamen foret, si ærarium publicum planè exhauriret opes privatas, vel subvenire nollet egestati quandòque Civium: Iniquis-

simum autem, si ipsi Optimates in particulari privatorum bona invaderent, plus æquo scenerentur, prædia, & domos Civium diriperent, vel alijs artibus sangvinem pauperum exfugerent.

Ejusmodi Optimates repræsentat Octavius Lepidus, & Antonius apud Romanos: apud Athenienses verò triginta Tyranni, de quibus Dion Cassius,

14. Altera pars sævitix est ipsa nimirum crudelitas in Cives, quàm exercere solent illi Optimates, qui sibi plus timent, quàm Reipublicæ; & Optimos Cives, quorum periculosam sibi autumant virtutem, promiscuâ fraude tollunt, accusatores instigant, innocentes in judicium compellunt; & si ejusmodi non sufficient, planè sicarios subornant: Ut de Decem-Viris scribit Livius: & ut Sulla perpetuam Dictaturam affectans fecit apud Romanos, à quo fasces tenente plurimùm habebat, qui plures cives interemerat: neque occisi hostis, quàm Civis, Valeri⁹ Paterc. uberius fuit præmium, & quisquis fiebat merces mortis suæ.

15. Porro: quantum crudelitate Sulla, tantum Appius Decem-vir in statu Aristocratico

tico peccavit libidine, & injustitiâ; qui ut Virginiâ virgine ingenuâ potiretur, præviâ fraude egit, ut eam probaret natam ex servâ suâ: & cum hoc non succederet, vi ipsam à patre tentavit abstrahere. Undè tumultus, & seditio, & finis regiminis Aristocratici, ut Tacitus insinuat inquiring: *Non Sullæ longa Dominatio, neque Decem-viralis potestas ultra biennium.* 1. Ann

Ejusmodi non benevolentiam conciliant, non auctoritatem fulciunt. Omnium hostem omnis oderit. Beneficum nemo despiciet. Turpis præda à Civibus. Dissimulatio armis sæpè potentior est. Curritur in obsequium rectè Imperantibus. Virtutis fama omnium oculos in se convertit. Solitudo horrorem, frequentia contemptum, medium inter hæc, respectum confert, & reverentiam. Præclara gesta comitatur auctoritas, & viri singulares semper in precio sunt.

CAPUT XIX.

De ambitu Optimatum.

1. **Q**Uæcunque ambitus facit, ambitio facere compellit; hæc enim est, immoderata

derata gloriæ, potentiæ, & honoris libido: quæ in Republicâ viros ed incitare consuevit, ut publicos honores, & Magistratus vilibus & abjectis artibus, ut putâ blanditijs, precibus, largitionibus &c. contendant. Quemadmodum olim Romani, dum honores, & Magistratus affectabant, singulos circumire, dextras preffare, polliceri, rogarequè, ut se suffragijs iuarent, satagebant. Inde derivavit ambitus, peffis illa & flagitium maximum Aristocratix, ex quo tot mutationes Imperiorum, excidia Rerum publicarum, cædes, bella, seditiones, & tanti malorum montes exorti sunt, ut suspirare liceat:

Colit hîc Reges, calcet ut omnes,
 Perdâtque aliquos, nullûmque levet:
 Tantûm ut noceat, cupit esse potens.

2. Ejusmodi obviare licebit occultis artibus, five arcanis politicis, *impediendo*, *amovendo*, etiam *tollendo*. Quibus itaque incumbit electio, quærant ad clavum Reipublicæ illos, qui non quærant: quærentes impediunt, ne ad clavum offendant potius, quàm illum rectè gerant. Invitos, non ambientes in Senatum introducendos dixit Lampridius.

Ambientes etenim statim, ut ad honorem promoti sunt, in superbiam extolluntur: non curant prodesse, sed gloriantur præesse: præsumunt se meliores, quia cernunt se esse superiores: dedignantur amicos, vultum avertunt, cervicem erigunt, fastum ostendunt, sublimia meditantur, subditis onerosi, arrogantes, graves, & importuni.

3. Etiamnum staret Roma, si ambitum suorum Optimatum observasset in tempore. Distant nunc alieno periculo modernæ Respublicæ suis malis mederi, nec sinant unquam unum aliquem in Republicâ ex Optimatibus ita potentem fieri, ut ex arbitrio suo omnia administrare audeat. Et multò minùs tolerant, ut aliqui ex potentioribus se conjungant, vel mutuo fœdere constringant, ut olim Julius (Cæsar postea dictus) spe occupandæ dominationis societatem cum Pompejo, & Crasso iniit, nequid ageretur in Republicâ, quod displicuisset ulli ex tribus: ut priori ævo Orangius, qui Belgij arbitrium affectabat, conjunxit se cum Egmontio, & Hornano Dynastis ex Belgio nobilissimis, qui ex prætextu conservandæ Ordinum libertatis atrociora agebant, quàm hostes, infelici tamen vitæ epologo.

4. Non

4. Non defunt speciosi prætextus viros præpotentes aliò ablegandi; ad honorifica, sed onerosa promovendi: quod si deinde suspicio major intercedat, mox revocandi, & , ut expedire Reipublicæ visum fuerit, tractandi.

Nonnè Tiberius Germanicum, ob auram militum, sibi suspectum revocavit ex castris in Urbem oblato Consulatu, qui merus prætextus erat; re ipsâ abstraxit illum tantum à cursu suarum victoriarum, unde Germanicus præpotens reddebatur.

5. Et profectò in Optimatum regimine res maximi periculi est summum Imperium uni tantum diu committere; sit illud jam politicum, vel militare. Exprobravit id Cicero Cæsari: *Quid impudentius? tenuisti provinciam per decem annos, non tibi à Senatu, sed à te ipso per vim, & factionem tibi datos: præterijt tempus non legis, sed libidinis tuæ. Exercitum habes diutiùs, quam Populus jussit, invito Senatu.* Dictatura siquidem olim apud Romanos sex tantum mensibus durabat: & ad exercitus promovebantur, & avocabantur belli Imperatores ex arbitrio Populi, vel Senatûs.

6. Prorogatio Magistratum sæpè Reipublicæ fatalis fuit: liquet id exemplo Julij Cæsaris, liquet etiam Octavij Augusti. Illius Dictatura, & hujus Tribunitia Potestas utrobique perpetua extinxit planè Senatûs, Populique Romani æquè libertatem, ac Reipublicæ sustulit majestatem. Arbiter uterque factus Patrum, & Monarcha Imperij.

7. Et quid, DEUM Immortalem! Reipublicæ interest prorogare uni, quod centum alij expectant? si autem prorogatio ambiatur, hoc ipso suspectum est in Republicâ liberâ, ubi omnibus ad honores aditus patet. Injuria quædam est in plures, si uni permittitur, quod pluribus debetur. Hinc cumulatîo etiam Magistratum, atquè honorum, si non injusta, saltem æqua non est. Pari ratione sæpius deferre uni eandem potestatem periculosum est, ne illi assvescat, & ex assvetudine possessionem velit. Marcus Rutilius secundò in Censorem electus graviter perstrinxit populum inquiens: id repugnare antiquo usui, sufficere sibi semel, quod nondum alij habuerunt: rursus novâ lege cavit, ne cuiquam posthac censuræ Magistratum bis ambire liceret; cujus ipse exem-

plum esse voluit. Et quia præpotentia unius, alteriusve Optimatis non repente exurgit, sed sensim: ideo observari debent tales è longinquo. Si vires crescunt, roburquè augetur; deme, onera, diverte, semper caveto, nunquam fidas. Hoc vir prudens absque fraudibus, & dolo, ac sine injuriâ efficere potest: ratio enim publica semper prævalet, & resistentia hæc non fit (ut suppono) ab alijs, quàm ab ijs, quibus ex officio incumbit, & medijs ejusmodi utuntur, quæ vel adiaphora sunt, vel pœnalia: illa nec legi nec rationi repugnant, hæc sine causâ non adhibentur.

8. Abstrahere media ad majorem potentiam, impedire periculosos conatus, attendere sollicitè ad dicta, & facta, animadvertere in excessus; uni tollere, quæ alteri licitè dari possunt, nullam merentur Synderesim, & in omni statu licet resistere conatibus, quæis privata auctoritas insurgere, & publica pati posset. Ideoque tales obices jure opponi possunt ijs, qui Reipublicæ nocere aut audent, aut possunt.

9. Sic ignaviâ Childerici 4ti. Francorum Regis Pipinus palatij præfectus, Caroli magni pater, ex ministro aulæ in tantum crevit, ut

tandem ad thronum vocaretur ex privato Rex factus. Sic diminuta est Romano-Germanici Imperij Majestas, quod nimis, quam ratio statûs ferret, Principibus, Ducibus, Langravijs, Marchionibus, ac Comitibus connerent Cæsares: & (quod planè ingentis erroris fuit) ejusmodi titulos, qui tantùm priûs officia temporanea, benèque meritorum fuerant præmia, in hæreditarium & territoriale jus converterint. Indè potentes facti Optimates illi, formidandi magis Cæsari, quam in obsequium trahendi. Guisiorum in Galliam, qualem priûs nec Reges habuerunt, potentiam, & invidendam planè auctoritatem, auxit nimia Regum clementia, & conniventia. Privatæ potentæ vel modus, vel finis statim ponendus est.

10. Verùm præter spem, metûmque accidit nonnunquam, ut quispiam ex improviso, & repenti, vel per occultas artes, vel per largitiones, clientelas, arma, connubia, hæreditates præpotens, & Reipublicæ de seditione sufficienter suspectus reddatur, ut illa (quod in subitaneis & seditiosis casibus fieri solet) nesciat, quo se ponat, quidvè incipiat?

Tales antiquitùs fuerunt Sullæ, Pompei, Sciani &c. Et posterioribus sæculis fermè in omnibus Rebuspublicis, Regnis, & Imperijs innumeri: quibus parcit calamus. Ejusmodi ordinariè vel affectant, vel planè jam possident supremam potestatem.

Magnâ hîc in similibus seditionis casibus dexteritate opus est. Absint vehementes motus, & impetus; potiùs struantur pedicæ, ut se ipsum capiat, & decipiat, & semita illi sternatur in præcipitium. Silentium, & dissimulatio anima sunt talium negotiorum: esca illi propinetur, ut majorem spem concipiat, & sui ipsius prodicione palàm reus fiat. Subornari etiam possunt æmuli, & invidiæ flamina suggeri: neque oberit populum, ac Plebem clam concitare in ejusmodi odium, qui publicam tranquillitatē seditione turbare affectat. Ante omnia verò sibi ipsi reddi debet securus.

Ejusmodi ruere facient incautum, & suis viribus tumentem præcipitabunt. Sic Romani Manlij potentiam, teste Livio, per ipsam plebem aggressi suis ipsum oneratum viribus ruere fecerunt. Sic Tiberius usque ad epulas dementavit, & oppressit Libonem; Sic Alexander

der Philotan ; Sic Mecenus Lepidum. Ars hæc est arcanissima, vel suis viribus sternere elatum, vel dementare usque ad supplicium incautum.

II. Constare tamen debet de crimine, & esse causa periculosa: quæ duo si conveniunt, esse potest omnis forensis processus, & attendi debet, ut causa publica liberetur à periculo, & seditiosi opprimantur in herbâ sine morâ, aut indulto. Singulares sunt in hoc Veneti: & olim Svetonius, & Tacitus viri gravissimi approbaverunt istud in supplicio Sejani.

Ex morâ non sopiuntur, sed augentur vires in ambitiosis, factiosis, & seditiosis. Hi in jus non sunt vocandi, sed ut hostes puniendi. Lex illa prima in Codice *quando licet se sine iudice vindicare* declarat, inquiens: melius est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare.


12. Si Titus Cæcinam non oppressisset ante cænam, quid factum fuisset post cænam? ubi chirographum ipsum conjuratæ adversus se ad fores stantis militiæ apud interfectum Cæcinam deprehendit. Quantum Senatui, Populoque Romano imminabat periculum, si Me-

Velle-
jus.

cænas speculatus non fuisset præcipitis consilia juvenis Lepidi? eoque mirâ celeritate, nullâque cum perturbatione rerum, & hominum oppressio immane novi, ac resurrecturi belli civilis restinxit initium. An non intestino bello jam vel confecta, vel ab externis usurpata fuisset Gallia, si Henricus tertius in Guisio Principe plus æquo potente, & arbitro quasi Regni, tam seditiosis suis subditis, quàm externis Regni sui inuasoribus caput, spem, & authoritatem repetitis vulneribus non præcidisset?

13. Mitior in hoc est Domus Austriaca, & teneriori synderesi procedit cum suis factiosis Magnatibus: sed velided semper patitur repululantes, novosque (veluti in Lærnxâ quondam hydrâ) seditionum authores cum maximis suorum Regnorum, Provinciarumque incommodis, atque periculis. Ejusmodi extrema & prærupta, extremis etiam & præruptis remedijs mederi liceat. Publicæ animadversiones aliquando periculosæ sunt: in carcere diu detentos nutrimus potius, quàm tollimus seditiosos. Testimonijs non egemus, ubi de facto constat. Nec accusatore opus habemus, ubi reus suis sceleribus convictus est. Præsumptiones vehementes

mentes in causis periculosis instar veritatis sunt. In crimine læsæ Majestatis, in perturbatione Reipublicæ, in conjurationibus, & seditionibus etiam voluntas punitur, dummodo initium facti, id est seditionis, vel conjurationis habeatur. Et si cuiquam nimius iste rigor videatur, existimet illum ratione boni publici compensari: causa etenim publica, ratio conservandi statûs, salus Populi suprema lex, & Regina legum est; cui omnia jura privata cedunt, & inter duo mala minus eligere audet. Deflectit illa quandoque à jure, non tamen à justitiâ, quæ semper causam publicam, veluti pupillam naturæ humanæ novis privilegijs prosequitur.



CAPUT XX.

Varietas regiminis in antiquâ Româ ostenditur.

I. **R**oma vicissitudinibus suis obnoxia rard in se quieta, fluctuabat semper, mergebatur, quandòque etiam jam peribat. Verùm ex inopinatò novis consilijs aucta, in ipsâ sui mutatione, dum cadebat, sæpè sæpiùs felicior surgebat,

surgebat, omnem regiminis formam aut passam, aut gloriabatur in eâ. Leges jam accipiebat obtemperanter, mox dictabat arroganter, raro totam servitutem tulit, neque totam libertatem unquam amisit. Reassumpsit in thronum Reges, quorum etiã nomen aliquando ejuravit. Adoravit consules, Dictatores, Patres, quos deinde per Tribunos plebis turpiter despexit. Miscuit Plebejam Patritiæ potestati, & Patritiam in tantum evexit, ut factum Tyrannorum quanddque ferre debuerit. Denique vivum ectypon facta varij regiminis, sic ferente vel Populi genio, vel alijs occultis causis.

Cœpit enim verò anno creati mundi ter millesimo, bis centesimo, decimo nono à Regibus Romæ Imperium, & per longam ducentorum quadraginta quatuor annorum seriem continuavit sub Regibus,

Primi fuere Romulus, & Remus æquè sanguine, ac dominandi libidine æmuli, hostesque, ut etiam primi urbis muri madere debuerint fraterno cruore.

2. Ab excessu Romuli unius anni Regno intervallum fuit, idquè occupavit Aristocratia, centenarius videlicet Patrum numerus, in de-

cem Decurias divisus, ex quibus singulidelecti cum potestate supremâ Imperiû exercebant in exiguum duntaxat quinque dierum tempus. Hancque brevitatem temporis excepit vixdiurna continuatio regiminis. Nam tantorum dominium exosum multitudini redijt inter anni spacium ad primævam Regni formam assumpto in Regem Numâ Pompilio, omnis Divini, atque humani juris viro consultissimo. Tuncque dependebat ab uno Roma viro.

3. Numam Tullus Hostilius; hunc Ancus Martius; Ancum sequitur Tarquinius priscus, non Romanus, sed origine Corinthus, cui à prædecessoris progenie, nimirum Martijs fratribus in ipsâ Regiâ Regni clavus post triginta ferme & octo Imperij annos securi intercifus fuit. Is familiæ suæ adlegerat Servium Tullium, ex matre quidem servâ natum, sed supra natales moribus optimum: cui in sponsam datâ Regiâ filiâ generum, & sibi veluti focero adversus suos interfectores Marci Anci filios vindicem reliquit. Hunc fati functo focero auctoritas Senatûs Regem voluit, sed additum assequi non potuit, nisi prius feliciter confecto Verentino bello, & quidem *Populi jussu*.

Regnavit annos quatráginta quatuor, penultimus Romani Regni, & nimium mitis in ultimum, videlicet Tarquinius superbum, quem sibi generum voluit, & affectati Regni palam reum plectere noluit, ejusdem scelere, & sicariâ manû occubuit.

4. Itaque Lucius Tarquinius (peripsema Regij nominis, & ultimus à Romulo Regum) non tam obtinuit, quàm rapuit Romani Imperij habenas. Superbi nomen illi dedit innata moribus, & sangvini arrogantia, quam Romanus Populus graviolem ipsâ servitute putavit, ejusque impotentia cogebatur post Romulos conditores, Numas religiosos, Tullos bellatores, Ancos civiles & populares, Priscos beneficos, Servios legislatores Regnum usque ad nomen odisse. Hinc omnibus exosus Tarquinius, cum in amore civium nihil spei reponeret, metu Regnum tueri gestiebat, quem ut omnibus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consilijs per se exercebat, perque eam causam occidere, in exilium agere, bonos, optimosque cives mulctare audebat non suspectos modo & invisos, sed undè nihil aliud, quàm prædam sperare posset. Ad Pa-

tris scelera accessit filiorum libido, & Lucretiæ optimæ matronæ turpis violatio. Cujus emortuæ cadaver in foro expositum ed commovit animos universorum, ut publicis clamoribus unius potestatem execrarentur, & proscriptâ servitute omnes libertatem suspirarent, tandemque expulsis Regibus sibi revendicarent Urbis Imperium.

5. Hoc pacto actum erat de Regibus, quorum potestas deinceps delata fuit in duos Consules, unius anni lapsu definita. Et quia Livio teste, nihil diminutum tunc fuit de Regia potestate Consulibus, videbatur consulare Imperium remansisse Monarchicum: nisi duorum numerus excluderet unitatem, quæ Monarchiæ, sive Regij statûs natura; & ultima differentia est. Consules dicit Polybius, non quidem nomine, sed potestate Reges: nos dicimus, quia non unus sed plures, ideóque Aristocratici fuere. Dualitatem excludit Monarchia; pluralitatem includit Aristocratia: utraque Regiâ potestate fungitur.

6. Primum Consulatum meruit (qui author fuit proscribendæ Monarchiæ) Brutus. Collegam habuit Lucium Collatinum. Hic post

eliminatam à Romanis regiū nomen suspectus Populo factus ab regum sanguinem (erat enim ex stirpe Tarquiniâ) antequam fasces assumeret, consulatum innocens deponere iustus exemplum dedit in Aristocratiâ non solum regum sanguinem, sed etiam memoriam Regum abominabilem esse. In Aristocratiâ, & ubique aliàs, ubi ratio statûs controvertitur, in æquitatem non videtur delinqui, si etiam innocentes, dummodo rationabiliter suspecti, ob mala adversus Rempublicam aliquando possibiliter extitura, metuantur, impediuntur, ac etiam removeantur. Bis peccare periculosum est, ubi semel ratio publici periclitari potest. Dura videtur quibusdam hæc lectio, & bonæ Justitiæ contraria, si admittat innocentiam posse ex sola suspicione premi: sed tales justâ bilance ponderent, & expendant, an non magis reflectendum sit ad periculum Reipublicæ, quàm ad privati hominis innocentiam, vel merita, maximè ubi rationabilis est suspicio, & solum justitia distributiva intercedit, non justitia commutativa, vel pœnalis, aut capitalis sententia. Hoc per transennam ad scopum redeo.

7. Tarquinij Collatini locum supplevit Publius

lius Valerius, qui consulari potestati, ut auram populi haberet, multum detrahens populo attribuit, & Optimatum statui popularem potestatem induxit, dictus deinceps non amplius Publius Valerius, sed Publicola, id est, *salutem publicam colens*. Legem etenim tulerat illam, quam Livius firmissimum Populi propugnaculum dixit. Nimirum, ut supplicio afficiendis Romanis Civibus provocatio permetteretur ad Populum contra Magistratus publicos, & ipsos Consules. Sic enim provisum erat Populo non solum de auctoritate maximâ, verum etiâ de securitate, ne Patriciorum arbitrio Civium vitæ exponeretur.

8. Insuper sanxit, ut quæstores ærario darentur, ne Consules ex possessione publicarum opum insolescerent, & nimias vires contraherent. Tandem aliâ rursus lege de interficiendo quovis, & à quovis, si quis vel Regnū svaderet, vel illud affectaret, conclusit. Aded infestabat Publicola Principatum, & favebat libertati populari cum præjudicio etiam optimatum, ideoque multoties in consulem electus.

9. Duravit præsens status Consulium, in quo etiam Populi Authoritas multum potuit, & fer-

mè sub Publicola prævaluit, decem, ut Livius scribit, annis. Quibus elapsis induxit Populus Monarchicam quandam potestatem sub dictatoris nomine, an pertæsus Optimatum Imperij, an subornatus ab ijs, qui rursus in Republicâ unius Principatum suspirabant? in incerto est. Sanè Dictatoris potestas plus, quàm Regis fuit, & hoc solo distincta, quod semestri spatio exspiraret. Aliàs indefinitam habuit potestatem domi ac foris, in Sago & Togâ, maximè in rebus arduis, trepidis, extrâ ordinem disponendi, imperandi, vi liberrimâ, solo suo arbitrio, â quo nec ad consules, nec ad Populum ulterius provocabatur. Vix olim Reges tantum potuêre.

10. Restringebatur attamen hoc dictatorum Imperium hac lege, ut dictator nec cum Dictaturâ, nec cum exercitu Italiam egredi: nec (ut dictum est) supra semestre tempus ejusmodi summo Imperio potiri auderet. Et hoc idèd, ut si moliretur nova, â Senatu, Populòque Romano observari, & in oculis haberi posset: neve amplissimâ potestate in viscera ipsius Reipublicæ abuteretur: ut tractu temporis Sulla attentavit, & Cæsar perfecit.

Hic tamen Dictatoris summus Magistratus non erat ordinarius, sed tantum, cum gravis, ac perplexa Reipublicæ exigeret necessitas. Eligebatur ab uno, cui facultas à Senatu ex consulibus, & ex consulum ordine; non in comitijs, nec in campo, sed privatim, nocte intempestâ, & ex improvise, quoties præsens rei status ferebat. Quæ omnia Aristocratica esse, quis non perspiciat?

II. Verum exorta tractu temporis tam externa bella, quam domesticæ seditiones, ac Civium ex urbe secessiones gravissimis calamitatibus Consulibus, & Optimatum statum affecerunt. Nam post Volscum bellum compressosque hostes primum cætus miscebant occultos cives, & plebei; nova insuper molientes, quod indignè ferrent obæratos, & tenuiores cives malè tractari à sceneratoribus & divitibus, remedium quidem promittente, sed non præstante Senatu. Igitur cum Sicinio seditionis authore conjurat quasi Populus universus, seceditque trans flumen Amiennem in sacrum montem circiter à urbe tria millia passuum.

12. Prævidebant tunc Patres, quanta moliri audebit tantus Populus, & verebantur Reipubli-

ex excidium. Unicum supererat, non vis, non arma, sed Menenij Agrippæ prudens consilium, qui vir gratus Populo pollicitationibus supra vires, Populum retinebat, & placabat.

13. Sopita tandem seditio, regressique Cives, licet non nisi gravissimo pacto & conditione, quæ si non abolevit Imperium Optimatum ex toto, ad minus infregit, & Popularem auctoritatem, si non supra evexit, saltem commiscuit Aristocratico regimini.

14. Et hæc illa est Tribunitia auctoritas, sive plebis supremus Magistratus, sacrosanctus, invictus, & quovis alio in Republicâ Romanâ major. Sine hoc nihil potuere Patres, & siquæ agebant, syndicabantur à Tribunis plebis, imò vetabantur, & (quod planè mirum est) unus Tribunus plebis, si contradicebat, etiam consentientibus alijs Tribunis, nihil actum à Patribus censebatur. Inviictam singuli Tribunorum auctoritatem habebant refragantes sibi, aut populo contradicentes in carcerem detrudendi.

Ut Summatim comprehendam cum Tacito: Tribunitia Potestas summi fastigij vocabulum fuit, atquè idem Quinctij apud Ciceronem
sensem

sensum amplector. Natâ potestate Tribunitiâ gravitatem optimatum cecidisse, & convalescuisse Jus multitudinis.

15. Porro, quia multitudine nihil ferocius, nihil instabilius, & instar æquoris tot jactatur fluctibus, quot privatæ rei intentionibus, atque studijs eâ maximè tempestate, ubi nulla lex scripta, certa, aut stabilis illum jam nimiâ libertate, excussioque jugo lascivientem, & instar indomiti equi currentem populum continere potuisset; visum fuit prudentioribus, post trecentos à conditâ Româ fermè annos, ut Anarchia isthæc, sive confusio popularis, quæ jam jam Rempublicam perdebat, legum Religione restitui posset. Decem-viratum, sive decem virorum collegium instituere, hoc videlicet fine, ut leges conderent scriptas, certas, universales; legumque forent arbitri, quibus inquietam multitudinem, internasque collisiones, ac præsertim Tribunitiæ potestatis abusum moderari, ac in pristinum statum ex legem populum, legum Imperio reducere debebant. Sicque ex Democratiâ exurgens Anarchia, id est plebeiorum insolens regimen, Decem-virorum autoritate, & sagacitate sub-

latum, & rursus in Rempublicam Optimatum Imperium sub specie ferendarum legum introductum est. Decem-viratus etenim summus erat in Republicâ Romanâ Magistratus, Consularem, Regiamque habens potestatem, suspensis intereâ alijs omnibus curijs, judicijs, & officis; donec provideretur de legibus, quæ veram, rectamque formam Reipublicæ constituerent.

16. Annuus erat iste Magistratus, & ex nobilissimis quibusque electus: sed non in longum duravit, aut Populi rerum novarum avidi inconstantiâ, aut Decem-Virorum ambitione; qui non solum majora attentantes, quàm videretur expedire Reipublicæ, verùm etiam perpetuitatem Magistratûs ambientes, facti exosi Populo, præcipuè propter Appij scelus Virginie vim intentantis, locum dedere novo regimine mutandæ Reipublicæ. Nam post ejectos Decem-viros Consularis potestas in Tribunos militum collata fuit, videlicet Magistratum Reipublicæ supremum. Evenit autem hoc pacto:

17. C. Canutejus Tribunus Plebis apud Patres protestabatur, ut deinceps liberum foret, seu de plebe, seu de Patritijs indifferenter Consules

creandi, quod antea nunquam fuit; nam nobilissimis quibúsque tribuebatur Consularis honor cum potestate quasi Regiâ.

Idèd desuper exacerbati Patres, quod iniquum esset, ut de plebe hominibus plerúmque insolentissimis aperiretur aditus ad Consulare fastigium, cùm jam ab ejectis Regibus, tot decursis sæculis, per libera Populi suffragia solummodò Patritij eveherentur ad Consularem dignitatem. Irrisit hæc Canutejus, & plebem repetere id dixit, quod jam olim sui Juris esse poterat: in populo vim, & Majestatem Reipublicæ esse: ejus arbitrio deferri, & tolli honores.

Tandè, ùt in trepidis rebus esse solet, eò conventum est: ut Tribunos militum consulari potestate æquè ex Patritijs, ac plebe creari sinerent; de Consulibus verò creandis nihil mutaretur: eoque contentis Tribunis plebis contenta fuit plebs,


Interea autem, dum Magistratus Tribunorum militum duraret; Patres nullum Consulem creabant, ut nimirum consulatûs nomen illibatum, & integrum Patritijs maneret, nec se imposterùm, cùm iterum mutaretur Respublica, plebeius ordo de exercitato Consulatu jactare, vel usucapione prætereundere possent.

18. Post octoginta circiter annos Magistratus iste vi intrusus, nec legitimè elatus Augurum decreto rejectus, locum cedere debuit Consulibus, qui Tribunis suffecti Reipublicæ Romanæ gubernacula suscepere, adjunctis tamen sibi cum summâ potestate Censoribus, qui honor maximus, & Plutarcho fastigium quoddam honorum omnium, & quodammodo omnium in Republica actionum consummatio.

19 Tandem Oligarchia invasit Rempublicam, ubi Optimatibus plus æquo ampliata potestas, commissi exercitus, datæ opes publicæ, prorogati Magistratus, & in partes distracti Cives. Oligarchia, quæ paucorum præpotentia est, in Trium-viratu Crassi, Pompei, & Julij vigebat: licet isti in omnibus dissidebant, in hoc uno tamen convenere, invadendæ nimirum Reipublicæ. Cæsar occupabat Galliam, Crassus Asiam, Pompejus Hispaniam. Decem annis duravit Oligarchicus iste Trium-viratus: æmulatio finem posuit, & invidia unius in alterius potentiam. collidebant se, sed magis Rempublicam. Roma tunc facta pomum Eridis, non trium esse potuit, sed unius. Crassum mors prævenit apud Parthos.

rem ferre non potuit, nec Cæsar parem. Itum igitur in arma: quibus pessumdabant Rempub-
 licam, non augebant: liberrimæ urbis Cives sæ-
 viebant in seipfos, ut unus vinceret, daturus
 hoc unum illis victoriæ præmium, quo omnes
 rediget aliquando in miserrimam servitutem.
 Ita factum. Vicit Julius Pompejum. Cecidit iste,
 & cum isto libertas Romana. Perpetuus enim
 exinde factus Dictator Romæ Julius, Cæsar pla-
 nè dictus, & nihil â Principe, nihil â Monarcha
 differebat: hoc solo nomine usurpavit omnia
 jura Romanæ Reipublicæ, cui tandem dictavit
 legem perpetuæ servitutis. Hæc pœna est mag-
 næ libertatis. Hic inter Optimates æmulationis
 finis. Hoc dissidentium Civium remedium, ut
 uni pareant omnes, qui singuli malè imperâ-
 runt. En tibi Politicæ Romæ tam variè dilaceratâ,
 & per omnes Imperiorum formas probatam!
 erit illa in omne ævum ectypon varij regiminis,
 & vel ided admiranda, quod tam diu steterit
 semper instabilis. Magnum Æquor magnos flu-
 ctus, magna Imperia magnos motus habent.





CAPUT XXI.

Causæ mutati Statûs Aristocratici.

Non expendo causam universalem vicissitudinum, quæ DEUS ipse est, quivè ut singulis hominibus, ita Regnis, ita Aristocraticis, ita Democraticis statibus certos posuit limites, certa constituit tempora, *ad tempus, & tempus* scripturæ divinæ effato. Propiores, & causas particulares rimabor; quæ vel pendent ab universis, vel à multis, vel à Imperantibus, vel obseqventibus: hîc morbus latebit: huic medela parabitur.

1. Ego à capite incipio (quia non major est morbus, quàm à capite) ab Optimatum nempe injustitiâ, avaritiâ, crudelitate, intemperantiâ, & multis discordijs. Justitia firmat solium: & Regnum de gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias. Respublica illa diù stare non potest, ubi Superiores pervertunt judicia. Ubi non est pudor, nec cura juris, instabile Regnum est. In libero statu, pluriûmque Imperio vis, & anima, & robur Imperij

in legibus est: quibus solutis necesse est, ut totus status dissolvatur. Quid enim Corpus est sine animâ, nisi cadaver? quid potestas sine vi, nisi fabula? Quamprimum videbis in Republicâ solvi legum vincula, tempus est, ut de fine libertatis, & conversione statûs cogites; etiamsi nulla armorum vi petatur.. Exemplum est Roma vetus, de quâ ita Historicus: æmulatio ordinum, & par in multis, nec unquam diu bonâ fide temperata, aut concors potestas legum rogationem & administrationem corrumpit. Dum modò hic ordo, modò ille sui studiosos, quasi in alterius invidiam adversus leges tuebatur, usque tandem Oligarchia successit, & exinde Cæsarum dominatus.

Dion
Cassius

2. Avaritiam optimatum, expilationem subditorum ajo, & pauperum oppressionem. Væ, Isaiæ qui spolias, nonnè & ipse spoliaberis? quam securitatem sibi pollicere possunt Optimates, si illos opprimunt, quorum auctoritate stant, & præfunt? Quis exteris illis Provincijs odium Romani Senatûs incussit? Respondet Justinus: *rapacitas Pro-Consulum, sectio publicanorum*, lib 38. *calumnia litium.*

3. Crudelitas Optimatum metum in populo exci-

excitat, metus odium, ex odio infurgit rerum novarum desiderium, & ex hoc spes melioris Reipublicæ. Quantum exindè Optimatum statui decedere possit, & in veteri Româ decessit, liquet ex Tacito, Dione, & Livio.

4. Vitæ intemperantia, libidines, & raptus proximo Optimatibus sunt exitio. Hæc Reges expulerunt Româ in Tarquinio, & finijt Decem-viratus sive Aristocratia in Appij scelere. Hæc causa fuit, ut Hispaniam occuparent Mauri, Siciliaeque possessione defraudarentur Galli. Imperio indignos existimant subditi, qui sibi imperare nesciunt. Odit alia vitia in Primoribus suis populus: at raptus, & libidines implacabiliter persequitur.

5. Discordiæ demum inter Optimates gravissimum malum Reipublicæ inducunt, & Civilem illam membrorum harmoniam, ac capitum cum cæteris membris consonantiam confundunt; ut inde non aliud sperare, vel metuere potius liceat, quàm lapsum Aristocratiae, & mutationem statûs. Nam vaticinio divino *Regnum in se divisum desolabitur*. Tenent conjuncta, soluta solvunt. Ubi se collidunt pastores, armentis appropiant lupi. Et regulariter jam,

& olim in Rebuspublicis (maximè in nationibus illis, ut Boterus advertit, quæ cæteris ingenio præstant, quales fuere Athenienses, Megarenses, Syracusani, Florentini, Genuenses &c.) succedebant divisis vel sublatis Primoribus Imperia Tyrannorum, aliquando plurium, aliquando paucorum. Quid egit Pisistratus, quid Pericles, quid Sylla, quid Cæsar? quid alij ex Optimatibus facti Invasores Patriæ? passim liquet ex veterum monumentis. Quid passæ prioribus ævis modernæ Respublicæ, quid Genua, quid Florentia? De hâc argutè ex parnasso Boccalinus: Florentinos Principes ex primâ Taciti paginâ tam excellentes Medicos evasisse, ut gangrænam discordiæ Florentinæ sanare potuerint. Tertius gaudet, ubi duo discrepant, populus & Primores. Et hæ ferme sunt in Optimatibus mutationum causæ.

6. Variæ, nec minùs certæ sunt in populo: sed præcipuè duæ: aut nimia libertas, aut turpis servitus: rarè viâ plebs mediâ graditur. Exorbitat semper in excentricos; aut insolefcit, aut desperat; aut insultat, aut adulatur. Utrumque extremum consequitur ordinariè mutatio Reipublicæ.

Nimia libertas in populo temeritatem par-
turit & inconstantiam, ut rerum novarum cu-
pидitate perpetuâ agitur, indèque facilè ju-
gum optimatum excutiat, & rapiatur in effre-
nes motus.

7. Athenæ Solonis legibus quàm optimè
institutæ, sed quæ plus nimio libertati faverent,
intra quadraginta annos, ut Boterus testatur,
mutationem statûs, & Pisistrati tyrannidem
perpeffæ sunt. Nec enim est aliud plebeios
primoribus libertate pares efficere, quàm in
ruinam Rempublicam præcipitare. Quanti!
quamquè optimi viri, tunc populari insolenti-
tiâ oppressi, relegati, mulctati, extincti! ut
vel hoc unicum sufficiat malorum maximum
Rempublicam optimorum præsidij nudari,
ac nobilium decore privari.

Cecidère deinceps Athenæ sub jugum tri-
ginta tyrannorum plebei ordinis. Verùm his
postaliqua tempora semotis ed tandem in licen-
tiam abiit nobilissima Respublica, ut expilato
publico ærario tota sese ignaviæ, otio, & vo-
luptatibus dederet, quousquedum priùs in-
victa, totque Persarum cladibus clara Mace-
donum armis, quorum planè nomen obscu-
rum

sumerat, vinceretur. Hæc clades fuit ab insolentiâ libertatis, quam plerûmq; pedissequa consequitur turpis servitus.

Enim verò turbatâ Republicâ, & jam concussâ plebe prodeunt in medium potentiores quidam (unus, aut plures) qui planè tollere cogitant reliquias libertatis, & servitutum inducere satagunt malè feriato populo, sicque lenocinijs demulcent, & rerum novarum spe alliciunt in obsequium adhuc palantes, & desperatos cives, ut, qui priùs libertatis gloriâ fumabant, jam velut in obsequium nati videantur. Hæc natura vulgi est, ut prosperis successibus insolescat, & per adversos casus concidat, seque perdat, & expansis ulnis sui oblita in turpem servitutum prouat.

8. Mæcenas arcanum istud in Oratione ad Augustum retulit inquiens: potentes primi esse cupiunt, & infirmiores mercede conducunt, omnia sursum, ac deorsum ferunt, aguntque. Id per centum fermè annos à Gracchianis turbis usquè ad tempus mutatæ in Oligarchiam Aristocratix perpeffa est Respublica Romana.


Hoc illud necessitatis obsequium est, quod

viri optimates, qui Oligarchiam, vel Tyrannidem inducere volunt, inter arcana affectatæ dominationis reponunt, ut neminem generosum, insignemque virum patiantur inter familiares suos versari, nisi ad obsequia depressum. Ejusmodi abjecti animi pro stipe aulicâ vendunt publicam libertatem. Inserviunt, qui imperare poterant, alienæ ambitioni. Splendorem addunt violentæ Majestati. Exemplo cogunt cæteros in turbem servitutem, existimantes præsentia esse tutiora, & vetera periculis obnoxia. Ecquis dubitabit, quin hoc rerum statu insurgent tales, qui tantorum obsequijs fulti vident etiam viros cordatos maledictâ illâ civilitate in turpem degenerare vilitatem, ut præstantissimam quamque Rempublicam avitâ exuere audeant libertate, oblatâ nimirum per obsequia purpurâ etiam privato Civi. Ego Labeonis incorruptos mores magis amo, quàm Capitonis obsequia. Conclamatum erat de Romana libertate, ubi ipsi Patres, quis Augusto Cæsari affectanti Dominatum priùs deferret obsequia? invicem decertabant. Tunc fari licebat: venalis Populus, venalis curia Patrum! quàm turpis hæc fuit servitus

Tacit⁹
 3. añal.

vitus

vitus, tam insolens erat olim libertas. Ut quisque Status à Populi arbitrio sejunctior, ita in sui firmitate diuturnior, & stabilior est.



CAPUT XXII.

*Quibus arcanis, malisque artibus
Optimates invadunt libertatem, & Do-
minatum usurpant.*

I. **A**Rma civilia nunquam ita felicia sunt, quin luctuosa. Felix quidem specie tenus Respublica, in quâ post domesticos turbines, pacis reflorescit oliva. Sed, Proh! flos iste post interna dissidia plerûmque convertitur in feralem facem, quæ sensim absumit totam Reipublicæ libertatem. Solent etenim in discordijs, & bellis intestinis superesse quidam præcellentes viri, qui armorum felicitate tumentes post sublatos æmulos, devictosque hostes pacem quidem dant Reipublicæ; pacem, inquam, non suis armis, sed Civium cruore emptam. Pacem, dico potius oppressionem, & exanimationem Reipublicæ, quàm superstitibus illi plus æquo potentes occultis arcanis

rursus in ordinem redigunt, ut illa citius experiatur se Principem habere, quam libertatem perdidisse.

2. Quanta ejusmodi Europa dedit exempla! nonne post intestinas Belgij clades, ejectisque ex provinciâ Hispanis, ac restabilitâ ordinum auctoritate, Orangius superstes ex demortuis, vel supplicio affectis, Hollandiæ, ac Zelandiæ, specie donationis ab Alenconio factæ, dominatum affectavit, cæterique Belgij imperium invasit assumpto *Ruarti* nomine, qui Magistratus in Belgio, ut olim apud Romanos Dictatoris fuit, cui suprema in omnes potestas. Nonne post Regicidium, mutuâsque in Angliâ cædes aliud non sub protectoris nomine Cromwellus præferebat, quàm trium coronarum Monarchiam, vel potius Tyrannidem? Nunquam potestatis, nec potentix tantum deferebat suis legitimis Regibus Anglia, quantum iniquissimo homini. Nonne, & aliæ gemunt Europæ Respublicæ à proprijs suis civibus oppressæ? parco nominibus, quæ in exemplum referri possent.

3. Interea inspiciamus Romam ex Aristocratia in Oligarchiam conversam, quæ societate

trium Optimatum Crassi, Pompei, & Julij universum penè orbem occupavit. Asiam tenebat Crassus, Hispaniam Pompeius, Julius Galliam. Hi erant Trium-viri Reipublicæ, cui decem annos non ut Cives, sed ut Domini graviter incumbabant. Quia verò dominatus societatem fermè non patitur, extinctis duobus, unus supererat Julius, qui perpetui Dictatoris nomine (Oturpe simulachrum!) omnia mox sub potestatem accepit, factus primus Romæ Monarcha.

4. Præcidit quidem hoc primum Monarchiæ filium Marcus Brutus, & Cajus Cassius non minùs homicidiali ferro, quàm zelo primævæ libertatis. Verùm illicò in medium prodijt non solum paternarum, quæ ingentes erant, facultatum, sed & fortunæ, imò arcanorum Imperij, & hæres, & successor, & imitator Octavius Augustus. Is in speciem, & in simulachrum prioris Oligarchiæ rursus cum M. Antonio, & Lepido Trium-Viratum, & societatem inijt, illorum viribus & armis ad sua cæpta usurus. Florus ita ait: Igitur ordinatâ magis, ut poterat, quàm ut debebat in Trium-viros Republicâ, relicto ad Urbis præsidium
Lepido,

Lepido, Cæsar cum Antonio in Cassium; Brutumquè, cæsaricidas succingitur. Utrúmque ad Philipopolim acie vicit, & in illis (quod miserandum) omnes antiquæ libertatis zelatores; uno superstite Sexto Pompeio Magni filio, quem etiam deinde ope Antonij fugavit, & in Siculo freto extinxit.

Obstabat etiamnum Augusto Lepidus ex Africâ redux vir magniloquus, qui præ Augusto sua merita jactabat, sibi que Siciliam attribuebat. Verùm Cæsar ex improvise Lepidum aggressus fudit, cepit, omni que imperio, ac armis vanissimum hominem exuit, sicque divisum Augustus cum Antonio imperium nactus fuit, sed parùm Antonio diuturnum. Nam hæc Imperij communio non multum post utriusque animos divisit, ut undequaque per factiones, & arma flagraret Roma, ac rursus civilibus dissidijs periret. Ast super omnes Augustus felix Actiaco prælio de summa Romanæ Reipublicæ fortissimè disceptans vicit Antonianam, Brutianam, Cassianam, Pompejanam factionem, & solus Cæsar remansit.

5. Hæc quippè Rerumpublicarum fatalitas est,

est, ut post multorum de imperio certamina desinant fermè in Oligarchiam, sivè paucorum potestatem: Hæc autem, ut rectè notat Buxhornius, se facilè vertit in Monarchiam, sive Dominationem unius, qui aut melior cæteris sit, aut viribus major. Hinc illud simulacrum Statisticum Dominationis Monarchicæ Tacitus i. Annal. refert: *non aliud discordantis Patriæ remedium fuit, quam ut àb uno regeretur. Omnem potestatem ad unum conferri, pacis interfuit.* En speciosum carcerem Aristocratix, en splendidas compedes Patriæ libertatis! Hic, hinc invigilent, & centum oculares excubias teneant Respublicæ liberæ! Passus iste plusquàm periculosus est, nec datur hinc bis perdere: nec alio telo tutiùs defendi potest, quàm si liberæ Respublicæ in omni vita sua caveant, ne cuique ex optimatibus tantùm concedant, quantùm mereatur, sed quantùm securitas publica admittit.

6. Abhinc ad particularia digredior. Primum arcanum, quo utuntur in vases publicæ libertatis, est specietenus simulare anti-quam libertatem, & ejusmodi insignia, ac vocabula dignitatis assumere, quæ libera Ci-

vitas olim in precio habuit. Regia enim nomina nihil augent potestatis in libera Republica, sed odio magis exponunt & periculis. Hâc arte usus Julius Cæsar, ubi victo in Pharsaliæ campis Pompejo, ac in Ægypto occiso, reliquaque omni factione depressâ Rex dici volebat, sed Dictator in perpetuum: ut sic maneret antiquæ libertatis simulachrum Dictatura, quæ re ipsâ ob perpetuitatem, & supremum etiam supra consules, ferè Regium fastigium, Monarchiam denotabat.

Non poterat Senatus gravari Dictatore, quia pars Reipublicæ est: non poterat Populus conqueri perpetuum; quia aliud non habebat, quo potuisset Cæsaris merito gratificari. Aded ex hoc uno arcano per solam dictaturam

Omnia Cæsar erat.

7. Rem hanc callidiùs aggressus est Augustus. Is perspexerat sicariâ manu concidisse Julium Cæsarem; adeoque aliud fastigij vocabulum, ut suæ securitati magis consulere, impetravit.

Inter alios enim honores, quos planè in obsequium ipsi deferebat Senatus, unicam Tribunitiam

nitiam potestatem acceptavit; eô nimirum fine, ut sibi nihil metuere posset nec à vulgo, nec à Senatu, nec à Consulibus, si fuissent; non autem amplius re ipsâ erant nisi honorarij, quia ipse Augustus Consul perpetuus fuit.

Erat autem Magistratus Tribunitius inviolabilis, sacrosanctus, irrefragabilis, cui se nemo, ille autem omnibus opponere, & contradicere potuit ex privilegio, jussûque olim populi, cujus jura tuebatur. Hâc arte Augustus non tam Populi libertatem oppressit, quàm condendæ Monarchiæ securitatem statuebat. Ex hoc Magistratu reddebatur in personâ suâ inviolabilis, absolutus, quem omnes, ille nulum metuebat: & licet Magistratus iste erat temporarius, & ex Plebejo ordine; at in Augusto factus perpetuus, & ex Cæsarum numero. Egregium statuendæ Monarchiæ fulcrum, & exauthorandæ libertatis simulacrum,

8. Et eô ventum erat deinceps, ut Plebeius iste Magistratus semper cederetur Cæsarum filijs, & nepotibus. Sic Augustus Agrippæ, & Tiberio: sic Tiberius Druso &c. aded, ut planè character iste Tribunitiæ potestatis spem successioneis, & imperij faceret. Dixi Imperij, quia

Tacit⁹
3 Anal
56.

Augustus sub schemate hoc Tribunitiæ potestatis reverâ imperabat. Ideoque Tiberius postea, ne ulla unquam ipsi vel â Populo, vel â Senatu fieret oppositio, nullum edictum statuebat, nec Patres in curiam vocabat, nisi Tribunitiæ potestatis præscriptione, & titulo.

I. Hist.
c. 2.

9. Aliud arcanum est, præsentem statum reddere ita populo gratum acceptumve, ut antiquæ libertatis non reminiscatur amplius, ne vè quemquam pœniteat novi statûs. Ided vulnera conversionis, & cicatrices Reipublicæ, quibusdam velut malagmatibus si non planè persananda, attamen mitiganda, & tegenda dixit
 4 Polit. Cap. 8. Lipsius.

Et hoc illud arcanum est, quod versatur in conciliandis hominum voluntatibus, & studijs, ne quod hominum ordinumve genus prætereatur, sed ut idoneis quisque ordo rationibus concilietur, sive devinciatur. Qui vel aliquos negligit, nihil operatur; qui uni tantum, aut paucis gratificatur, universorum contrahit odium. Imperium in omnes, omnibus gratum esse debet.

Nobilibus & Patritijs honores, opes, publica munia largiuntur; Populum abundantiam

anon.

annovæ, rerum vendibilium moderato pretio continent; vectigalia, tributa, centesimas, aliásque collectas minuunt; augent privilegia civium, & plebis, inducunt spectacula, permittunt oblectamenta, tollunt perniciofa, tam publicis, quàm privatis commodis; & aureos pollicentur montes, in hunc solum finem intenti; ne quis mallet præterita, quàm præsentia. Satagunt ex pacis, & otij dulcedine Civium animos imbuere amore novi Regiminis. Sua-ve hoc arcanum est, & tantò fortius, quantò est certius nihil magis movere populum, quàm si credat vetera mutari in meliora, vel experiatur cum novo Principe fortunas, opes, & reliquæ vitæ subsidia augeri. Talia pelliciunt specientès quidem animos universorum; sed lateet anguis in hâc dolci herbâ: mordebit in fine, ut Coluber. Quid enim aliud hîsce prætenditur, quàm ut lactatis, & delinitis universis, sensim, pedetentim, lentè, ac per partes invehatur in statum liberum ipse Principatus, & Imperium unius.

10. Persuafus olim Augustus ex Mœcenatis oratione de introducendâ in Romanam Rempubli-
câ Monarchiâ, ad ejusmodi artes confugit:

& militem donis, populúmque annonâ, cunctos otij dulcedine primùm pellexit, deinde juxta thesseram suam *festina lente* paulatim insurrexit: dixi *paulatim*, non enim omnia, ait Dion, ex consilio Mœcenatis statim, & simul instituit perficere veritus; ne vim consilij corrumpere & impingeret ad scopulum: si homines ð vestigio, & quasi uno impetu in alium statum transformare vellet. Omnem enim uno impetu adimere potestatem improbat Aristoteles.

II. Interea, ut hæc insurrectio lenta fuit, erat attamen instar lentæ febris tantò periculosior. Tacitus illam indigitat inquiens: *Munia Senatûs, Magistratum, legum in se trabens.* In hisce consistebat Respublica, & sublatis his, quoque peribat. Omnia munia Senatûs in Principem translata fuisse testatur Polybius. Consilium dederat Mæcenas: Minimè priscam Magistratum potestatem conservabis, ne res in priorem statum recidat; sed honore quidem ipsis relicto, potentiam autem in tantum deminue, ut nihil dignitatis illis deficiat, virium autem nihil supersit. Ita factum. Nomen reliquit Senatoribus, sibi rem, & potestatem usurpavit. Et quid amplius? etiam Magi-

Magistratum fastigia, Consulatum, Tribunitiam potestatem, summum Sacerdotium, Præturam, Censuram, adeoque omnia occupavit.

12. Supererat ærarium, & legum auctoritas. De ærario testatur Dio: Cæsar, inquit lib. 53. ille, cum pecuniam, & milites in potestate haberet, omnia pro suo arbitrio gerebat. Legum auctoritatem ipse infregit, cum decreto declararet *se legibus solutum* esse. Et hinc initium, & origo *Legis Regiæ*. Quam Dio explicat: Hanc aliud non esse, quam, ut Principes liberi sint ab omni legum necessitate, nullaque re legibus constitutâ teneantur. Quæ ibidem omnia cum veram Monarchiam conficiant, nihil supererat, quod ultra potuisset desiderare Augustus.

13. Porrò in hâc tantæ Monarchiæ structurâ plura interveniunt adhuc arcana. Primum *simulatio profunda*. Ubi ejusmodi invasores se simulant esse cives privatos, omniaque dependenter, & ex concessione ipsius Reipublicæ agere, cum aliud tamen non curent, quam omnem illi adimere auctoritatem. Fingunt se esse populares, adhærent popularibus, ut reverà multi cum Plinio existiment, & palam in Trajano dicant

lib. 25.

dicant: *Unum se ille ex omnibus putat, & ideo magis excellit, quia se unum ex nobis putat.* Quod de Tiberio refert Suetonius: Is se civilem admodum inter initia, & pauld minus, quàm privatum egit: inde progressus paulatim Principem exercuit. Solent tales subindè quædam populo, quædam Magistratibus permittere, velut simulachra antiquæ libertatis. Augustus id callidè præstitit: Populo quasdam creationes Magistratum sinebat; eà tamen ratione, ut solus interveniret, nequid indignum ad Magistratus admitteretur. Calliditas hæc fuit dementandi populum, & eludendi Senatum. Hunc elusit, quia populo tribuit, quod Senatui competeat: populum dementavit, quia ipse arbiter intercessit: Utrobique raro simulationis arcano, ibi demendo, hîc arbitrando, suam firmavit potestatem.

14. Secundum arcanum *oneris est prætextus*, ubi quidam desiderium ferendi onus Reipublicæ præferunt; verùm sub hoc prætextu ea solummodò aucupantur, quæ ad speciem onerosa, re autem ipsâ, vel lucrosa sint, vel statuendæ Monarchiæ plurimùm conferant. *Exemplo res magis clarescet.*

Augu-

Augustus principio sui clàm stabiliti Principatûs provincias in duas divisit classes. Partem earum dixit provincias pacis, quia nullus ibi hostis, nullus à vicino metus, nullóque milite egebat. Hujus fortis provincias, ut quasi Senatum Populúmque à labore relevaret, per Pro-Consules administrandas reliquit Senatui, Populóque Romano; appellavitque eas provincias Populi, quibus in pace frui posset absque armorum strepitu, aut alio labore.

Alias autem, quas *Validas* appellat Suetonius, edò quòd hostibus circumdatæ continuo armorum fragore resonarent, ibique exercitus & robur Reipublicæ esset, sibi arrogavit Augustus; & per legatos à se designatos rexit, ac Cæsaris provincias appellavit. Hac etenim ratione Senatum inermem, imbellemque efficiebat, & ad se solum arma, militesque, præcipuam nimirum vim Reipublicæ, cum armatis Provincijs transferebat. Obijciebat se hoc pacto ad speciem periculis & laboribus, ut indè sibi robur compararet, Patriæ autem vires adimeret.

15. Tertium arcanum *Declinatio speciosa in*

eo ferme consistit : quando usurpatores illi , postquam præcipua munia Reipublicæ in suos usus convertissent , larvam induunt modestiæ , & illos per vim vel artem occupatos Magistratus non tam deponere fatagunt , quàm *speciosa declinatione* , quod aliàs *violentum* erat , *legitimum* sibi reddere gestiunt Imperium.

Quantus in hoc Augustus Cæsar fuit , referunt Tacitus , & Svetonius , sed Dionem Lib. 53 Cassium audiamus. Instituit , inquit ille , Augustus & aliâ ratione magnitudinem animi sui declarare (ut nimirum & hinc dignitas ejus cresceret) atque Monarchiam sibi consensu volentium , & sponte id cupientium hominum confirmare ; ne viderentur imposterum inviti , & coacti sub Imperium unius concessisse. Egregium hoc arcanum fuit ! Nam *hac ratione* : prosequitur Author *effectum est , ut Imperium ipsi à Senatu , Populoque confirmaretur*. Quod toties deinceps factum , donec in Imperio consensesceret , & emoreretur , relicto posteris dubio , an legitimum , vel violentum dici deberet.

16. Præfatum arcanum eget fermè auxilio alterius , quod sequitur , nempe *subornatione*.

Arca-

Arcanum istud Tyrannis est familiare. Hi enim non solum mercantur fidem improbissimorum in Republicâ, qui per omnes vicos, & urbis angulos indefessi cursitant centoculati speculatores, & temerius rimantur, quàm verius indagant facta, consilia, verba, imò cogitatus aliorum; sed etiam in publicis Magistratibus subornatos sustentant viros, ut Senatûs arcana referant; ut voluntates consultantium disponant; ut suffragia, vel largitionibus emendicent, vel minis extorqueant; ut denique, quàm cuique viro cordato cordi sit, fidem, mentemquè sedulò explorent. Præmijs tales emuntur, ait Tacitus, nam etiam Nobilium multi ad serviendum imbuti possunt per honores & opes.

Et hoc arcanum universim utile est Imperantibus. Neque latebat Augustum (caput plenum illud Rationum statûs) qui resignationes suorum, quibus tenebat clavum Imperij, nunquam submisit alex, neque periculo exposuit; sed ante deliberationem Senatûs jam securus vivebat non tam de suffragio, quàm omnium obsequio.

Rationem subjungit Dio ex naturâ hujus

ipsius arcani : quia Cæsar idoneos in Senatū homines subornaverat , qui veluti Duces censebant , omnia ex voto Principis efficiebant.

17. Quintum arcanum est *successio certa*. De hâc si constat , quietius omnia agi in Republicâ certum est ; quia decedit spes mutandi Imperij , licet mutetur imperans. Verum quidem est , non tam facilè extirpari libertatem statûs , quin reliquix maneat , & desiderium rerum novarum in quorundam Civium animis. Dissimulant , anguntur interea , & expectant tantum vicissitudinem ; quam ab adverso certitudo successionis irritam facit.

Unde verè arcanum est in occupato imperio , *ne successor sit incerto* : si de hoc incertum est , incertum erit de continuatione Imperij. Alexander triumphator Orbis de hoc amarè conquerebatur : *Orbitas mea* , dicebat ille , *quod sine liberis sim , spernitur*. Aliud ludibrii exemplum vidit Europa in Casimiro Poloniae Rege , & Ex-Rege. Orbatos fabole vix expectant subditi mori Reges. Non

Titus.

legiones , non classes perinde firma Imperij munimenta sunt , quàm numerus liberorum.

Idè invasores Reipublicæ præ omnibus

con-

contendunt, ut successorem habeant : quibus, si naturalis, & legitimus deest, quærunt in domo suâ, non in Republicâ : ratio enim Imperij non admittit regressum. Adoptant nepotes, pronepotes, & privignos, & si quos alios Regnatricis domus complectitur : vis enim hujus arcani est, ut in eâdem permaneat Imperium Domo.

Huc faciunt prægnantes causæ. Prævident enim illi ludibrio fore memoriam illorum, qui per tot rerû vicissitudines, & fortunæ pericula vix nacti Imperium, mox cedere deberent alteri. Nec Republicæ expediret, si contentionibus de Principatu, & multorum cupiditatibus porta aperiretur. Hujus arcani primus Monarcha ectipon est Augustus : cùm enim ille consilio Mæcenatis monarchiam animo stabilijset, & arcanum novi statûs imaginem antiqui fecisset, profunditate simulationis successivè de illius subsidijs cogitavit. Tacit⁹.

Ut igitur Imperium suum adversus factiones muniret, & inter insidias anhelantium primævam libertatem, quam ille metuebat, conservaret, & ad posteros quoque transmitteret, utvè per hanc transmissionem quasi assvesciet

liber Populus præfenti neceffitati, Marcellum, Caij, & Lucium nepotes: ijsq; defunctis Agrippam poftimum, & Tiberium in familiam Cæfarum induxit, aut adoptavit. Plura hæc adoptione munimenta oppofuit illis, qui vel mutationẽ refque novas defiderabant, vel Imperium ipfum affectabant; quàm fi integros exercitus eduxiffet.

Et ut adoptati laboribus affvefierent, adhuc teneros, ait Svetonius, ad curam Reipublicæ admovit, & Confules defignatos circum Provincias, exercitusque emiffit.

Ultimo tandem poft mortem Marcelli, Caij, Lucij & Agrippæ, ut fuccefforem haberet certum, defignavit Tiberium. Nihil proinde ex eo tempore prætermiffum eft ad Majeftatem Tiberij augendam; cui fpec fucceffionis incumbebat: quod tantò facilius à Senatu acceptatum, quia nemo fermè supererat, qui Rempublicam, & ftatum libertatis vidiffet.

Svetonius 4^r lib.

18. Hujus veritatem comprobatur fequens arcanum, quo etiam Cæfar utebatur, nimirum: *Quid quid obftat Dominatui, frangere, aut flectere.*

Sanè M. Agrippa aliàs Cæfari gratus, & à
 secre.

secretiori consilio: cùm Cæsar Monarchiam meditaretur, hunc valde periculosum objecerat scopulum. Verum quidem esse in prioribus bellis civilibus innumeros occubuisse Cives, & Patritios, qui resistere potuissent Cæsaris Domi natui, nec quasi ullum amplius existere elapsis jam (nimirum ab Actiacâ Romanorû clade, obtentâque adversus omnes Optimatum factiones Augusti victoriâ) quadraginta, & aliquot annis, qui reminisceretur antiquæ libertatis, & tam in Aristocratico, quàm Democratico statu florentis, & toti orbi Dominantis Reipublicæ. Nihilominus ait Agrippa in oratione illâ ad Augustum: esse tamen adhuc in Civitate viros illustres, qui genere, divitijs, aliavè re elati, cæterum boni, animo autem, & voluntate Imperium singulare averfentur. Non enim fieri posse, ut magni viri sine magno animo nascantur; eam porrò animi magnitudinem nihil servile spectare, aut servilibus studijs occupari: ergo consequens esse, ut libertatis cupidine ducatur, Dominiùmque gravetur in se, quemcunque altus, elatusque animus, & generosi spiritus implent. Ejusmodi objecta perplexum reddebant Augusti animum; sed Mœcenas illum erigebat,

bat, qui primus Cæsari svasor Monarchiæ fuit. Objectum scopulū Augustus, cui jam nihil difficile fuit, vel flexit, vel fregit, vel blandiendo, vel persequendo removit. Vulpem & leonem egit: calliditatem crudelitati miscuit: virtutis speciem scelere contaminare non erubuit.

Tacitus testatur *ferocissimos per acies, aut proscriptione cecidisse*; cæteros Nobilium opibus, & honoribus delinivisse: hos in vota sua flectabat, illos frangebatur. *Suspecti, depressi, confusi, subversi, potentes ac Illustres viri*, qui sine periculo Imperantis crescere non poterant; ergo cum flagitio ipsius opprimi, deprimique debebant.

Arcanum hoc Aristoteles innuit, sed non approbavit, præstantes nimirum viros diminueret; magno autem generosoque animo præditos planè è medio tollere. Adducit ibidem aliam, nimirum blandimenti artem, vel calliditatem potiùs; cùm usurpatores Imperij, inductæ injurias Servitutis, infidiosâ munificentia veluti redimunt apud subjectos.

Tiberius Germanicum à fidis suis legionibus abstraherat, novisque Provincijs imponebat, dolo simul, & casibus objectabat. Crimen

men Majestatis sub hoc Principe est primò inventum ; quo faciliori prætextu viros Optimates tollebat è medio viventium , qui vivere poterant invisi suo Dominatui.

Biceps hoc Idolum , sive arcanum in extremis quidem extrema arripere docet, sed humaniùs erit flectere , quàm frangere , ne adversantes novo Dominatui vinci mereantur, aut plecti.

19. Ultimum arcanum (quod vix hoc nomen meretur , quia occultas causas nullo prætextu velat , sed aperto Marte liberum statum invadit) est *in suas partes trahere , & corrumpere militem* , in quo robur , & vis est Imperij: Non hoc arcanum est, sed mercatura , & aperta vis *posse ab exercitu Principem fieri.*

Multis id saluti visum , sed magnis quoque deinceps periculis abnoxium fuit. Cum enim milites intelligant, sentiantque in sua manu situm esse Imperium , reddetur hoc ipso venale , & nundinatione , ac quæstû magis, quàm arte , vel factorum claritate quæretur. Cardè ementes tandem perdent, plus pollicente alio. Liberalitas in exitium vertetur ; & fides, quæ unica militiæ gloria fuit, corrumpetur im-

Tacit.
1. hist.
c. 4.

modicis largitionibus. Quantæ exindè olim in Regum, Principumque domibus lanienæ! quantæ Reipublicæ hinc vicissitudines! quanta parricidia patravit quæstuosus miles! in cuius fide nemo plus malæ fidei invenit, quàm qui multum tribuit.

Tacit⁹
1. hist.
c. 17.

At militum favor, ut largitione, & ambitu malè acquiritur, ita per bonas artes haud spernendus est: multum enim superaddit firmitatis in novo statu, magnúmque respectum conciliat novatoribus rerum. Quid profuisset illa ficta imago antiquæ Reipublicæ Augusto? quid palliata illa abdicatio Magistratûs? quid fautores in Senatu? nisi armatas Provincias habuisset, & inermem se vidisset Respublica: ibi concidere debuit hæc, ubi ille surgebat. Extincta erant magna illa factionum nomina Actiacô præliô; nec miles aliò currere potuit, quàm sub labara Cæsaris. Non corruptit illum, sed rexit ut belli Imperator; nutrit, ut pater, remuneratus est ut victor, & continuit ut arbiter Reipublicæ.

Magis, si exempla intuemur, ad securitatem Principis facit strenuus, quàm locuples miles; magis beneficijs obnoxius, quàm corruptus

ruptus vel emptus. Tutius quæritur reverentia à milite, quàm opera; ex se enim operam dabit, cui obtemperat. Liberalitatem potiùs ille experiatur donantis, quam muneris necessitatem, Omnia largiri militibus, vel nihil, extrema sunt, quæ volentibus imperare extreme nocent. Nundinatio est corruptio militaris fidei, ut damno suo expertus est Vitelius. Nihil dare militi, ait Svetonius, senum est parcitas, & nimia severitas, cui jam pares non sumus. Hujus pænas tulit Galba: qui dari solito, sed negato militibus donativo ante vitam deperdidit, quàm consenuerit in Imperio. Arcani hujus vis docet Respublicas liberas cum armis transire libertatem, & vim Imperij.

* * * * *

CAPUT XXIII.

Status optimatum in Genuensi Republicâ exhibetur.

1. **G**enuensis Urbs, & Respublica caput est totius Liguriæ, celeberrima olim armis, & navigationibus, atque rebus apud ipsos Barbaros egregiè gestis: primæ totius Italiæ Reipublicæ encomium tunc meruit.

Posteris verò temporibus, multum domesticis collisionibus, livore, & vicinarum Potentiarum suggestionibus non solum jactata; verum etiam, tam ab Infubriæ Principibus pulsata, quàm continuis Gallorum armis quassata, tandem ferme Gallico Dominatui infervilem prædam cessisset; nisi Andreas Auria charissimam patriam à imminenti periculo, rebus jam fermè desperatis, raro virtutis, & fortitudinis exemplo eliberasset; Viruti in omnibus incomparabilis, ita in hoc uno maximè felix, sui que unicè exoptati voti campos, quòd Patriam moriens pristinae libertati restitutam relinqueret.

2 Genuensium igitur status nulli servituti obnoxius libera est Italiae Respublica; cujus cives industriâ, comèrcijs, magnificentia ædiu, divitiarum opulentiâ, & præcipuè rei nummaria copiam nulli nationi cedunt; sunt enim inter illos privati viri, quorum facultates miliones excedunt: atquè licet publico ærario, ut competeret in tantâ Republicâ, non tantum stabiliu proventuum accedat; est nihilominus Respublica ditissima, omnium rerum abundantia extremè provisa, & tot ærarijs, quot
Civi-

Civibus referta; prætereo Montem S. Georgij ita opulentum, ut in singulis necessitatibus millionem auri Reipublicæ offerre valeat.

3. Totius autem Reipublicæ imperium Aristocraticum est, & verus *status optimatum*: illa enim summi herois operâ (ut diximus, Andree Aurix) in libertatem asserta, cujus ille raro modestiæ exemplo imperium, quod aliàs facilè obtinuisset, detrectavit, *cure & regimini deinceps viginti octo familiarum nobilium, excluso populo, & plebe cessit*. Earum verò præcipuæ sunt: Centuriones, Lomelini, Dorix, Spinolæ, Justiniani, Palavicini, Cibi, Tervati, Nigri, Silvij, Grilli, Imperiales, Sauli, Arcarij, Marini, Catanei, Promontorij, Nigrones, Ufodomiri, Calvi, Franchi, Pinelli, Itaboni, Fieschi.

4. Ex his familijs velut optimis optimatum consilium magnum, & minus; & quidem minustantum centum, majus verò 400. capitibus constat; eligitur à Duce, sive Principe Reipublicæ, & gubernatoribus ejusdem.

In hoc Consilio Optimatum adunato cum Duce, & Gubernatoribus, ea omnia quæ ad Jus Majestatis, & rationem statûs pertinent,

tractantur, & concluduntur: res verò minoris sphaeræ audet Dux cum minori centum virorum consilio & gubernatoribus expedire.

5. Dux Reipublicæ hujus unus est, & speciem externam veri Principis habet, Ducaliter vestitus, satellite stipatus, omnium supremus. Temporaneus tamen est, & biennio elapso ex lege cogitur deponere Imperium, seque ex publicis in privatas suas ædes retrahere, omni spe prorogationis, aut denuò, vel aliquando iterandæ ad hanc dignitatem promotionis destitutus, perpetuò tamen procuratoris nomine, & officio insignitus.

Eligitur autem ipse Princeps maximâ cum cautelâ, & circumspèctione, ex quatuor solummodo candidatis unus, secundum majora suffragia, & à magno Optimatum consilio quadringentorum virorum, absente tamen illo, qui proximè functus est officio.

Auctoritas re ipsâ, non specietenus apud Ducem magna est, licet non absoluta & Regia; solus enim quidvis ad consilium optimatum referendi, & ad deliberandum proponendi jus, & potestatem obtinet; quod nemini reliquorum Optimatum concessum est. Unde

liquet

liquet, ab ipso omnia prius perspici, tractari, ac digeri, quam in communem optimatum consultationem proponantur.

6. Electo, ac regenti Duci assistunt octo Governatores, speciali curâ delecti ex optimatû consilio. Dicuntur Governatores, quia cum illis gubernat Dux, & sinè illis nullatenus audet quidpiam in regimine statûs incipere, & attentare. Re ipsâ sunt speculatores, & syndici ipsius Ducis. Hi cum Duce repræsentant *Signoriam* sive *Dominium* Reipublicæ, & exercent *Jura Majestatis* ex præscripto magni consilij, sine quo nihil, quod ad communem Reipublicæ salutem spectat, nec tractare, nec concludere valent: adèo Dux, & Governatores propriè sunt Ministri totius Statûs & Dominij: Hoc autem est penes consilium Optimatum. Et hinc vera Aristocratia.

7. Governatorum Magistratus, uti ipsius Ducis, biennio extingvitur. Et sicut ille perpetui Procuratoris, ita isti biennalis tantum nomen & officium fortiuntur. Indè saluberrimè provisum, ut in Procuratorum Collegio, quod magnæ existimationis est in Republicâ, semper octo Ex-Governatores, viri rerum gestarum exper-

expertissimi, & gerendarum peritissimi inveniuntur, qui omnes in Senatum magnum vocantur, ubi rerum gravium deliberatio est. Solent autem semper duo Gubernatores ex octo, ipsi Duci in Palatio publico cohabitare, eâ ratione, ut tertio quoque mense sibi succedant: quasi Respublica suo Duci sine gubernatoribus diffideret; & Gubernatoribus ipsis, si iidem semper forent. Aded diffidentia in statu Poliarchico inter rationes statûs connumerari solet.

8. Quemadmodum verò in conservandis juribus Majestatis, & administrandâ Republicâ se primariò totum occupat Optimatum consilium; ita à hoc substituuntur multi alij Magistratus, qui suppleant vicariâ potestate, quo se illud extendere non valet.

Et quidem primò Septem-viratus extraordinariorum, quorum loco Principis litibus assistendi, tutores dandi, & ejusmodi extraordinaria, quæ ad Principem spectant, expediendi munus est.

His accedunt 5. Juris consulti ex Rotâ designati ad decidendos processus litigantiû, quemadmodum etiam tres Judices criminalium, quorum unus præsidet alijs in capite; alij duo, unus


maleficiorum, alter rerum fiscalium Judex est. Omnes hi officiales resident vel in Palatio Ducis, vel proximè.

Sunt quoque Censores, deputati mercimontiorum, & artificum Judices. Octo item Protectores S. Georgij, quibus adjuncti rursus alij octo San Georgiariæ societatis viri, quorum præcipua & maximæ consequentiæ cura, & munus est circa locatarios, creditores, ac ejusmodi, quæ ad montem S. Georgij spectant.

9. Hæc quidem in togâ; sed in fago etiam non minus providi sunt Genuenses. Unum habent supremum belli Præfectum, qui 40. Capitaneis, sive Centurionibus; & hi centum gregarijs, in omnem necessitatem prompti imperat, & imperant. Omnes hi Sagati, & Togati Magistratus ex ipsâ lege Aristocraticâ totaliter dependent à dispositione supremi Optimatum Consilij.

10. Denique inter tot Magistratus substitutos celeberrimus ille est, quem vocant *Quinque Supremorum*. Cujus caput olim fuit præfatus Andreas Auria. Hi velut supremi Reipublicæ Syndici inquirent in acta ipsius Ducis & Gubernatorum, postquam officio decesserint,

dato octidvano spacio omnibus, qui aliquam
 ab his injuriam passi fuissent, experiendi lite,
 cognoscendi, decidendisque sine respectu cau-
 sas, rebsque condemnadi, mulctandi, vel si rei
 non fuerint, publico innocentiae testimonio
 prosequendi. Hæc illa justa, hæc tuta Aristoc-
 ratiae forma.



CAPUT XXIV.

De Tyrannide summatim.

1. **E**st oppositum rectae gubernationi vitium
 Tyrannis, quæ sæpe insensibiliter, ali-
 quando autem palam miscetur alijs speciebus si-
 ve Rerum publicarum formis.

2. Summatim dico: *Tyrannidem esse usur-
 pationem Imperij in perniciem publicam.* Duo-
 bus innititur fulcris, *Violentiae, & Terroris.*
 Violentiae, nimirum in occupando, & usur-
 pando: terroris, in conservando. Quod enim
 vis, & astus assequitur; id metus, & crudelitas
 conservat. Tragici effato.

in Her-
 cule
 furente

Quod Civibus tenere te invitis
 Scias, strictus tuetur ensis.

At verò ejusmodi violenta vix durant, & Cic.
 terror diuturnitatis custos malus est. Nam
 quem subditi metuunt, certò oderunt: &
 quem quisquè odit, certissimè perijisse expetit.
 Unde nihil tam difficile invenitur, quàm *Senex*
Tyrannus.

3. Et vel indè etiam miserrima conditio il-
 lius, quod sciat *se invitis imperare*. Quemad-^{Tacit⁹}
 modum malefactorum corpora verberibus,
 ictibus; ita sævitiâ, terrore, malisvè consul-
 tis (adde Synderisim, meticulositatem) im-
 proborum Principum animus dilaceratur.
 Semper sonitus terroris in auribus eorum, &
 cùm pax est, illi insidias suspicantur.

Phalarim Tyrannum audio apud Stobæum
 confitentem: Ego qui expertus utrumque sum,
 Tyrannidi mallem subesse, quàm præesse. Sub-
 ditus enim aliorum malorum securus, unum
 Tyrannum metuit: Tyrannus autem & eos,
 qui foris insidiantur, & illos, per quos servatur.

Securus nunquam est, omnia tuta timens,<sup>Prudẽ-
tius.</sup>
 cui sola in stricto semper fiducia ferro.

4. Primi conatus Tyranni Principis sunt ^{Tacit⁹}
 subvertere libertatem Civium, non solum hanc, ^{lib. 5.}
 quam natura concessit, verùm illam etiam,

quæ ex gentium usu introducta, aut ex antecessorum suppetijs, & factâ immunitate, sæculis longis stabilita. Tantùm enim Regnum differt à Tyrannide, quantùm à servitute libertas. Regium est pro viribus conservare libertatem, quam Tyrannus malis artibus redigit in servitutem.

Pompejus post prælium in Pharsalicis campis non feliciter gestum profugit in Ægyptum: cùm è triremi descensurus esset in scalmum piscatorium ab Ægypti Rege missum, conversus ad uxorem, & filium dixit. *Quis quis Tyranni ad tecta demigraverit, fit servus illi, esto liber venerit.*

Sophocles.

Adeò in consequentiam trahit Tyrannis aliorum servitutem, ut sine hac subsistere nequeat.

5. Enim verò si Tyrannis *abusus est publicæ potestatis in perniciem universorum?* Quæ major perniciēs dari potest maximè in libero statu; quàm avitam tollere libertatem, convellere leges fundamentales, infringere Civium sanguine empta privilegia, &, quod universorum est, in sui modò privatum emolumentum reducere.

Tyrannidis finis, meta, scopus, & inter Regem

lib. 3.
de Reg.
Princ.

gem

gem & Tyrannum unica differentia est, quod iste suam, ille universorum quærat salutem. Unde Dion refert, quod Mœcenas, repetitis vicibus Augustum commonuerit: ut nihil tentaret contra subditos, nisi quod sibi ab illis præstari vellet. Dion.

6. Aliud svadent ab adverso illi maleferiati politici, & omnium horarum viri suis Principibus, ex arcano nimirum illo, ut illi autumant, *Legis Regiæ*. Arbitria Principum, & iussa pro legibus esse: inde pendere omnes, illuc obsequia omnium verti. Caligulæ vox illa fuit, qui Antonix aviæ pro suâ auctoritate monenti reponebat: *memento mihi in omnes omnia licere*. Monebat etiam olim Popharcus philosophus Phalarim, ut tandem se componeret: sed retorfit increpanti Tyrannus: *Neque tu Popharce tantum boni facis, quantum debes, neque ego tantum mali, quantum possum. Omnia quippe me posse fert præsens status*.

7. Talia portenta educat Tyrannis, & hisce præceptis declinantem semper in deterius naturam hominum impellit in quodvis nefas. Distingvit hanc licentiam *Sinysius in orat. de Regno*. Quod Regi quidem modus factorum, mo-

risque in lege sit; Tyranno autem mensura legum in facto. Quod Regi pro more lex, Tyranno pro lege mos est. Verum quidem est, quod nemo Regibus scripsit legem, sed lex naturæ hoc imposuit, lex gentium voluit, & Decalogi auctoritas nullâ Majestatis exceptione vult declinari. Non possunt Principes uti potestate, & jurisdictione peccandi, quia ipsis à Deo data est potestas, non in ruinam, sed in ædificationem.

8. Gemino deinde juvantur arcano Tyranni. Primum est, ut populo sibi nocendi omnem adimant potestatem: alterum, ut etiam eripiant voluntatem. Potestatem adimunt ablatiis opibus, armis, præsijs, immunitatibus, omni denique nocendi facultate. Tyranni potestas non facilè augetur, quin hoc ipso subditorum facultates minuantur: cùm lien intumescit, cætera membra tabescunt.

9. Cæterum eminentiores primùm adoriuntur, qui apud Tyrannum hoc deterius habent, quod æquè periculum ex magnâ, ac ex malâ famâ subeant. Nobilitas, opes, gestique honores pro crimine sunt, & ob virtutes certissimus interitus. Ut ut autem multos interemerint

Tyranni, successorem suum nemo interemit.

Post eminentiores expilatos vel extinctos, ad privatos, & non primæ sphæræ cives progreditur: nullus his finis collectarum, decimarum, centesimarum, tributorum, contributionum, vectigalium, & ejusmodi, quæ eliciunt subditorum sanguinem, & medullam ipsam. Omnia in fiscum convertuntur, & fiscus nunquam ita affluit, ut sistere posset famem, & sitim Tyrannorum. *Leo rugiens & ursus esuriens est* ^{Prov.} _{29.}
Princeps impius super populum pauperem.

10. Nocendi quoque voluntatem eripit, quia omnem amorem, amicitiam inter cives opprimit, & invicem vel adversarios, vel suspectos reddit; ne cum Cives sibi diffidant, insurgere in Tyrannum valeant. Nititur illi arcano *divide & impera*. Neque enim commodè exerceri possunt injusta Imperia, ubi in populo viguerit concordia. Divisione Civium stabilitur Tyrannis. O quam squallida, tetrica, ac pavens incedit Respublica sub Principe Tyranno! Ubi congressus, & colloquia notantur; ubi notæ, ignatæque aures (nisi periculum subire velint) vitari debent; ubi muta, & inanima tecta, & parietes circumspiciuntur;

Tacit⁹. tur; ubi honores deferuntur accusatoribus, & præmia statuuntur sicarijs; ubi diffidentia præfidet in senatu, & armata graditur iustitia; ubi simultatibus Cives se ipsos eviscerant, & victoriam cedunt Tyranno; ubi denique omnia accusationibus pervia, suspicionibus obnoxia, & vix secreta domorum sine formidine.

II. Quid plura? in epitome complectitur Tyrannorū egregia facinora Tacitus: *Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus Imperium: atque ubi solitudinem fecerint, pacem appellant.*

Egregiam pacem, ruinam scilicet Patriæ, extinctos optimos Civium, oppressam libertatem, & super omnes arbitratum unius? Talem pacem Romæ dedit Julius Cæsar, talem Augustus: ille in Pharsalicis campis, iste in Actiaco prælio; ambo post enervatas vires Reipublicæ, post cæsos Primates Urbis, post subactam plebem, post usurpata Senatûs munia: ut, cum cæteri nihil, illi omnia possent; soli præessent. O turpis pax!



CAPUT XXV.

Quot modis in Tyrannidem deflectitur.

1. **Q**uemadmodum omnia sublunaria in defectum, & corruptionem inclinant, ita etiam moralia sensim à virtute ad vitia prolabi, & àb auspiciatissimis initijs in pessimos exitus desinere videmus. Optima namque initia deterrimos aliquando sortiuntur fines. Quid enim esse potuit melius, ait Bodinus, quinqueñio Neronis? quid Salamonis adolescentiâ Divinius? quid Caligulæ initijs gratius? econtra quid sine turpius? cùm enim tales ad extremum vitiorum pervenerint, inde rursus revocari sine maximâ vi non possunt. Quid fit, ut opulentissima Regna in meras solitudines, Optimatum imperia in tanta latrocinia, popularis ordo in ipsissimam confusio- nem imperantium vitio degenerent. Vix aliquam Monarchiam reperies, quæ Tyrannidis sævissima imperia aliquando non senserit: raram Rempublicam quæ, non per Oligarchiâ, factiones, & seditiones Optimatum ever-
ccc fuerit:

fuerit : nullam Democratiam , quæ non vel populari furore convulsa , vel à potentioribus distracta , vel mutuis cædibus fracta extraneis tandem in prædam cesserit.

2. A Monarchiâ sive Principatu unius aberant Principes in Tyrannidem , quando abutuntur juribus Majestatis , sive potestate Regiâ quoad leges , Magistratus , munia , arma , fœdera , pacem , ærarium , & si quæ talia sunt ; pervertentes omnia *in communem perniciem subditorum* , & aliud non collimant , quàm in despoticum dominatum , spectantes solum sua , & Regnatricis domûs commoda , & incrementa semotâ ratione , jûstitiâ , & lege illâ , quæ legum est suprema , nimirum *salus universorum*.

3. Notanter superiùs dixi : *in communem perniciem subditorum* ; quia privata Principum vitia Tyrannum non faciunt : nisi vergant in perniciem publicam , & fundamenta sive vincula Regni (quales sunt leges fundamentales , in quæ ipsi jurant Principes) convellant ; multum equidem interest , inquit Ribadeneira , inter Principem vitæ flagitiosæ , velut homicidam , adulterum vel alio modo sceleratum ; atque illum , qui neglectâ legitimâ gubernandi causâ , solâ impe-

randi

randi libidine exagitur, & subversis Reipublicæ inunitatibus eam pessumdatam, atque everfam cupit. Si in Principe privata sunt vitia, & tamen justum, prudensque regimen; tunc dici poterit *bonus Princeps*, licet *malus Christianus*. Utrumque respectivè: primum ratione administrationis; alterum ratione sui individui, sive vitæ privatæ. Tyrannus est persona publica, & an talis sit? ex publico officio probari, & censi debet. Privata, & interna non subjacent censuræ publicæ.

4. Aristoteles quidem alicubi dixit: Regem evadere Tyrannum, si imperat contra populi voluntatem; quod nimis latè patet, & idè non rectè concludit: nam istâ ratione; inquit Bodinus, nulli sint Reges: nec vera ulla in orbe Monarchia. Moyses ipse, Divinus ille legislator, & ingentis populi Princeps & Dux, maximus foret Tyrannus, quia rarè jubebat ad salivam populi, & fermè semper contra voluntatè ipsius. Grande vitium Tyrannis est, nec contrahitur modico excessû. Principes Idæa sunt quædam Divinitatis in terrâ: nefas erit ad quas-cunque maculas advertere subditis, quibus obsequi, illis imperare desuper datum est. Mitius

interpretetur excessus Principum, quorum consilia, & fines nobis plerùmque in occulto sunt.

5. Imperium quoquè paucorum sive Aristocratia declinat in Oligarchiam, ubi summa rei est penes paucos quidem, qui tamen vel per malas artes, per præpotentiam, terrorem, vel arma imperium sibi compararunt, reliquis, penes quos vel Jure, vel pari ratione erat, seclusis ab administratione publicâ. Hoc pacto triginta Tyranni olim incumbabant Atheniensibus, cùm hi classem Ægos, Potamos amisissent. Pari ratione, quando Optimates, id est paucorum status (ut notat Besoldus) cæteris despoticè, ut servis, & mancipijs; non Civibus, aut liberis hominibus imperant, fieri consuevit, ut vel populus ipse ad se reducat jura Majestatis (quod in Romanâ Republicâ ejectionis Decem-viris contigisse scribit Livius; & nos superiùs retulimus) vel unius alicujus potestati libentiùs, quàm ejusmodi factioni Optimatum se ultrò dedat: quod idem Romanis usitatum, quando Dictatorem ad seditiones, aliavè incommoda sedanda, vel avertenda creabant.

De factioso illo Optimatum Imperio græcum

Thucy
lib. 8.

Besold⁹
claf. 2.
lib. 23.
dif. 9.

cum illud intellige: *multi Duces Cariam perdid-
erunt.* Vel quod infallibilis ille in proverbij
edixit, *cum impij sumpserint Principatum, gemit
Populus.* Septuaginta legunt Lyrano interpre-
te: *turbabitur Populus.* Plebs siquidem tamet-
si ex ipsâ naturâ assveta sit malorum, insurgit
attamen tantò insolentiùs, quantò supra vires
gravatur magis. Indè fit, quòd Aristocratia ut
plurimùm in Democratiam mutari soleat, eo
præsertim tempore, quando Plebs imperium
pertæsa sceleratorum Tyrannos occidit, aut
proscribit. Ac cæde Tyrannorum exultabun-
dus currit ad statum Democraticum populus:
quia recuperatâ libertate facilè persuaderi se pa-
titur hominum Plebejorum precibus, & per-
svasionibus, ut post paucorum profligatam po-
testatem solus adeptâ fruatur libertate: cum â
natura insitum sit, ut nemo libenter pareat, sed
aut spontè duci, aut imperare vicissim, & ob-
temperare velit.

6. Demum regimen populare, sive Demo-
cratia tunc deficit in Ochlocratiam, cum infimæ
plebi Reipublicæ gubernacula permittuntur.
Maxima hæc labes fuit Romanæ Reipublicæ in-
fimam plebeculam elevare in contemptum avi-

tæ Nobilitatis: & imperij habenas rudissimis hominibus committere: quod non tam ratione factum, quàm Impetu, & furore Tribunorum plebis, quibus in Republicâ nemo contrariari audebat ijs maximè temporibus, quibus Gracchus uterque, deinde Drusus, post etiam Saturninus, ac Publius Sulpitius Urbem suo, optimorumque Civium sanguine polluebant, aded imperitæ multitudinis libertas durissima fortium virorum servitus, & strages est. Ubique terrarum, ait Plato, optimæ cuique parti popularis potentia contraria est. Præsertim verò in Patritios, & Nobiles naturale odium Plebis, &

5. Polit. cum lacte imbibitum Aristoteles esse dixit. Etiam Helvetij & Argentinenses à primis Reipublicæ munij Nobiles semoverunt: atque avorum ætate Florentini Donatum Corsum quendam ex popularibus, quodd se Nobilium sanguini per conjugium ductâ in conjugem Fagiolâ virgine miscuisset, extremo supplicio mulctaverunt. Tanta erat rabies tunc in Nobiles: addit Platina in vita Clementis quinti.

7. Ochlocratiam consequitur *Anarchia*, sive *Status everfio*: cum plebs, ut dictum est, in libertatem posita suoptè Imperio insolenscit

lescit in dies magis, ac tandem in eam licentiam rapitur, ut nulla amplius legibus reverentia habeatur, nulla vitiosis pœna statuatur, nemo rem communem agat; omnia ab adverso continuo motu, agitatione jam ad hujus, jam ad alterius placitum, velut tempestuosum mare commoveantur, donec sequatur ipsum naufragium Reipublicæ, nihilque superstes maneat, quàm confusio quædam, & chaos populi sinè lege, sinè ordine, sinè rectore. Et hæc est *Anarchia Status*. Anarchiæ isti plerumque succedit Tyrannis, ut ubi cœpit vitiosus iste Reipublicæ circulus, rursus ibi desinat, & in se ipsum pessimo fato Reipublicæ absorbeatur. Natura enim ipsa statûs propendet erigere, quod evertit; & rursus conatur reducere ad unitatem Rempublicam, quæ ex pluralitate deflexit in errorem. Etenim plebs ex sui genio semper nova cupiens, & sensim præsentia odiens, ubiquè inconstans, temeraria, violenta: cùmque jam ad summum insolentiæ pervenit, veluti motu raptûs repentiè rapitur in adversum, concidit, gemit, pertæsa jam fascium, & publicorû honorum: deserit omnia, reducit se ad privata, nec curat emendare errorem; sed miseram, &

quas-

quassatam undequaque Rempublicam prosti-
tuit veluti in prædam tyrannis, & in vasoribus.

8. Palàm constat omnium historiarum mo-
numentis, quod in ejusmodi fatalitatibus non
ferientur quidam, unus, vel plures, qui optimæ
huic prædæ inhiant, se erigunt, commendant,
promittunt, æmulantur, tandem inter se se colli-
dunt, eò usquè, ut unus vineat omnes, sicquè
Rempublicam, tanquam derelictam sibi manci-
pet, ac usurpet. Sic apud Corinthios Cypselus,
apud Syracusios Dionisius: apud Athenienses
Pisistratus: apud Leontinos Panætius: apud
Argivos Phison: apud Aringentinos Phalaris:
apud Romanos Cæsar: apud Lucenses Castru-
cius: apud Pisanos Fagiolus: apud Mediola-
nenses Napus: apud Senenses Pandolphus:
apud Florentinos Dux Athenarum. Et rectè
quidem extrema extremis curantur, & tam
magnâ populi libertatem sequi debuit maxima
servitus: ut jam sæpè ostensum, & dictum est.

9. Cæterùm Bartolus tum Oligarchiam, tum
Ochlocratiam, & quascunque aberrationes, de-
fectiones â recto Politices tramite communi
Tyrannidis nomine compellat: nam si unus
invasit Imperium, *Tyrannis est unus*. Si pauci
abu-

abutuntur : *Tyrannis est paucorum* : Si multi
 fusque deq; confundant omnia: *Tyrannis est po-
 puli*. Differunt tamen gradibus : nam Ty-
 rannis unius mala est , peior paucorum, multo-
 rum pessima, & monstrum quoddam ex varijs
 capitibus, velut ex Lemno hydra conflatum,
 ac propterea *Tyrannidem maximam* dixit Ari-
 stoteles ; quia in multitudine nihil est tam inæ-
 quale, quàm inæqualitas ipsa : numerus , præte-
 rea que nihil ; vel in tanto numero plures mali,
 quàm boni, & hi quidem optima ignorant.

 CAPUT XXVI.

Remedia Tyrannidis.

I. **A**Dversus Tyrannos remedia statuere
 non minùs ob materiæ gravitatem
 difficile, quàm ab temporum acerbitatem ubi
 membranis decernuntur supplicia, librisque
 succenduntur rogi, periculosum est. Nihil-
 ominus subeo confidenter periculi aleam, ful-
 tus doctrinâ Patrum ; ratione, ac veritate ma-
 gistrâ. Sæviant, qui voluerint desuper, pro-
 scribant, relegent ; dabunt hæc scripto pondus,

& æstimationem, quia improbis displicuisse, aliquando majorem meretur commendationē. Opus undecimum Annalium Baronij, ex quo in Hyspaniâ proscriptum, in majus auditum est.

2. Prætereo alia. Porro dupliciter expendo Tyrannum: *titulo*, & *regimine*. Tyrannus *titulo*, & usurpatione potestatis ille dicitur: qui vel armorum vi, vel suggestâ seditione populi, vel alijs pessimis artibus; non electione legitimâ, nec successione, nec hæreditate prætensâ invadit alienum principatum: vel in liberâ Republicâ, oppressâ libertate, occupat Dominatū.

3. Tyrannus regimine est, quem superius jam abundè descripsimus; qui pessimè Rempublicam administrat, subditos opprimit, infringit leges, cuncta impunè pro libidine agit: non pro populo, pro Civibus, pro plebe, pro Justitiâ, non pro universorum salute; sed sibi tantum natus factusque esse censetur, sicque regit Rempublicam ipsam, ut non ejus custodiæ traditæ, sed rapinæ & depopulationi datæ Civium omnium fortunæ videantur: omnia ab omnibus aufert, ac subjectis utitur pro arbitrio, & concessâ sibi desuper potestate in subditos abutitur: nobiles proscriptionibus, cives degra-

Agrip-
pa de
vanit.
Scient.

degradationibus, plebem indictionibus, omnes immensis exactationibus onerat: avaritiam, & crudelitatem justitiâ vestit, accusationes fomentat, prævaricationes excogitat, bonos proscribit, innocentes mulctat, civium dissidia fovet, nihil demum agit aliud, quàm quod pessimi Principes solent.

4. Hanc distinctionem apertis verbis S. Augustinus in quodâ loco adducit inquiring: Nec Tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si Regiâ clementiâ Tyrannus subditos tractet: nec execrabilis ordo Regiæ potestatis, si Rex tyrannicâ severitate desæviat. Aliud enim est injustâ potestate velle justè uti, aliud justâ potestate injustè velle uti. Illud agunt interdum Tyranni, qui mitioribus artibus usurpare volunt alienam potestatem: hoc faciunt etiam legitimi Reges, qui aliquando abutuntur suâ potestate.

5. Idèd duplex remedium duplici modo oppono. *Hunc ferendum & tolerandum; illum feriendum, & auferendum* pronuncio. Sanè inter Doctores convenit adversus Tyrannos *titulo, sive usurpatione* licitè arma sumi cū inter-
necione illorum. S. Antoninus in tertia parte

Lib. 1.
de offic

suæ summæ inquit : Regi Tyranno obediendum non esse, imò occidendum à persona etiam privatâ sine crimine. Aquinas Doctor Angelicus in secunda Sententiarum distinctione ultimâ, quæstione tertiâ, articulo secundo ad quintum pro se adducit Ciceronem laudantem eos, qui Cæsarem invasorem Romanæ Reipublicæ, & tyrannifantem in libero statu occidissent, quamvis ipsius familiares essent; qui enim magis Cæsaris attentata perspiciebant, quàm amici? *Moriendum potiùs rebatur Cicero, quàm vultus inspiciendus Tyranni.* Nulla sacratior publici victima, quàm cæsus Tyrannus. At constare debet Tyrannum esse titulo usurpationis, vel invasionis alieni Dominiij; nec pateat recursus ad superiorem, aut planè superiorem non habeat; ne inde majora mala emergant; nevé fit contra voluntatem Reipublicæ saltem præsumptam cupientis Tyranni excidium. Ubi tanta concurrunt, quis refragabitur licere etiam privato tollere infestum omnibus? qui absque titulo usurpat, & invadit Imperium; omnium constituitur inimicus, omnium vitæ insidiatur, pacem turbat univerforum. *Non solum* (ait Molina Theologus, & Canonista eximius) *licet*

licet interficere aliquem ad propriam vitam tuendam; sed etiam ob commune bonum, & aver- tendam innocentium oppressionem. Resecanda membra, quæ omnibus nocent, nec spectant ad corpus univcrsum: tollendi viri, qui se intrudere gestiunt, ut omnibus tollant omnia. Gloriosus Chariton, gloriosus Menalippus omnium historiarum jactantur monumentis, quod Tyranno Phalari necem intentassent, licet infelici exitu. Ad Israëlitam *Salvatorem* appellant Regum fasti, quod Eglon Moabitarum Tyrannum occidisset. Triumphum deferebant Romani, qui periclitantem Rempublicam à Tyrannide præservasset: Tolle Tyrannum, tolle communem hostem.

6. Non ita contra Tyrannum solo regimine, sive administratione, & abusu potestatis: nam Tyrannus *solo regimine* (ait Suarez, vir æquiparandus primis Ecclesiæ doctoribus) *est verus superior & pastor: non licet autem subditis occidere verum superiorem, nec ovibus pastorem; sed illi obedientia & reverentia præstanda est, etiamsi malus sit, & perversus. Imò non potest occidi, quamvis injustè nos privet nostris bonis; hæc enim non sunt tanti momenti, ut liceat legiti-*

Tract.
de fidei
d. sens
lib. 6.
c. 4.

num Principem occidere ad ea tuenda, etiamsi licitum sit occidere privatam personam ad defensionem nostrarum facultatum. Et hoc non solum, quia in se res gravis est occidisse Regalem Stirpem, sed etiam quia sub potestate legitimi Principis est nostra vita, opes, honores. Ipse dispensat omnia, ab illo omnia, omnium est ille arbiter.

7. Fuerunt attamen errorum alij Authores, asserentes: quilibet Tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcunque vassallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes; non obstante quocunque præstito juramento, aut confœderatione factâ. Ita occubuit magnus Henricus IV. Rex Gallix tetrâ melancholici hominis Rauilhiaci rabie, qui ex eo putabat Regem Tyrannum, quòd Calvinistis faueret, quia pacem inter subditos aluit, donec vixit, non habitâ religionis ratione. Rogatus ille à Servinio iudice (cui vetus in Societatem JESU odium) Jesu vitam nè in hujus secreti conscientiam vocasset aliquando? negavit. Habitos quidem à se cum P. Albinio sermones de ecstasi, in quam interdum rapiebatur, quasi Deo

Deo revelante videbat Henricum hæreseos fautorem, dimissumque se à Patre Albinio hoc responso ; *Pellendis bis profutura non parùm frigidorum graminum jura , quæ Syrupos Medici vocunt , per quæ cerebrum æquilibrio suo restitui amat.* Occisi priùs ex hoc nefario dogmate plures Reges. Olim in quibusdam Regnis pauci immunes fuerunt. Non distinguebant invasorem à legitimo principe ; non malum Principem à Tyranno ; non veram potestatem ab usurpatâ. Litem diremit Constantiense Concilium sessione 15. Ubi abrogatum , & anathematizatum fuit scandalosum illud dogma de occidendo Tyranno , qui legitimus est Princeps.

8. Quem natura dedit Regem , quem populus fecit , in cujus verba juratum à subditis , licet perperam regat , nunquam desinit esse legitimus Dominus , & superior. Sic enim factò Regi , ac legitimo Domino desuper data est potestas , quia omnis potestas à DEO. Ille rationem reddet , nostrum est obsequi. Nemo resistat malo Principi : qui enim potestati resistit , DEO resistit. Christiana fides Pauli doctrinam recepit : *Subditi estote in omni timore Dominis* (qui nostri domini sunt , nisi Reges ?)

non tantum bonis, prosequitur ille, & modestis; sed etiam discolis. Boni Principes voto expe-

Tacit⁹. tuntur, qualescunque tolerantur: multi Principes peccata terræ. Sæpè nostra delicta armant Principes in nostram ruinam. Hic Justitiæ Divinæ ordo est, quæ etiam crudelissimos Tyrannos in Ecclesiâ pertulit, quos tollere potuisset.

Tacit⁹. Vitia erunt, donec homines. Mali Reges, donec Regna. Sed nec hæc continua, & interuentu meliorum compensantur vitia malorū. Reus erit tam divinæ, quàm humanæ Majestatis non modò, qui ipso facto in personam legitimi Principis (tametsi vitâ & regimine Tyranni) securitatem, & vitam quidpiam commiserit; verùm etiam, ut legibus, & rescriptis Principum expressum est, qui factioni consilioque conspiratorum interfuerit, quamvis actui non intervenerit: imò sola cogitatio necandi Principem cum aliquo actu exteriori, mortis supplicium meretur. Deliberanda non sunt, in quibus ipsa turpis est deliberatio.

l. quis
quis ad
l. Jul.
Majest
l. cogi-
tatio-
nis. de
pœn.
Publ.

Beier-
ling.

Memorable illud Authoris Theatri vitæ humanæ, & appositum dictis est: Erat Normandus è nobilium cætu aliquis: mortem destinabat Francisco primo Galliarum Regi, an hu-
more

more melancholico, aut indignitate magis animi in Principem? vix certum est. Secretum sibi suum tenebat, donec pœniteret: pœnituit. Crimen solius cogitationis commisit clavibus Sacerdotis: doluit; proposuit: veniam desuper accepit Sacramentalem. Peccatum, ut credimus, extinctum fuit coram DEO, occultum coram hominibus, quia secreto Sacramentali subiectum. Sed tanta non erat Sacerdotis fides. Reum denunciat Regi, Rex Curia, Curia condemnat reum mortis, quam subivit admirandus mirabilia iudicia DEI. Principes christi sunt Domini; nolite tangere christos: nec cogitate de illis, nisi sanctè & piè. Quis nesciat Saulem fuisse regimine Tyrannum, & persecutorem Davidis? Occidere potuit persecutorem, & tollere Tyrannum: Occasio non deerat, quia planè assistebat lecto Saulis pulsans cytharam: suggerebant alij: Regnum sperabat in præmium: nihilominus aiebat: *Non extendam manum in Dominum meum, & christum Domini.*

Michaël Orfachus Hungariæ Palatinus Pro-^{5. Reg.}
ceres Regni, Matthiam Regno privare medi-^{c. 24.}
tantes (ed quod dgenti illi *præfens Imperium sem-* Tacit^{9.}

per grave) ita affatus est, ut testis est Bonfinius: *Coronatus est Matthias Coronâ Stephani sancti nostri Regis: sub hac Coronâ etiam bovem adorate: Sacrosanctum nolite tangere, sed observate.* Hæc vasalli sincera mens, sincerius consilium viri Palatini. Utinam in vestigia traherentur ex posteris non tam subditi, quàm Proceres, semper infesti præfenti Domino, ut nunc cum luctu experimur.

•••••

CAPUT XXVII.

Anarchia Florentinorum Reipublicæ.

1. **G**Ravissimus Patriæ morbus est, cùm plebs libertate luxuriatur supra modum, instar liberè vagantis equi, qui plus extrà, quàm in habenis lassatur, viriumque perdit: impotens nempe sui currere tantùm cogitat, non quo? Respublica certè Florentina olim immodicâ hac licentiâ per trecentos fermè annos laboravit; hinc inde jaçtata Fortunæ alternante aurâ jam in Patritijs suis gloriosa, & contenta: mox oppressa, & sanguine nobilissimorum civium infamis. Rursus in plebe suâ
vel

vel ad infaniam usque tumens, & furens; vel ad omnem obicem meticulosa; tam diu non quievit, donec depositâ libertate redderetur serva alieni Dominatûs.

Nam, ut refert Bodinus: Florentinis primùm sublatâ Monarchiâ Democratia placuit, quæ modico intervallo in Aristocratiam mutata: Quo tempore optimates imperium adepti, cum de Principatu inter se contenderent, illicò mutuis odijs, & proscriptionibus tantoperè se ipsos attriverunt, ut à popularibus hominibus, qui adversus nobilitatem arma ceperant, facilè vincerentur, ac fugarentur.

2. Acta igitur in exilium Nobilitas, soli supererant Populares, qui Rempublicam regerent: regunt, & rexissent diutiùs; nisi livor, & æmulatio interdixisset regimen. Certatum inter illos de primatu, atquè inter hos potissimùm, qui *Grandes* dicebantur: nam popularium, si ve plebejorum, tres ordines fuère, *Grandium*, *Mediorum*, & *Infimorum*; crudeliores omnes in seipsos, quàm si hostem in Civitatem recepissent. Nihil judicijs, nihil legibus, sed armis omnia decernebant.

3. Cum ita mutuis cædibus se colliderent,

medius ordo plebejorum, oppresso primo, Reipublicæ gubernacula arripit, sed hic paulo post cum inter se de honoribus, & magistratibus ferro dimicaret, concidit, & plebs infima potentior evasit, quæ cædibus ac sanguine primi, & secundi ordinis plebejorum, omnia complet. Neque cædibus tantum, sed rapinis, & incendijs Civitatem aded scædavit; ut Lucenses, quia gravissimis Florentinorum casibus compassi, vicinis suis arma ponere suaserint: quorum auctoritate, & precibus persuasi, tandem abstinerunt ab ulteriore internecione; ad miora tum consilia regressi ablegant viros ad Pontificem, ut Regem Reipublicæ præficeret, abrogaret civiles æmulationes, & pacem daret Patriæ. Aded insanit plebs, & ruit ab uno ad aliud extremum. Ubi prius omnia regere, jam regi ab uno volunt omnes. Admirandus verè consensus iste omnium in servitutem, quibus antè nulla libertas fat magna fuit. Impetus autem erat non consensus: tempus mox docebit, *quàm sit instabile vulgus.*

4. Erat fortè tunc Carolus Siciliae Rex in promptu. Is & Papæ consilio, & Florentinorum precibus, & amcenitate Provinciae persuasus Florentiam

rentiam venit, Imperium suscipit, seditiones tollit, dissidia componit, membra cum corpore, Cives cum Republica, Rempublicam cum Principe conjungit, & tandem conciliatis, & tranquillatis omnium animis, & in optimam formam reductâ Civitate, cùm ad Regnum suum vocaretur, legatum Vrbi præficit.

5. At vix extra urbis septa fixerat pedem Rex, cùm Florentini tantillum unius imperium pertæsi, ad popularem statum redeunt, ejecto legato bellum renovant domesticum, susque deque miscent omnia: non ita barbari, non ita feræ. Postremùm malo proprio lassati rursus ad frugem redeunt: quærunt: deliberant. Tandem placuit Ducem Athenarum acciri. Accitus venit, potitur imperio, & primùm jubet, ut arma Cives ponant. Externum deinde inducit militem, vicatim disponit, seditiosos conventus dissipat: armatus Princeps togatos vult esse Cives.

6. At hîc labor fuit cædibus assuetum Populum armis spoliare. Jam suspirabant tunc pristinam libertatem, dolebant militem se arbitrio exponi, concitantur animi, itur in clanculares deliberationes, conjurant, & mox in ar-

ma prouunt, cingunt obsidione Prætorium, deditioem parat Princeps, vix urbe excessum impetrat, & nec per annum administratâ Republicâ proprio periculo cautû reliquit populari multitudine nihil periculosius, nihil insolentius esse.

7. Postquam Regio jugo se exsoluerat Florentia, denuð Aristocratix formam amplexa, quæ tamen magis popularis videbatur; nam optimis quibusque commissum fuit imperium, sed qui à pessimis de plebe dependebant: sicque sæpiùs variato Magistratu, velut Euripus quidam res cõmunis agitabatur continuâ fluctuatione. Ardentissimâ febre correpti mutant locum, lectûmque sæpiùs, quasi morbi vis non lateret in visceribus; sed in locorum situ. Ita Florentini Reipublicæ vim, & quietem reponabant in variatione, & continuâ mutatione regiminis, quasi ibi lateret vera statûs ratio, ubi gravissimo morbo laborabat. Respublica ingens est machina, quæ sine ingenti cõmotione nunquam de una in aliam transit formam. Ad rem regredior.

8. Tandem ex seditione Rinaldi Albrizi, Palla Strozzi, Rudolphi Peruzi, & Nicolai Barbadori

badori in exilium egerunt primæ classis virum Cosmum Medices, Patritium conspicuum, munificum, optimum; quodd neminem tanquam ex æquo Civem vel opibus, vel dignitate superiorem ferre velint: sicque Ostracismi antiquâ lege exilium luit.

9. Interea confusio Reipublicæ vel Anarchia potius jam toties repetita occupavit rursus omnes, ut inexplebili cupiditate, & licentiâ omnes auderent omnia: donec vix lapso aâno revocatus ab amicis Cosmus denuò restituit Patriæ pacem, omnibus quietem, & sensim primævû florem. Quoad vixit, præeminuit semper auctoritate, & opibus, sed magis benè meritis in Rempublicam. Cujus deinceps tumulo ex Senatûs Consulato inscriptum fuit elogium. *Decreto Publico Patri Patriæ.* Res prius nunquam audita, & post tantos Reipublicæ motus vix credenda!

Præfagiebant fortè jam tunc vota Civium *Patrem* dicentium *Patriæ*, daturum aliquando longam ex posteris Principum seriem, qui tam diù in anfractus deviantem Rempublicam suavissimo flexu reducent in quietem, & decus publicum.

Nam ex tunc sublatum erat planè populare

lare Imperium, substituto optimatum regimine, in quo jam tunc partem aliquam Dominatûs tenebat gens Medicæa, quæ Cosmi auctoritate clarisque factis obtentâ famâ, multùm deinceps pollebat in Republicâ, licet variâ fortunâ, & in continuâ colluctatione cum antiquæ libertatis Civibus : donec & Pontificiâ auctoritate Clementis Septimi, & maximi Cæsarum Caroli Quinti armis subacta Florentia subjicere debuit summam sui imperij Alexandro Medices, qui expulsis seditiosis, constructis validissimis præsidijs, sacrâ ac profonâ fultus auctoritate Dominatum obtinuit, & reliquit posteris totius Italiæ florentissimum. Sic Anarchia transit in Monarchiam. Sic magna, & lasciviens libertas mancipatur. Sic immodicæ popularium turbæ talem merentur quietem.

Sic finit Liber tertius arcanorum Statûs Poliarchici



INDEX LIBRI III.

*Numerus Primus Caput, secundus numerum
Capitis significat,*

A.

Æqualitas popularis, cap. 9.
per totum.

Æqualitas amicitia generat.
cap. 9. num. 1. Fundamentum
est popularis Reipublicæ. ibid.
in quo consistit. num. 2.

Ætas præcedentiam gignit,
cap. 18. num. 8.

Ambitus Optimatū cap. 19.
num. 1. & seq. tria illius reme-
dia. ibidem num. 2.

Arcana duo Tyrannorum
cap. 24. num. 8.

Arcana Nobiliū contra ple-
beios, cap. 17. num. 1. quorum
quinque sunt. ibid. num. 2. exem-
plo Lacedæmoniorū, ibid. n. 3.

Arcana Optimatum sunt cre-
atio Dictatoris, cap. 17. num. 4.
caput rerum non deserere, ibid.
n. 5. impedire splendida con-
nubia, &c. num. 6. 7. 8. 9. 10.

Alia arcana Aristocratica,
cap. 17. num. 15. 16. 17. 18.

Arcanum malorum Princi-
pum, cap. 8. num. 4.

Arcanum Democratiaē circa
vicinos, cap. 10. num. 4.

Arcana usurpandi Domina-
tūs, cap. 22. num. 1. & seq.

Arcanum Aristotelis de Ma-
gistratibus, cap. 7. num. 3.

Aristocratia quid? cap. 1.
num. 5.

Aristocratiam componunt
Nobiles cap. 14. num. 3.

Aristocratia quomodo de-
generat in Oligarchiam, cap.
12. num. 4.

Aristocratiaē Duum-viratus,
trium-viratus fatalis, c. 13. n. 4.

Artes Augusti Cæsaris, cap.
22. num. 4. & seq.

Artes ejusdem, cap. 11. n. 7.

Augustus quo sine Tribuni-
tiam potestatem sibi compa-
ravit, cap. eod. num. 2. item
cap. 2. num. 11.

Avaritia mutationis statūs
causa, cap. 21. num. 2.

Authoritas Optimatum, &
quibus medijs illa conciliatur,
cap. 18. num. 1. & seqq.

Authoritas & reputatio sta-
tūs popularis, cap. 4. n. 1. & per
totum. quid illa: ibidem.

Authoritatis firmamentum,
armo,

armorum fortitudo cap. 4. n. 6. opes. num. 9. Privilegia. num. 11.

B.

Belgium foedus septemplex cap. 13. num. 6. describitur ibidem. num. 7.

Bellum Curiale, c. 2. n. 9.

Benevolentiam sibi conciliare omnium, inq; rebus omnibus, est arcanum usurpationis cap. 22. num. 9.

Bruti actiones post ejectos Tarquinius, cap. 5. num. 6.

Brutus, & Cassius occisores Julij Cæsaris, cap. 22. num. 4.

C.

Candidatorum proclamatio apud Venetos, & quibus Authoribus electi, & quare ultimum? cap. 15. num. 11.

Carolus M. quomodo composuit Saxoniam cap. 17. num. 17.

Causæ mutati status Aristocratici, c. 21. num. 1. & per totum.

Clementia Domûs Austriacæ fermè nimia, cap. 19. num. 13.

Comitia cap. 15. & per totum.

Comitia quid? ibid. num. 2.

finis num. 2. Suffragantium respectus, num. 4. non habentur apud Venetos post solis occasum, & quare? cap. eod. num. 14.

Comitia in statu populari, c. 6. num. 1. & per totum. Necessitas eorum, ibidem.

Comitia licet popularia, tamen per ablegatos potius particulares constituenda cap. 6. num. 4. quales ablegandi ibi. n. 5. 6. in Comitijis tria observanda, num. 11.

Consilij plus, quàm armis incumbit status popularis, cap. 6. num. 2. Consilij vis, ibidem.

Communitas an tota in statu populari vocanda in consilium, cap. 6. num. 3.

Contemptum quid pariat, cap. 18. num. 2.

Connubia popularium cum Nobilibus cap. 4. num. 12.

Cromvellus cap. 11. num. 4.

Curius & ipsius modestia c. 9. num. 2.

D.

Decem-viratus desijte per scelera Decemvirorum, cap. 18. num. 15. cap. 20. num. 16. præsertim Apij & Sullæ cap. 13. num. 15.

Delectus Optimatum cap. 14. num. 1. & seq. à delectu pendet Reipublicæ status, cap. 14. num. 7.

Democratia quid? cap. 1. num. 5. ejus duplex species, cap. 2. per totum, prima species rejicitur, cap. eod. num. 6.

ejus

ejus mali effectus, num. 7. secunda species laudatur, cap. eod. num. 8.

Democratia fundamentum cap. eod. num. 10. cap. 5. num. 1. ejusdem scopulus, cap. 2. num. 11. temperamentum num. 12. in Democratia quantum valeat Authoritas & fama illius cap. 4. num. 1. Jura Majestatis ad illam spectant ibid. num. 2. item Magistratum creatio. n. 3. etiam Jus belli & pacis n. 5.

Democratia abhorret omne quod Regium est cap. 5. nu. n. 5. præsertim in nova Republicâ ibidem.

Democratia semper habeat Præsidentem popularem cap. 7. num. 2.

Democratia fatalis est unitas sive paucitas notabilis imperantium cap. 7. num. 6.

In Democratia cujus est condere legem? cap. 8. num. 7.

Demarati Regis effatum de Legibus. cap. 8. num. 5.

Democratia ab omni, quod externum est, abhorreat cap. 8. num. 8. cap. 10. num. 1.

Democratia pericula cap. 11. num. 1. & seqq. præsertim à Ductoribus & concitatoribus populi, cap. eod. num. 4. quorum exempla ibidem.

Democratia alterum periculum à cunctatione, cap. eod. num. 5. exemplo Peloponnetiorum ibidem. hujus remedium num. 6.

Democratia tertium & quartum periculum ab otio, num. 7. à nimia libertate num. 8.

Democratia alia pericula ibi & hinc inde.

Differentia inter Tyrannum & Regem, cap. 24. n. 5. 7. &c.

Diffidentia in statu Poliarcho est arcanum status, cap. 23. num. 7.

Dissidia civium invehunt tandem Dominatum Unius, c. 22. num. 1. Orangij & Cromvelli exemplo, ibid. num. 2.

Distinctio cultus externi, & singularis multum confert ad auctoritatem, cap. 18. num. 6.

E.

Egeni an just? cap. 6. num. 5.

El etores quomodo constituantur apud Venetos in creandis Magistratibus, cap. 15. n. 7.

Ehgendu ibidem modus, cap. eod. num. 8.

Electorum numerus, cap. eod. num. 10.

Emacullatio Civium, cap. 18. num. 13.

Emerere suffragia c. 6. num. 6.

Eminentiores adoriuntur Tyranni, cap. 24. num. 9.

Ense cingantur Optimates, non plebæi, cap. 18. num. 6.

Error circa occidendum Tyrannum cap. 26. num. 7. à Concilio Constantiensi damnatus, ibidem. quasi solæ cogitationes de occidendo Principe puniuntur, cap. 26. num. 8.

Expilatores populi Lepidus, & Antonius, cap. 18. num. 13.

F.

Fabius, cap. 7. num. 5.

Familia Appia, cap. 16. n. 7.

Familijs ad inopiam redactis subveniendum, cap. 18. num. 7. Romanorum exemplo ibidem.

Fastus Optimatum moderandus, cap. 17. num. 19.

Fœdus quale, & quomodo populares Respublicæ inire debeant? cap. 10. num. 3.

Fœdera cum potentibus periculosa, ibidem. in fœderibus transigendis ad duo advertant, cap. 10. num. 4.

Florentina Respublica cur cecidit? cap. 7. num. 6.

Florentinorû Anarchia. cap. 27. num. 1. & per totum, tres ibi erant Ordines, grandium mediorum, & infimorum, ibid. num. 2. eorundem collisiones ibidem, & seq.

Florentini Regem Siciliae in Principem accipiunt, cap. eod. num. 4. rejiciunt, num. 5. re-assumunt civile bellum, ibidem.

Florentini rursus Ducem Athenarum eligunt, ibidem: sed mox Urbem pellunt num. 6.

Florentini post mutationes Regiminis rursus Aristocratiam instituunt, sed valde popularem, cap. eod. num. 7.

Per seditionem quorundam Optimatum in exilium agunt Cosmum Medices. num. 8. is redux in Patriam, sultus ab externis potentijs desolatam patriam componit, Anarchiam plebis seditiosæ corrigit; & mox populare Regimen, sensim Aristocraticum ex toto tollit, superinvento Principatu, num. 9. usque in finem.

Fomenta Authoritatis popularis, cap. 4. num. 2. &c.

Formæ Regiminis frequenter commiscuntur invicem, cap. 1. num. 10. quod patet in nostrâ Europâ passim, num. 11. sed una semper præponderat, à quâ ei nomen, ibid. num. 12.

Fridericus Rex bis sextillis cap. 17. num. 13.

G.

Gallos quid perdidit in Regno

gno Neapolitano, cap. 4. num. 10.

Genuens'is Respublica cap. 23. num. 1. & per totum. Hæc vicissitudinibus obnoxia ibid. ab Andreâ Auria liberata. ibid. numerosa, potens, pulchra, libera, cap. eod. num. 2.

Genua est status Optimatum, num. 3. ex viginti octo familijs, ibidem.

Genua habet duplex Consilium magnum, & minus, ibi. n. 4. Dux Reipubl. unus, sed temporaneus, non, 5. octo Gubernatores, num. 6. sed cum Duce bicentiales, num. 7. sunt quoque ibi minores Magistratus num. 8. item summus Præfectus armorum cum 40. centurionibus & quater mille militibus, num. 9. omnium autem maximus Magistratus, quinque supremorum, num. 10.

Germani quomodo à Romanis victi. cap. 11. num. 7.

Gradus Tyrannidis cap. 25. num. 9.

Græcorum Urbes alienis auxilijs everse, cap. 10. num. 4. H.

Helvetiorum Respublica, c. 3. per totum. Plures habet populos, Urbes paucas, unum totius gentis concilium, c. eod. n. 1.

fundamentum Reipublicæ Helveticæ, cap. eod. num. 2.

Helvetia tribus constat partibus, num. 3.

Helvetici populi sive Cantones tredecim & qui? ibidem.

Helvetiæ socij sive fœderati, cap. eod. num. 4. Præfecturæ num. 5.

Helvetiæ membra plurima in extero solo, cap. eod. num. 7. quomodo reguntur, num. 8.

Helvetijs duplex publicum Consilium, cap. eod. num. 10.

Helvetiorum militaris fortitudo cap. 4. num. 7. apud exteros æstimata, num. 8.

Helvetiorum mos circa lites cap. 8. num. 8.

Helvetij quomodo extenderunt pomeria cap. 10. n. 3.

Henrici IV. infelix exitus Authore Raviliaco, cap. 26. num. 7.

Hollandiæ Respublica, cap. 13. num. 5.

I.

Ignavia Childerici, aliorumque, cap. 19. num. 9.

Imperium Romano-Germanicum est Monarchicum, c. 1. n. 13.

Imperium non prorogandum Optimatibus, cap. 19. n. 5. 6. 7. ut Cicero exprobat Cæsari ibidem, num. 5.

Impediendi potentium conatus cap. 19. num. 8.

Initium legis Regiæ cap. 22. num. 12.

Invasores libertatis Publicæ se ad speciem modestè gerunt cap. 22. num. 6.

Iustitiæ neglectus, mutatio- num statûs certa causâ, cap. 21. num. 1.

Intemperantia etiam vitæ cap. eod. num. 4.

Iuvenes etiam ad Magistratum vocandi, cap. 14. num. 3.

K.

L.

Lacedæmoniorû status mixtus cap. 1. num. 15.

Largitiones in usurpandis Magistratibus, cap. 14. num. 4.

Leges in Republica, cap. 8. num. 1. multæ corruptam indicant. ibidem.

Legum causâ, cap. 8. num. 2.

Leges antiquæ optimæ, cap. 8. num. 3.

Legum multitudo, cap. eod. num. 4.

Leges sunt universales, & supra omnem Magistratum, n. 5.

Leges populares circa quid? num. 6.

Leges quales esse debeant in statu populari, num. 9.

Leges Aristocraticæ cap. 16.

per totum. In his Reipublicæ salus ibid. num. 1.

Leges in Aristocratiâ quò respicere debeant, cap. eod. n. 2. utiliores antiquæ, quàm novæ, num. 3. corrigi tamen interdum debent, num. 4. Universos comprehendant, num. 5.

Legum firmamentum, n. 6.

Leges Aristocraticæ moderari debent potestâtè Optimatum num. 7. quales in hoc Veneti, num. 8.

Leges Aristocraticæ excludere debent à publicis eos, qui ab externis potentijs dependent, num. 9. quales in hoc Veneti, ibidem.

Leges rebus, non res legibus accomodari debent. num. 10.

Leges sunt æternæ, num.

11. Licurgi exemplo ibidem.

Lex de provocatione ad populum, c. 22. num. 7. Authore Publicolâ ibidem, alia ejusdè lex, c. eod. num. 8.

Legislator spartæ Lycurgus, cap. 8. num. 7.

Lentè procedendum in usurpatione, cap. 22. num. 10. ut fecit Augustus, ibidem.

Libertatis popularis cap. 5. per totum.

Libertatis abusus c. eod. n. 2.

Libertas

Libertas vera in quo consistat, cap. 11. num. 8. cap. 5.

Libertas popularis quibus fulcitur? cap. 5. num. 9.

Libertas nimia populi extinguit statum Optimatum, cap. 21. num. 6. exemplo Athenarum. ibid. cap. 7.

Limitare potestatem Magistratum, c. 4. num. 4.

Luxus singularis Alcibiadem perdidit & multos alios, cap. 9. num. 3.

M.

Majoratus in Statu populari exosi, cap. 4. num. 12.

Magistratum creatio in Democratia ad populum spectat, cap. 7. num. tertia pars deferri quidem potest nobilitati, sed sub præsente populari, cap. 7. num. 2.

Magistratus, ne sint diuturni, num. 4.

Magistratum alternatio, ibi. num. 5. excellit in hoc Veneta Respublica, num. 5.

Magistratum prorogatis n. 6.

Magistratus conferantur gradatim num. 7. dignis, ibidem.

Mæcenatis arcanum de imponenda seruitute Optimatibus cap. 21. num. 8. ejusdem ad

Augustum monitum, cap. 22. num. 10. 11.

Mixta Imperia ex pluribus formis facile corrumpuntur, cap. 1. num. 16.

Modus suffragandi certus, cap. 15. num. 5. 12. sex requirit suffragia per Candidato apud Venetos, num 9 pro electo supra dimidium, num. 13.

Monarchia quibus paratur, cap. 22. num. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

N.

Nobilitatis nulla ratio apud populares Respublicas, cap. 8. num. 9.

Nobilitati quæ opponuntur in statu populari, cap. 5. num. 8. pateat illi aliquis ad Magistratus aditus, cap. 7. num. 1.

Nocendi voluntatem eripit Tyrannus, cap. 24. num. 10.

Non ob quamcunque causam Reges dicendi Tyranni, cap. 25. num. 4.

Notoria processu opus non habent, præsertim in materia status, c. 19. n. 1. Exemplo Titi aliorumque ibidem, num. 12.

O.

Oligarchia quid? cap. 1. n. 8.

Ochlocratia quid? cap. cod. num. 9.

Optimatum status est paucorum

rum Imperium, cap. 12. per totum. Hujus Ectypon in antiquo testamento, num. 2.

Optimatum numerus cap. 13. num. 1. esto nec nimis magnus, nec nimis parvus, ibidem. num. 2. circa hunc notandum, cap. eod. num. 3. 5.

Optimatum verus status ibid. num. 5.

Optimi qui? cap. 14. num. 2.

Optimatum promptitudo, cap. 18. num. 2.

Optimates ut se gerant, cap. eod. num. 4.

Optimatum defectus refarciendus ex popularibus. cap. eod. num. 8.

Origo Decem-viratus Romæ, cap. 20. num. 15. extinctus, ibid. num. 18.

Orgio Atheniensis Reipublicæ, cap. 3. num. 2.

Ostracismus quid? cap. 9. num. 4. fuit ille arcanum populare, cap. 9. num. 5. an expediat ibidem.

Ostracismi pœnam multum olim luebant, ibidem. num. 6. sed nunc & olim raro felici exitu, num. 7.

P.

Pax Tyrannorum turpis, c. 24. num. 11.

Phalaris Tyranni confessio cap. eod. num. 3.

Phalaris responsum ad Potharcum, cap. eod. num. 6.

Periculosum omnes Cives in consultationem vocare cap. 2. num. 3. 5. Pisistratus, cap. 11. num. 4.

Pisandri Reipublicæ institutio, cap. 2. num. 2.

Pisonis superbia ex connubio Plancinæ, cap. 17. num. 11.

Plebis naturale odium in Patritios, cap. 25. num. 6.

Pompeius, cap. 16. num. 7.

Pompeij in Ægyptum profugi dictum ad Uxorem & liberos, cap. 24. num. 4.

Populi in Optimates Religiosa observatio, c. 18. n. 5. negotiorum in illum communicatio, cap. eod. num. 9. mitius quoque Regimen, num. 10. summopere conciliat populum ad quod valet exemplum Livianum, num. 11.

Prærogativæ populares, cap. 4. num. 11.

Prætextus speciosi, ambitum in Republicâ impediendi, cap. 19. num. 10.

Pyrrhus Rex, cap. 5. num. 4.

Q.

Quanta potestas viresque concedendæ Optimatibus, c. 22. num. 5.

Quæstio: an Roma fuerit Ari-

Ari-

Aristocratica, vel Democratica? cap. 12. num. 3.

Quintius Cincinnatus, cap. 11. num. 4.

Quot modis in Tyrannidem deflectitur, cap. 25. num. 1. & per totum.

Quomodo ex Monarchia in specie in Tyrannidem, ibid. num. 2.

Quomodo Aristocratia in Oligarchiam, num. 5.

Quomodo Democratia in Ochlocratiam, num. 6.

Quomodo Ochlocratia in Anarchiam, num. 7.

R.

Regibus invisa popularis libertas, cap. 5. num. 4.

Regum memoria abominabilis in statu Optimatum, cap. 20. num. 6.

Romæ qui erant aut Aristocratici, aut Democratici magis? cap. 7. num. 2.

Romæ unde in servitutem prolapsa, cap. 7. num. 6.

Romæ neglectus Optimatū ambitus, cap. 19. num. 3. removendi potentiores, ibidem n. 7.

Romæ quæ forma Regiminis? c. 2. num. 9. cap. 20. per totum. quibus floruit legibus? cap. 8. num. 4. ejus sepositum aurum ante bellum Punicum, cap. 4.

num. 10. provocatio ad populum, cap. eod. num. 4.

Romanæ Reipublicæ vicissitudines, cap. 20. num. 1. & per totum.

Romæ centum Patres post Romuli excessum, ibid. num. 2. redijt rursus ad unius Regimen. ibidem. continuavit usque ad Tarquinium, num. 3. Tarquinius ejectus & sublatus cum ipso Regnum, num. 4. successerunt Consules, num. 5.

Romæ Dictatoris potestas cap. 20. num. 9. brevis & temporanea num. 10.

Romæ gravis seditio Authore Sicinio. c. eod. n. 11. à Menenio sopita, n. 12. quâ conditione? num. 13.

Romæ quanta Tribunorum potestas, cap. eodem. num. 14. hæc evexit statum popularem ibidem. Decemviratus oppositus Tribunis num. 15.

Romæ Oligarchia, cap. eod. num. 19. & cum hæc finis Reipublicæ, ibidē. quomodo mutata? cap. 22. num. 3.

S.

Status definitio, cap. 1. n. 1. divisio, cap. eod. num. 2.

Status Regius quid? ibid. n. 3.

Status Poliarchicus quid? ibid. num. 4. quotuplex? num. 5.

Status popularis describitur
cap. 2 num. 1.

Status Spartanorum mixtus,
cap. 1. num. 15.

Status popularis Opes exigit
publicas magis, quàm privatas,
cap. 4 num. 9.

Sævitia Optimatum parum
proficit cap. 18. num. 12. 14.

Servinij Parlamentarij Gal-
liæ Judicis odiosa quæstio, cap.
26. num. 7.

Signum mutationis statûs,
cap. 10. num. 2.

Societas Optimatum pericu-
losa, cap. 19. num. 3.

Societas in statu populari
cautè cum externis incunda, c.
10. num. 2.

Sullæ crudelitas, cap. 18.
num. 14.

Suprema lex & legum nor-
ma est salus publica, cap. 16.
num. 12.

Suspecti statui populari, cap.
5. num. 4. 5. 6.

T.

Taciturnitas, cap. 6 num. 9.
ejus defectus Rem Romanam
tandem perdidit, ibidem.

Taciturnitatis Religio apud
Venetos, cap. 6. num. 10.

Theramenes, cap. 16. num.
13.

Themistocles, ibidem.

Tiberij jactantia, cap. 6.
num. 1.

Tiberius persequitur Asiniû
Gallum cap. 17. num. 9. idem
persequitur Syllanum Creti-
cum, ibid. num. 10.

Tiberij responsum ad Scia-
num, cap. 17. num. 12.

Tiberij artes, cap. 22. num.
18.

Tribunorum plebis creatio
arcanum statûs popularis, cap.
11. num. 1. sed tandem Roma-
nis infeliciter cessit, num. 2.

Tribunitia potestas quam
magna num. 3.

Tribunitia potestas Romam
invecta plurima mala excitavit,
cap. 2. num. 4.

Tribuni militum Consulari
potestate donati, cap. 20. num.
17.

Tribunitia potestas, maxi-
ma Augusti securitas, cap. 22.
num. 7. Cæsarum filijs & nepo-
tibus ordinaria post Augusti
usurpationem, num. 8.

Turbulenta ingenia pericu-
losa sunt, præsertim rebus non
dum integris, cap. 5. num. 8.

Tyrannis quid. cap. 1. num.
7. cap. 24. num. 1. duobus ini-
tatur fulcris, cap. eod. num. 2.

Tyran-

Tyranni pessima conditio, n. 3.
 Tyrannorum conatus, n. 4.
 Tyranni se omnia posse putant, num. 6.
 Tyranni Actiones, num. 9. 10. 11.
 Tyranni varij apud varias gentes recensentur. cap. 25. num. 8.
 Tyrannidis remedia, cap. 26. per totum.
 Tyrannus est duplex, cap. eod. num. 2. titulo & regimine ibidem. quid unus & alter? ibidem & num. 3. distinctio circa hos S. Augustini ibidem. num. 4.
 Tyrannidis duplex remediū ibid. num. 5.
 Tyrannum an liceat interficere & qualem? ibidem.
 Tyrannus regimine non definit esse Rex, ibid. num. 8. exemplo Davidis comprobatur, ibidem.

V.

Veneta Respublica omnes formas statūs sive Regiminis complectitur, cap. 1. num. 14.
 Veneta Respublica mixta, cap. 11. num. 8. potius tamen Optimatum dicenda, ibid. n. 9.
 Venetorum arcanum circa Vicinos, cap. 10. num. 4.
 Venetæ Reipublicæ modus suffragandi in Comitij, cap. 15. num. 7.
 Vitia opposita speciebus sive formis Rerumpubli. arum, cap. 1. num. 6.
 Vitia privata Principum non faciunt Tyrannum, cap. 25. num. 3.
 Vrbes Helvetiorum numerantur, cap. 3. num. 6.
 Vrnæ suffragiorum apud Venetos quales, quot, & cur? cap. 15. num. 7. 12. 13.
 Vsurpatores sibi rem, alijs nomen attribuunt, c. 22. n. 11.



MERCURIUS
PRINCIPUM

Sive

ARCANORUM
STATUS

LIBER IV.

De

LEGATIONIBUS

aliisque

LEGATO

scitū necessariis.

❁) (❁

PERIOCHA
ARCANORUM STATUS
LIBER IV.
MERCURIUS PRINCIPUM,

Sive
DE JURE LEGATIONUM.

Caput I. <i>Definitio Legati, Potestas ejus mittendi, differentia, qualitates & Cause Legationum.</i>	pag. 1
Caput II. <i>Legati quomodo tractandi.</i>	28
Caput III. <i>Monita ad ipsum Legatum.</i>	53
Caput IV. <i>Observationes particulares magis repetitæ non repetitæ.</i>	70
Caput V. <i>An Status Imperii Jus Legationis habeant de eorum Competentiâ.</i>	79
Caput VI. <i>Quæ scire Legatum oportet.</i>	87
Caput VII. <i>De variis Principum Prætensionibus.</i>	141

LIBER V.
IRIS POLITICA,

Sive
DE JURE CONFOEDERATIONUM.

Caput I. <i>De Fœdere in genere.</i>	196
Caput II. <i>Diversitas Fœderum.</i>	201
Caput III. <i>Fœderum varii fines.</i>	207
Caput IV. <i>Cujus est inire Fœdera.</i>	216
Caput V. <i>Cum quibus ineundum Fœdus.</i>	221
Caput VI. <i>De Confœderatione cum Infidelibus & Apostatis.</i>	232
Caput VII. <i>Cautelæ circa fœdera cum Infidelibus & Ecclesiæ hostibus contrahenda.</i>	235
Caput VIII. <i>Quæ Principi cum Vicinis fœdera.</i>	243
Caput IX. <i>De Firmitate Fœderum.</i>	249
Caput X. <i>Observanda in paciscendis Fœderibus.</i>	256
Caput XI. <i>De Neutralitate ejusque Causis.</i>	262

Caput XII. <i>Commoda Neutralitatis.</i>	pag. 267
Caput XIII. <i>Incommoda Neutralitatis.</i>	271
Caput XIV. <i>Quid observandum Principi, cum inter duos alios Principes se neutralem futurum declarat.</i>	pag. 277
Caput XV. <i>De Neutralitate in Bello civili.</i>	pag. 283
Caput XVI. <i>Causæ Motive ad partialitatem ineundam.</i>	287
Caput XVII. <i>De necessariâ partialitate.</i>	292
Caput XVIII. <i>De commodis & Incommodis partialitatis.</i>	294
Caput XIX. <i>Quid expendendum Principi, cum is inter duos belligerantes, in Belli societatem requisitus, deliberat.</i>	299
Caput XX. <i>Cui assistendum.</i>	305
Caput XXI. <i>De Fœdere Clientelari.</i>	312
Caput XXII. <i>Politice Protectionis ratio.</i>	318
Caput XXIII. <i>De Fœdere Hansæatico.</i>	324

LIBER VI.

DE ÆRARIO ET OPIBUS PUBLICIS.

Caput I. <i>Demystaurando & restaurando Ærario & Re Nummariâ Monita & Arcana.</i>	329
Caput II. <i>De malis Ærarii Ministris & Peculatu.</i>	333
Caput III. <i>De cumulando thesauro.</i>	336
Caput IV. <i>Coloniæ augent ærarium & opes publicas.</i>	345
Caput V. <i>De Commerciis.</i>	348
Caput VI. <i>De Tributis.</i>	353
Caput VII. <i>De diversis aliis medijs particularibus, bonis & malis, augendi opes publicas.</i>	369
Caput VIII. <i>De extremis remedijs juvandi Ærarium.</i>	378
Caput IX. <i>De Augmentatione Statûs.</i>	384
Caput X. <i>De stabiliendo Statu.</i>	398
Caput XI. <i>Quid operato Principi agendum.</i>	410
Caput XII. <i>Exemplo Hispaniæ, Galliæ, Angliæ ostenduntur modi consiciendi Ærarium publicum.</i>	418
Caput XIII. <i>Continuatio Materiæ in Gallorum Regno.</i>	421
Caput XIV. <i>Continuatio materiæ in Hispaniâ.</i>	439



CAPUT I.

Definitio Legati, Potestas ejus mittendi, differentia, qualitates & causa Legationum.

I.

Breviore methodo, quàm rei fert Majestas, maximum post Imperantes munus exhibeo. Mercurium inquam, Deorum nuntium, in scenam produco, ut vel indè intelligas, sermonem mihi non esse, de obvijs quibusque Nuntiis, Agentibus, Procuratoribus &c. sed de Legatis in sensu eminenti, qui prototypa sunt Principum, Regum, Imperatorum: qui sacro-sanctâ pol- lent immunitate, qui dicunt aguntque omnia, quasi ipsi summi essent. Dixit Deus in scripturis ad Principes: *Dij vos estis in terra:* & alibi *Synagogam Deorum* appellavit cœtum Imperantium; quidni horum Legatos Mercurios ego dicam, munusque eorum de divinitate quidpiam participare asseverem? Ita est: non me in longum distraho: ubi S. Thomas, in opusculo de Regimine Principum, eos Angelis, Origenes Prophetis, Tertul- lianus Apostolis comparavit. Primi è Cœlo fuere Angeli, cœlestis nimirum iræ tam post lapsum primi hominis, quàm ad reparandum Mundum per Verbum Patris, gratiæ Nuntii. Post Angelos Deus usus est Prophetis vel ad illustrandum, vel ad cohibendum mundum. Tandem Apostolos misit in omnem terram, ut pro Christo Legatione fungerentur. Pri- mum itaque antiquissimumque post conditum Orbem **Officium Legationis** est: tantæque sublimitatis, ut

Legatos mittere vel soli Deo, vel duntaxat, qui Dominum in terris repræsentant competere videatur. Ut autem in re notoriâ brevis sim: paucis *Legatum* describo: Mihi igitur *Legatus* est: Minister Publicus à Principe vel Republicâ potestatem mittendi Legatos habente, missus ad negotia publica tractanda, cumque vel eamque repræsentandam charactere peculiari ad externum Principem, aut Rempublicam eâdem aut æquali potestate præditam. Ingenua sanè hæc descriptio est, quæ nihil reticet, aut coarctat, sed omnes essentielles Legati portæ ob oculos ponit. Consideranti eam, & sequentia luculentius patebit. Continet enim missionem, & virtualiter admissionem: potestatem quoque publicam mittendi & recipiendi: repræsentationem item sub charactere Ambassiatoris sive Legati primæ classis: Mandatorum etiam tractationem, sub quâ intelligitur enuntiatio eorum, & relatio responforum: differentiam denique, id est certam Legati speciem designantem. Differt enim *Legatus* sic definitus à *Nuntiis*. Hi enim non tantum publicè à Principe vel Republicâ mittuntur, verum etiam à privatis sine solennitatibus & charactere peculiari. Differt ab Oratore, hic namque de quavis materiâ differere potest, Legatus de publicis tantum, licet apud quosdam Principes Oratoris nomen & dignitas eadem est, quæ Legati, quod ab acceptatione mittentis & admittentis dependet. Differt à Procuratore, sive ad certum negotium, sive cum plenipotentia instructo; talis quippè ab Inferiore etiam ad Superiorem destinari potest. Differt à Commissariis, qui à Superiore ad Inferiorem; & Deputatis, qui ab Inferiore ad Superiorem mittuntur. Differt à Legato Cæsaris & Pro-Consulis. Hic enim olim species quædam Magistratus fuit, cum propriâ suâ Jurisdictione, destinati ad Provinciam regendam.

Unde

Unde hoc ævo etiam Pontifex, Romanorum veterum more, Rectores Provinciarum suarum, compellat Legatos. Differt à Delegato: huic enim ex potestate Superioris Jurisdictio, vel privatarum causarum cognitio delegata & commissa est. Experientiâ quoque & praxi constat non unumquemque missum, Ambassiatoris sive Legati nomine insigniri, quia non omnes emissi ornantur à suo Primipe illo eharactere peculiari Ambassiatoris. Diximus *Ministrum Publicum*, ut viliores appellationes Agentium, Mandatariorum, Procuratorum &c. quos in exprimendâ Legati definiendi dignitate impares censemus, Studio caveremus. Enim verò *Ministri* nomen nostrâ ætate præminentiam singularem denotat, neque aliis jure competit, nisi quos in administrandâ Republicâ, præcipuos Regnantium Adjutores, ipse Cyrus, Persarum Monarcha, dixit. Si verò talis *Minister Statûs* semper magnum quidpiam sonat, licet aliàs ex ipsâ Etymo *obsequium* significet, & *privatus* sit: Quid igitur *Publicus*? Quid: si apud exteras gentes Principis personam agat? Quid: si sub privilegio & immunitate gentium liber vivat? Hoc sanè mihi quid excelsum, & supra privati hominis munus est. Unde meritissimo Jure *Legati*, quâ *Ministri Publici*, præferuntur omnibus aliis Ministris Statûs; & per indubitatam sequelam ipsis (obsistat quantumcunque mos in adversum) Cardinalibus Ministris, sive isti sint Protectores, sive Legati terrarum Ecclesiæ, quoniam non sunt in Juris gentium præsidio, neque expositi sive publici Ministri immunitate gaudent. Aliud enim est Minister privatus alicujus Statûs, aliud Minister publicus: in illo licet magnus honor, in hoc maximus post Principem est, quia ejus Prototypon in suâ personâ circumfert, & in Juris gentium tutelâ commoratur. Profectò, ad hoc Jus gentium respectu habito, reperitur aliquid in *Publico* Ministro eminentius, quod de *privato* prædicari nequit. Unde olim Ministri publici Romanorum, sine Legati *Verbenas*, sive *herbarum Sagminæ*, ut scribit Polybius & Valerius Maximus, à quibus *Sanctos*

dici cœptos, ait Martianus Juris Consultus *in l. Sanctum. ff. de rer. divis.* portabant, ut sic sub Jure gentium inviolabiles & sancti haberentur. Aimonius verò scribit *lib. 3. c. 67.* Legatos à Gondualdo Burgundiorum Rege ad Guntramum Francum Aureliani Regem destinatos sub Annum DLXXXVI. virgas sacras ferre jussos, ut immunitatem suam palàm ostenderent. Virgas verò istas, non verbenas fuisse ritu Romano, sed Caduceum potius Græcorum more, id est, Virgam Mercurio, Deorum Nuntio, sacratam, duorum serpentum ornatù, mutuoque complexù colligatam; idem tradit ex antiquo usu Gallorum: quem à Gallis postea ad alias gentes transmissum, etiam Plinius meminit. Cereemoniale hoc veterum fuit, ad denotandam specialem Legatorum dignitatem, quâ, ut olim, ita nunc, de Jure gentium fruuntur, & etiamnum Caduceatores, vel Caduciferi dicuntur.

Diximus: à Principe vel Republicâ potestatem mittendi Legatos habente. Tu autem quaris: quis aut quæ talem obtineat? Una & universalis omnium Juris Publici Interpretum vox respondet: **Legati nomen Jus Majestatis supponere in Legante.** Etenim si Legatos *Nuntios Belli & Pacis* dixit Cicero, nequibunt hi ab alio, nisi qui belli & pacis potestatem habet, id est supremo Principe, in quo sunt, & à quo pendent omnia Jura Majestatis, destinati. Unde idem Romanæ libertatis Vindex Tullius acriter ex hâc causa Vatinium insectabatur: *Ne hoc quidem, inquebat, Senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut non Legati ex ejus Ordinis auctoritate legarentur.* Tunc enim Majestas & Summa Imperiî, quam sibi arrogabat privatus homo, sed præpotens vir Vatinius, residebat in Senatù; atque ideò ab hoc solo, & non ab ullo privato creari debebant Legati. Jura quippè Majestatis ei competunt, cui Majestas. Hæc autem non solum Imperatori & Regibus, sed etiam cuicumque superiorem non agnoscenti, ut sunt Principes absoluti, Republicæ liberæ, populi quoque suo Jure utentes. Licet dignitas, ait

Arnifæus, & præminentia comitentur Majestatem, tamen essentiam hujus non constituunt, sed Jura illius, quæ illam sequuntur, ut umbra. Unde cuicumque Principi, vel per successionem agnata sit Majestas, vel per Electionem tradita, non dantur ei hæc Jura quasi in præmium, ut quidam malè opinantur, laborum; sed profluunt ex ipsâ Majestatis naturâ, per quam redditur Princeps caput Reipublicæ, quod gubernat omnia, adeòque secum habeat oportet ea Jura, sine quibus Imperium rectè administrari non valeret. Inter hæc autem Jura, Principibus non minus necessarium, ac utilissimum est **Jus Legatos mittendi**, sive alienis oculis videndi, alienis auribus audiendi, & quod maximum est, aliena sapientiâ subducendi se ingentibus periculis. Hinc, ut transitus fiat sensim ad particularia rectè conficio & dico.

2. Absolutus Princeps ad absolutum Principem jure destinat Legatos. Qui à Principe inferioris conditionis, id est, aliquâ Vassallagii lege obnoxio ad majorem mittitur, non tam Legati quàm Agentis, aut Procuratoris nomen meretur. Sic Anno 1604. à Legato Regis Hispaniarum apud Regem Magnæ Britanniæ protestatum fuit, ne is Hollandiæ Oratorem, Legati nomine dignaretur. Qui à Principe ad subditos, vel à subditis ad Principem ablegantur, illi Commissarii, hi Deputati dicuntur. Adeò, ut sicut Jus legationis inter Principum Regalia & reservata numeratur, atque ad Majestatem spectare diximus, ita munus ipsum Legati à nemine conferri potest, nisi qui Princeps sit absolutus, & Jura Majestatis habeat. Colonis Circeiensibus olim Senatus Romanus respondit: Faceferent properè ex Urbe, ex Ore, atque oculis populi Romani, ne nihil eos prætenfum Jus Legationis, externo, non civi, comparatum, tegeter. *Liv. l. 6.* Sunt tamen aliquando admissi & auditi Rebellium Legati, sed perperam; cum rebellibus nulla sit Majestas nec Potestas. Interim multùm hic pendet à voluntate ejus, ad quem mittuntur Legati, sive ipsi expediat subditorum defectioni studere, sive non videatur esse ci-

vili bello se immiscere. Ita Battavi Anno 1642. Legatum Parliamenti Anglicani de Regicidio rei & convicti admiserunt, Legato Regis Caroli frustra contranitente.

Porro Legationes sicut aliæ sunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ: ita alii sunt Legati ordinarii, alii extraordinarii, pro qualitate videlicet agendorum negotiorum, & voluntate mittentis: adeò ut temporis sive contractio sive protractio pendeat à dispositione Legantis. Ordinarii communiter longius resident, neque unum tantum, sed plura negotia expedienda habent, sæpe nulla; nisi quod honoris causâ in alienis Aulis resideant. Sic Romæ, Europæa Regna suos Ablegatos habent, qui continuò ibi resident: Sic etiam in Aulâ Cæsaris, sic apud alios Europæ Reges. Extraordinarii Legati, qui etiam legationis Jure planè gaudent, non minùs ac ordinarii, ad certum duntaxat negotium emittuntur; quo expleto finitur non solum Legationis munus, verùm etiam residentiae tempus. Verùm sicut, teste Livio, differebant apud Romanos Legati, & quibusdam illorum *lautia* data, & à Senatù dona decreta, aliis autem nihil, sed sæpe *tristia verba*, ut Livius & Tacitus ferunt: ita etiam moderno ævo & jure, magnum discrimen est inter Legatos primi, & secundi Ordinis, majores & minores. Character Legatorum primi Ordinis est qualitas, unde promanat Jus fruendi honoribus sui Domini. Hæc autem qualitas pendet à voluntate Domini sui, penes quem potestas omnis est, Legatum suum ejusmodi caractere peculiari condecorandi, & providendi. Unde Cardinalis Barberinus affectavit aliquando in Hispaniâ, ut Pontificius Legatus à latere, Jus Uranisci: similiter Cardinalis Cajetanus, qui directior loco Pontificis fuit Ligæ Catholicæ in Galliâ; prætendit locum Regium in Senatù Justitiæ; verùm quia non extenditur præfatus character repræsentativus ad honores planè personales Domini solis competentes, si præsentis forent; utriusque Cardinalium, licet eorum Domino, scilicet Pontifici, si præsens adfuisset, ejusmodi Jura competere potuissent, tam

in Hispaniâ quàm in Galliâ negata fuerunt. Modificantur etenim talia Jure gentium, in quantum nimirum fert ratio & consuetudo, hoc illo modo, honorandi & tractandi Legatos. Verum quidem est, quod prærogativa, quæ est in Principali, eadem etiam esse debeat in Legato; sed cum distinctione: si inter æquales, id est, Legatos & Legatos, & non inæquales Legatos & Principes actualis exsurgat contentio. Nam inter Legatos & Legatos, cuilibet locus & gradus ex personâ sui Domini assignatur; ubi vero ex parte unius Principis interveniret Legatus, & ex aliâ parte Princeps alius in personâ suâ propriâ, tali casu præcedit iste illum. Undè licet alicujus Legati Dominus, si præsens foret, prælationis locum haberet præ uno vel alio, vel omnibus Principibus; cedere tamen deberet illius Legatus, & post Principes, qui qui præsentis essent, locum capere. Quis prudens, repræsentativam tantum, & figuralem, reali & præsentis Majestati æquiparabit? aut quis effigiem Cæsaris tantum, quantum ipsum Cæsarem præsentem colet? Nemo profecto; nisi qui umbras præ corporibus capit, aut æstimat. In præsentis Principe vera Majestas est, in Legato aliena, in illo rei veritas, in hoc adumbrata. Hinc Limnæus super Regulam illam: **Legatus eundem locum occupat, quem occuparet ille, si præsens esset, cujus est Legatus**, duas exceptiones ponit: *Prima*, nisi Lex contrarium præcipiat. *Secunda*, nisi ejusdem cum eo, qui Legatum misit, dignitatis Princeps ipse adsit, tunc enim præsens absentis præcedit Legatum, ut liquet ex Spirensi historiâ Lehenmanni fol. 682. Uti etiam ab Ordinibus Imperii conclusum fuit Anno 1566. Ideo Caroli V. Legati Ferdinando Fratri postpositi fuerunt, licet ille Cæsar, hic Rex Romanorum esset. Et hoc quidem jam palam est, in Electorum præsertim congressibus, ut jam in legem transiisse videatur, post controversiam videlicet inter Bavariæ Legatum, & Electorem Palatinum non ita pridem transactam, cui ille,

ille, ex sententia latâ, locum cedere debuit. Et ratio sanè convincit, ut quæ aliis sunt onerosa & gravia, licet nostris personis competant, in personam tertii conferre haud valeamus. Personalia personæ debentur, non omnia ejus locum tenenti, quia character Legati repræsentativus ad ea tantùm refertur, quæ dignitati communi mittentis atque recipientis conferunt.

Aliam quoque adstruit divisionem Legatorum Justinus Anonymus de Jure Legationum §. 141. in primarios & secundarios : Item in geminos Primum & Secundum : inter quos tantam ponit differentiam, quanta est inter cœlum & terram : & reverà ita se habet, ut, eorum functiones in curiis consideranti, facilè patebit; ait enim ille : inter primum & secundum nulla est differentia, nisi Ordinis numeri, inter illos vero & characteris. Hinc Legatus primarius solus Dominum repræsentat, quando ambo sunt præsentés, solusque fert in Comitibus suffragium ex Legatorum subselliis. Secundarius verò duntaxat pro adjuncto habetur prioris, ut eum consiliis & operâ adjuvet, tum vi substitutionis locum absentis impleat. Austria aliquando tres habet in Senatû Principum Legatos, unum Principalem, & duos directores, sed non eodem characterè, aded ut in proprio curru honoratiorem locum occupet Primarius. Primus verò & secundus uterque pari gradu, pari qualitate sunt, & Jura Legationis pro indiviso habent. Quare ambo repræsentant Dominum, ambo æqualibus honoribus fruuntur, & denique cum occasio est dicendæ Sententiæ, secundus verba facit, tacente primo, & inspectante. Id, quod in primis in Collegio Electorali usû venit, ubi separata est mensa, *votantium* dicta, primis Legatis interea illa loca occupantibus, quibus considerent Domini, si adessent. (â quo alia planè ratio in Principum collegio) Hic enim Legati primarii, qui Minorum suorum loca in utroque scamno tenent, loquuntur ipsi & suffragia ferunt. Secundarii verò, remoto loco confident, nullo suffragii usû. Hæc distinctio Justinus inter Legatos primos & secundos, item inter primarios & secundarios, deducit

deduxit cum ad illam duplicatam quæstionem : Num Statibus Imperii facultas sit tot numero Legatos mittere, quot voluerint ? Quod affirmari quidem, sed svaderi non debet. Ad quid enim illa pluralitas ? Ordinariè confusionis, æmulationis magnarumque expensarum causam præbet. Item : Si omnes illi Legati æquali caractere, an eodem æquali etiam Jure & honore haberi oporteat ? Quod controversum est. Sanè Corona Franciæ, testatur citatus Justinus, non nisi primum Legatum hætenus justo loco admittere voluit, exclusis Collegis, quamvis eodem nomine & caractere vestitis. Id quod Electoribus Neomagi & Hagæ Comitum aliquando accidit : Iniquâ prorsus, si jus ipsum & rationem respicimus, actione ; cum ipsi Galli in pari causâ aliud planè sibi Jus dicant, à quâ tamen nullis argumentis, nec officiis, & exemplis aliarum gentium passi sunt se dimoveri. Aliud exemplum adfert idem Justinus hisce verbis : In conventu Electorum Collegiali Augustæ Vindelicorum celebrato, tres Legati Saxonici, & duo Brandeburgici aderant ; hos cum audire Cæsar deberet, disputatum est, an si integra Legatio simul veniret, Legati libertatem & Jus habituri essent, legendi caput ? Sed negabat Cæsar alium præter primum, hunc honorem sibi in Aulâ suâ vindicare posse, cujus etiam voluntati Saxonici acquievêre ; at instabant Brandeburgici, æqualitatem characteris & Jus Legationis pro indiviso obtendentes. Cum nihil impetrarent, persistente in sententiâ Cæsare, maluit secundus abstinere alloquio, quàm inrectus audiri. Arque hæc exempla, ait citatus Anonymus, docent nos, quanquam verum sit, quod communiter dicunt, cum, qui Legationis Jus habet, habere etiam mittendi unum, vel uno plures, & posse omnes eodem caractere insignire, tamen non nihil etiam arbitrii circa hanc rem apud admittentes esse. Sicuti enim ille omninò Legationem recusare potuisset, ita admittæ conditionem dicere potest, apud se non nisi primum eâ habiturum esse, quæ Legatis primi Ordinis

concedi solet : non enim debet mittens gravare admittentem. Præfatam divisionem adduxit Justinus eo casû, ubi plures Legati in unâ Legatione mittuntur, & quæ tunc eorum ratio habenda ?

Legati autem particulares, & minores, quales sunt Ablegati, Residentes, Plenipotentarii, Commissarii, Deputati, Procuratores, fruuntur omnes hi immunitatibus Juris gentium, ut Viquesfortius *lib. 1. c. 1.* autumat, sed non honoribus atque titulis majorum Legatorum. Ablegatus particularis æquiparatur aliis Residentibus; hi verò sunt Ministri quidem publici, sed secundi Ordinis, potest tamen mitti Ablegatus particularis, cum caractere peculiari, & tunc æquiparari veris Legatis & Ambassiatoribus : Ut aliquando voluit Gramovillus in Aulâ Cæsaris, sed repulsam passus, neque pro tali agnitus fuit, quia Hispaniæ Legato, qui in possessione erat prælationis, cedere noluit, idèdque & ipse à caractere destitit, & deinde nomine Residentis in Aulâ commoratus est, sed eo splendore, qui fermè majores Legatos excederet. Summam concludo : Omnes Procuratores, Commissarii, Deputati, & qui aliis minores sive secundæ classis nuntii haberi volunt, debent tamen ob publicum aliquod negotium destinari, cum caractere saltem aliquomodo repræsentativo, & litteris credentialibus, (non præcisè commendatitiis, ut Agentibus solent dari) clarè provideri; aliis vix frui poterunt securitate Juris gentium, neque hoc in illis violabitur, quantumvis per eorum latus, ut Author Trigæ loquitur, Dominis suis injuria fieri, & postulari poterit, ut de contumeliâ satisfiat. Quemadmodum Veneti ob Consulem suum ab Anconitano Governatore malè tractatum contra Urbanum VIII. graviter protestati sunt, ut parùm à bello abfuerit.

3. Rursus Legationum causæ sunt aliæ ecclesiasticæ, aliæ politicæ, & sæculares, aliæ mixtæ, ex quibus ipsæ Legationes & Legati inter se distincti sunt, licet parùm referat, an mixtas Sæcularis vel Ecclesiasticus agat. Interim præcipua

divisio Legati est in Sæcularem & Ecclesiasticum. Ille verò ordinarius, vel extraordinarius: ut diximus. Iste vel natus, vel à latere, vel simpliciter ablegatus, quales Nuntii sunt.

4. Legati nati sunt, qui ex prærogativâ suæ Ecclesiæ, cui præficiuntur; hoc ipso, quod in illius Præsulem creati, nanciscuntur munus Legati; & exindè dicti *Legati nati*. Legatus natus in Sacro Imperio est Elector Colonienfis, olim Archiepiscopus Magdeburgensis, nunc Salisburgensis. In Hispaniâ Toletanus: in Galliâ Rhemensis: in Hungariâ Strigoniensis: In Poloniâ Gnesnensis, in Bohemiâ Pragensis.

5. Legati à latere sunt ordinariè Cardinales, quos Papa ex urbe vel ad certam Provinciam obeundam ut Legatum Bononiensem: Vel ad negotia inter Summos Principes, vel Principum cum Ecclesiâ, tractanda, expedienda, concludenda, cum plenitudine potestatis, quasi à latere, id est, quasi ab arcanissimo confidentiæ loco ablegatos, plerumque ex fine conciliandæ Pacis inter Principes Christianos, vel alterius magnæ causæ emittit. Rem eleganti similitudine exprimit Cardinalis Mazarinus: Solis vis potior est in Elementorum adversitatibus temperandis, ut & ipsa subsistant, & conservationem Universi juvent: cum ex mente Physicorum Mundus elementaris, proptet perpetuum illud dissidium in primum Chaos, nihilumque sine solis temperamento recideret. Eodem modo Pontificum moderatio (si Ecclesiam cum Coelo, Papam cum Sole conferas) inter Principum Christianorum dissidia, ac Bella primi esse debent, qui ejusmodi turbida Elementa contemperent in pacem Universorum. Verùm quemadmodum Soli qualitates elementares reducere non liceret, si aliquam illarum indueret: Ita Pontificum Legati fidem apud sæculares perdunt, quotiescunque particulari commodo ad partes descendunt. Unde sicut in aliorum Principum Legatis laudabile est suorum Principalium partes mordicè tueri, nec quidpiam intermittere, quod in partis suæ commodum cedere possit: Ita fer-

mè in Pontificiis Legatis vituperosum est, uni aut alteri parti invincibiliter adharere, sicque communi bono adversari. Uni sint omnibus, ut omnes fiant Uni.

6. Legati non à latere, regulariter Nuntii dicti, Cardinales quidem non esse solent, sunt attamen Antistites Ecclesiæ, quos Pontifex ad Principes cum potestate destinat; tum, ut agant negotia Pontificia, tum ut Judices sint eorum, qui ad Nuntiaturam provocant, vel provocantur. Sunt etenim in provinciâ Judices Ecclesiastici, etiam super Archi- & Episcopos in iis, quæ non expressè reservantur Pontifici.

7. At de his in præsentî nulla quæstio, id solum Canonis loco verum manet:

Nunquam inutiles Principibus fuisse à Cathedrâ Petri Legationes, sive emissas sive postulas.

Id omne ævum docuit & prolixum foret referre omnia. Flagrabat inter Austriacos Principes, & Solio vacante inter Poloniae Optimates ingens bellum; & fermè Austriacis infautum, detento à Polonis in custodiâ Maximiliano. Hærebat tota Europa ad rem insolitam, & extrema metuebantur undequaque. Cum, ecce, Sixtus quintus præter hærentis Europæ expectationem, insperatam pacem procurat, & partium dato jure-jurando confirmat. Quàm atrocia Anno 1365. inter Reges Carolum Galliæ & Navarrae; inter Richardum Angliæ, & Philippum Augustum arsere bella sine spe extinguendæ flammæ, donec in arbitrium Pontificis delatâ causâ, infesti sibi Reges rursus in pristinam amicitiam rediêre? Deniquè comperti inter Christianos moris est, ut Sacrorum Supremus Princeps, inter hostilia, mutuaque arma fluctuanti Christianitati, velut columba Noëtica, Pacis olivam deferat, seque mediatorem præbeat componendæ hostilitatis.

8. Dubitant & scrutantur aliqui: An rectè Ecclesiastici
& Re-

& Religiosi ad præces Principum in negotiis sæcularibus Legati munus suscipiant, obeantque? Id cautum fuit in Concilio Romano *Cap. 16.* sub S. Sylvestro Papâ Clericis, Diaconis & Presbyteris sub Anathemate. Id religiones præcipuæ mendicantes & aliæ in Constitutionibus suis luculenter inhibuerunt. Ut Ordo S. Dominici Anno 1268. & sub Julio Secundo (id Statutum approbante) Fratres minores utriusquæ observantiæ: pariter Chamalduenses & Monachi de Monte Carmelo &c. Et exaggeratè scribit *Cap. 30.* Petrus Dominicanus in Apologiâ inquit: Nolite, quæso, Monachi sub Ecclesiasticæ compassionis specie Regum Aulas irrumperere: Nolite aures Principum, veluti salutaria suggerendo fastidiosâ importunitate pulsare. Credite experto, credite in hujus gratiæ studiis non leviter fatigato. Ita iste, ex Monacho quondam purpuratus Ecclesiæ, voluit nimirum, ut, quàm longè possint, distent sacra profanis.

Ufus tamen contrarium obtinuit, necessitas sæpè aliter exegit; & exempla præstò sunt. Ab uno quippè sæpius sæculari negotio pendet multorum salus. Qui curat causam publicam, omnem privatam exæquat. A DEO dicatis Viris faciliùs abest turpis lucri aviditas, respectus humanus, metus offensæ, & omne, quod minus sincerum est; quàm in iis, quos ipsum legationis munus aliquandò corrumpit, privatæ rei studio. S. Bernardus à Florentinis ad Senenses, à Pisanis ad Luccenses hinc illinc sæpè missus, remissus, nihil divinæ contemplationi subtraxit, cum unionem & pacem illorum populorum curasset.

S. Odo Cluniacensis, ut Italiæ pacem compararet, Caduceatorem egit inter Hugonem Longobardorum Regem & Albericum Romanæ Urbis Principem, tantumque effecit, ut pactis subscriberent semotâ omni ab Italiâ hostilitate.

Anno 1582. Gregorius XIII. per Patrem Possevinum Jesuitam in Moschcoviam ablegatum, celebrem illam pacem

inter Poloniæ Regem, & Magnum Moscheoviæ Principem non minori zelo, quàm felicitate conclusit.

Pius Quintus Pontifex cum Cardinalem Alexandrinum à Legatione Hispanicâ revertentem, in Galliam ad Regem Carolum IX. destinaret, Legationis comitem & consiliorum participem addidit Franciscum Borgiam ex Duce Gandiæ Virum Religiosum & tunc Jesuitarum Generalem.

Rex Galliæ Ludovicus ablegavit Patrem Berulum ad Pontificem pro dispensatione ob diversa sacra nubentium inter Henriettam Galliæ Virginem, & Carolum Principem Walliæ postea Regem Britanniæ.

Ex Aula Cæsarea priori Sæculo P. Geörgius de Eberstein Ordinis Prædicatorum Provincialis in Gallias ad Cardinalem Richelium missus, ut præparatoria ad Pacem Universalem Europæ, quæ deinde Monasteriensis dicta, Primo Coronæ Ministro vel suggereret, vel exquireret. Imperatores Austriaci Plenipotentiarios suos ad Comitia Imperialia plerumque ablegant Viros purpuratos vel Infulatos, etiam Abbates innumera sunt hujus exempla, sed non eò à nobis producta, ut inde Ecclesiastici & Religiosi maximè, evanescant, vel ejusmodi caprent, vel affectent pericula potiùs, quàm Munia. Qui ejusmodi amat periculum animæ, facilè peribit in illo. Invidi ad hæc trahi debent, non, qui se ipsos turpiter propinant, aut talia ambitiosè quærunt cum scandalo Sæculi.

9. Interim ab hoc problemate præsciunt prudentes Statistæ, & hujus loco statuunt :

In Legationibus parùm facere,
Quis sit Legatus, sed quàm aptus.

Cum aliquando inter Florentinam Rempublicam & Regem Neapolitanum Alphonsum Bello controverteretur, ac nondum ex integro discussâ Belli causâ æquum existimarent priùs Virum aliquem ablegandum, qui Regem edoceret de totâ

controversiæ causâ quàm dubium eventum Belli expectandum. Missus igitur non ex Primoribus unus, sed aptissimus,isque, arte suâ, Pharmacopola, Matthæus Palmerius. Ibi eâ Prudentiâ, circumspeditione lingvæ facundiâ, soliditate argumentorum, & præcipuè agendi dexteritate se gessit, ut Alphonsus, Rex aliàs perspicacissimus & sapientissimus sui ævi Princeps, admiraretur Legati exquisitas & absolutas partes, sciscitans: Quis ille; quove munere fungeretur apud suos? Ubi verò intellexisset civem esse, ac arte suâ Pharmacopolam: magis adhuc admiratus privati Viri habilitatem ad tantum munus; unde ad suos conversus dixit: Si talis Pharmacopola, qualis ibi Medicus? Intellexit Medicæam Familiam, quæ tunc Florentiæ prima habebatur. Occasione præfati Pharmaceutæ, Legati Florentini, quæret hinc aliquis incidenter: Cum character Legationis magnam dignitatem, quam aliàs non habuit, conferat in Legatum; num etiam demat eam, quam prius majorem in conditione suâ obtinuit? Prima quæstionis Pars constat ex dictis, nimirum parum interesse, qualis sit Legatus, sed quàm aptus. Secunda melius patebit inductione. V. G. si Imperator Principi Viro, cui aliàs Serenitatis titulus debetur, deferat Legationem, eamque iste suscipiat; quæritur, num per hanc avitæ suæ conditionis honores, titulos & prærogativas deperdat durante officio Legati. Paucis hanc quæstionem expedivit Culpicius c. 14. inquit, Regulam esse, quod Legationis honor Legato addat quidem dignitatem, quam non habet, non tamen adimat, quam jam obtinuit antea. Ex recentioribus quidam Anonymus, ita vero declarat: In congressu plurium Legatorum, licet quispiam Princeps compareat ut Legatus, & quæ Legato non decur alius titulus quàm Excellentiæ; nihilominus tamen omnes suæ conditionis tituli V. G. Serenitatis &c. permanebunt illi Jure, quia inseparabiles sunt

à personâ, quemadmodum Nuntiis Apostolicis, qui Cardinales sunt, propter functionem Legationis non demitur titulus Eminentiae, licet illis minor debeatur quàm Legatis. Ab adverso autem quamvis talis Legatus, quàm Princeps, aliàs Legatos nec compellaret titulo Excellentiæ, neque illis loco cederet, &c. attamen fungens officio Legati, omnes honores & officia, quæ ad substantiam Legationis spectant, illis de more exhibere tenetur, tam circa Visitationes quàm præcedentiam & titulos licet ad ejusmodi extra characterem constitutus non obligaretur. Præstat igitur tali Principi, ut aut Legationem non subeat, aut se accommodet characteri & officio. Unde Archiepiscopus Salisburgensis defunctus, suscepto à Cæsare Commissariatu ad Comitatus sibi expressè caveri voluit, ne per ejusmodi characterem quidpiam suæ dignitati decederet. Verùm aliundè Principalis Cæsaris Commissarius in Comitibus magnas prerogativas habet: is enim primus ab omnibus Legatis invisitur sine adventus distinctione, licet ille non eos reinviset domi suæ non dexteram, non locum cedit; &c. Ideò communiter assumuntur ad hunc gradum Cardinales, Principes Imperii, voto ac sessione præditi &c. Cæterum alii Legati, licet Principali dignitate fulgentes, tenentur ad ceremoniale consuetum. Ex pari enim characterem, pari etiam omnes conditione esse volunt. In Pace Monasteriensi Cæsar Legatum habuit Principem voto & sessione præditum ex gente Nassovicâ, in Neomagensi Episcopum Gurcensem, Imperii quoque Principem, uterque tamen licet præfulgeret aliis Legatis Principali dignitate, alio tamen respectu in publicis congressibus non observabatur, quàm quem character dabat Legationis.

10. Legati munus conspicuum quidem reddit Nobilitas, Fama, Magnificentiâ, gesti Magistratus, & similia: sed hæc licet minima non sint, inde tamen sola vix aptum &abilem reddent ad munus illud, quod post Imperantem majus non est, & à quo pendet tota Status ratio & incolumitas.

mitas, Non hic sexus, non conditio, non gradus, nec ipsa Religio (citra tamen ejus periculum aut detrimentum) attenditur, sed sola aptitudo, capacitas & habilitas, quam tantam esse oportet, ut Principi multum facessere valeat negotii, talem invenire. Unde

II. Delectus Legati ad eum spectat, penes quem est Summa Imperii, sive Jus Majestatis.

In Poliarchicis Rebuspublicis hoc Jus consistit, vel in Optimatibus vel in Populo. Utrobique olim vel suffragiis vel forte eligebantur Legati. Contra sortem gravi argumento diserebat Priscus apud Tacitum: Sorte & Urnâ mores non discerni: Suffragia ideò reperta, ut Senatus in cujusque vitam famamque penetraret. *Marcellus* contra objicit vetera exempla, usum, morémque Reipublicæ, quæ Sortem in delectu studiosè admittebant, ne ambitioni aut inimicitia inter æmulos locus esset. Et tandem, referente Tacito, vicit illa pars, quæ sortiri Legatos malebat Patribus an-nitentibus, & splendidissimus quisque eò inclinabat, metu invidiæ, si ipsi eligerentur.

12. At ejusmodi concertationibus non subjacet Regalis Potestas; quæ absolutè & immediatè designat suum prototypon, sive Legatum, ut suam Personam sustineat, Regemque ferat ad exteras gentes. Quantum in hoc periculum! quantum munus, quantâ Principi cautelâ opus, ne famam suam, ne Rei communis fortunam periclitatum eat! Prostituunt se suaque negotia Imperantes, si suam personam, suumque statum indignis committant. Electi vitia culpa sunt eligentis. Eligendi itaque duntaxat illi ad Legationum munus, qui apti, qui digni, qui exploratæ Virtutis, qui probatæ fidei, qui in publicis, instructi, qui rerum domesticarum & exte-narum experti, & præ cæteris, qui speciali affectu & obsequio feruntur, in eum, quem præ se ferunt. Hic verò Rhodus & Saltus. Igitur

13. Legatum non tam ad preces suscipiant, quàm quærant Principes.

Nihil periculosius suscipitur, nihil infelicius peragitur, quàm Legatio sive per ambitum quæsita, sive ad preces commissa. In nullo officiorum genere minus, quàm in delectu Legatorum Ambitioni, & precibus indulgendum. Qui non petunt, & merentur, assumendi; qui petunt, & non merentur, omninò excludendi ab hoc munere.

Henricus quartus Gallo nobili Legationem ambienti subridens dixit: Inauspicatus est Medicus, qui enecando disceit mederi, nimidòque constat experientia, quæ perdendo conatur prodesse; Et nuper, quæ susceperas mandata finivisti eâ satisfactione, quâ plerumque solent Legationes ambitæ.

14. Sicut Principes providere debent diligenter, quibus Viris Legationis munus, & in hoc suam personam causamque publicam committant: ita vicissim illi, qui mitti debent, explorent prius suas vires, capacitatem, & alia, quæ requirit ipsa muneris ratio. Non enim, inquit Philippus Cominæus, *lib. 2.* paucos novi, & magnos aliquando Viros, qui similibus rerum tractationibus adhibiti summam offenderunt difficultatem. Non saltem obsint, qui prodesse non valent Causæ publicæ.

15. Hinc viri Sapientes eâ semper utuntur modestiâ, ut in arduis negotiis se impares profiteantur. Sic enim ex illis feliciter peractis majorem gloriam, majusque meritum consequentur: Si verò secus contigerit, minus indè vituperii sustinebunt. Recusare publica munia, moderatio quædam animi est, at reniti pertinaciter, signum ingrati Civis. Vir bonus hanc operam Regi Patriæque suæ debet, ut nec periculis, nec sumptu, nec re domesticâ detentus, gloriæ sibi ducat, quidquid Regio Imperio, & amata Patriæ, virium, opum, laborum ac ipsius sanguinis persolverit. Reniti igitur, vocatus ad hoc munus, nemo debet.

16. Porrò Legationes universim sumptæ ad tria Principia & causas velut generales reducuntur. Obtingunt siquidem fermè omnes vel *negotii* vel *officii*, vel *honoris* causâ.

17. Ad *negotium* spectant actiones omnes politicæ, quæ Imperantibus eorumque Statibus cum aliis externis accidere possunt, ut denunciare Bella, pacem petere, dare, componere, extendere, armorum inducias concedere, inire vel renovare fœdera, auxilia quarere, de limitibus transigere, Homagium suscipere, præstare: Matrimoniam contrahere, ratificare: Munera devehere fidem jurare & similia, quæ ex causâ publicâ, ubi ipsi Imperantes intervenire non consueverunt; occurrunt. Ejusmodi negotiorum Legationes inter sunt Reipublicæ, & necessariò instituendæ.

18. Legationes autem *honoris* causâ, liberæ & meræ sunt voluntatis, nihilque in se habent, quod obligare Legantem aliquo Jure possit. Indirectè tamen aliquando necessariæ, ut inde Reipublicæ amicitia contrahatur, & seruetur. Honorariæ istæ Legationes etiam antiquis temporibus apud Barbaros & Gentiles viguère. Carthaginenses per Legatos, ob victoriam de Samnitibus relatam, oblatâ in donum aureâ coronâ Romanæ Reipublicæ gratulati.

19. Philomeus Ægyptius Numenium legavit ad Romanos, gratias pro beneficiis & subsidiis acceptis acturum. Rex Tyri Hieramus ad Salomonem, unctum Regem super Israël, solennem Legationem, quâ de Regno gratularetur, instituit. David Ammonitarum Regem per Legatos ob mortem Patris solatus. Idem fecère Athenienses ad Cleopatram, Philippi filiam, mortuo Alexandro Molossorum Rege.

Et hodiè quoque apud nostrates Principes recipiuntur fermè quotidie ejusmodi honorariæ ablegationes vel ad Neo-Reges, Neo-Nuptos: vel propter demortuos, aut susceptos filios &c. Quæ ex ratione Status de facili omit-

tere vix expedit, quò simultatibus occasio non præbeatur, hoc tamen perpenso monitorio:

Ne ex mero honoris officio argui possit obsequii debitum.

Nimis multa civitas est quædam parva vilitas.

20. Ad officium verò pertinent illæ Legationes, quæ cum aliquâ necessitate institui debent, adeò, ut si omittentur, jure flagitari possent: Sicque voluntatis coactæ esse videantur. Ad has tenentur etiam Principes absoluti, si ex aliquo capite Vasalli sunt erga suum dominum. Clientes item erga suos protectore &c. Hoc jure deposcunt Pontifices recens creati à suis regis Vasallis per horum Legatos osculum pedis.

21. Quod quidem ipsum alii etiam orthodoxi Principes per suos Ablegatos Vicario in terris Christi exhibere consueverunt. Quampiam pronamque tamen submissionem Pontifici fas non est in aliquam obsequii vel homagii præstationem accipere, & prætere; cum nullo Ecclesiæ, quoad Dominium temporale, ut illud tale est, teneantur vinculo. Imò Cardinalis Chisius Anno 1647. cum Henrici secundi nomine gratulationem apud Pontificem deponeret, addidit inter cœtera legibus sacris consuetum fuisse, ut Pontifices continuo post susceptam Papalem thiam mitterent Legatos in Galliam in remonstrationem paterni affectus in primogenitum Ecclesiæ inter Reges filium.

Hanc trifariam Legationum rationem benè expendat Princeps, eaque experta

22. Parem negotiis virum deligat, non supra.

Infima ingenia, quemadmodum operationi, quam facultas animi intendit, vel adversantur, vel malè conveniunt; Ita sublimia & acuta plerumque in executione exorbitant, ac propterea in rebus Statûs periculosa sunt. Ideò inter Eu-

ropæ Ministros maximus ille Cardinalis Richelius, medioeria ingenia potissimum ad Legationes *Principi legenda* esse sva-
debat, præ sublimibus & acutis. Illa siquidem veri ac soli-
di studii magis sunt capacia, idvè saltem præstabunt, ut ex
præsripto agant, rerum gestarum non dubii nuntii. Ab
adverso sublimia & acuta ingenia sagaciùs sèpè, quàm par est,
rimantur negotiorum minutissimas causas, & parùm cre-
dunt, se acturos, nisi alios præter instructionem sibi consti-
tuant scopos, & majores assequantur fines, adeò, ut po-
tius involvant mille tricis negotia, quàm resolvant, vel sim-
pliciter è re mandati perficiant.

23. Quæ tamen hoc pacto attemperanda sunt :

Cùm domi habeantur Ministri Viri, de
Primâ classe, ex mediâ tutò eligi possunt
Legati.

Hi siquidem ab illis pendebunt faciliùs, & ex præscripto
agent, obquè hanc ipsam causam rectè, & cum plausû. Li-
cet enim in se perspicax illud lumen non habeant, ex parti-
cipatione tamen, ductûque aliorum, illuminatissimi compa-
rebunt, rebûsque tractandis plusquam pares. Ubi contra
alii sublimes ipsâ sublimitate suâ perdent se. Ignes illos, in
debiti obsequii sphærâ, continere, perquam difficile est.

24. Cùm verò Princeps viderit defectum sublimium in-
geniorum domi :

Procurabit, ut saltem ad externos ejus-
modi in Legatos assumat viros, qui supra
ipsa negotia capacitate emineant.

Si enim in magnis & involutis negotiis fatiscere con-
tingeret, ipsi tunc sufficient, nec alienâ indigebunt ope.
Agent quædam in Bonum Reipublicæ etiam ex proprio sensu.
Non semper datur ex præscripto agere, quia præscribentes
nequeunt omnia prævidere. Tunc primùm, cum negotium
exponitur, patescunt maximi obices. Quis tunc Ariadnæ

filum dabit Legato, nisi ipse apprimè calleat se ex labyrintho tricarum evolvere? Domum rescribere, quanta temporis jactura, & quanta sapè ex domo recti consilii penuria aut spes, si ibi summæ extractionis Ministri non reperiantur? Undè Principes

25. In delectu Legatorum, licet quidem mediocria Ingenia spectent, sint tamen illa eximie prudentia.

Nequaquam faller hæc regula. Non enim omnes ingeniosi par habent rerum judicium, & usum. Nec ingeniosior quisque, sed qui prudentior est, in ejusmodi tractationibus, majori etiam cum fructu & honore versatur. *lib. 4.* Exemplum ponit Philippus Cominæus: Transactio nulla fuit facta inter Gallos & Anglos, ut non Gallis fructuosior fuisset, adeoque proverbio dicitur inter Anglos: quoties illi cum Gallis prælio concertârunt, victores se plerumque fuisse: quoties vero cum illis pactiones inierunt, detrimentum semper aliquod accepisse. Et rectè quidem ita judicant Angli, ait Cominæus: Solet enim Gallia prudentissimos quosque emittere, ad res cum externis agendas: Ratio Galli fortuita est; pactorum verò reflexa. Illa minimo sapè casu alteratur, præter, & contra opinionem: hæc nullo, quia non dependet ab aliquo accidenti fortuito: sed à prudentiâ & arbitrio pacifcentium.

26. In destinandis Legatis attendant Principes non tam ad illorum capacitatem universalem, quam particularem cujusque Rei negotiandæ.

Hoc enim verò omnium calculo comprobatum, ut, quam quisque artem noverit, exercere solum possit cum emolumento. Bellica proindè negotia Belli Ducibus & armorum expertis viris; togatis foedera & res pacis committendæ. Gratulationes, & quæ honoris causâ suscipiuntur

Legationes, Aulicis deferantur: Illas verò, quæ externum splendorem exigunt, utiliter obeunt opulenti, & potentes viri, qui propriis profusionibus Principis sui tueri dignitatem velint & possint. Denique pro rerum causarumque tractandarum varietate deligendum.

27. Curandum Principi, ne, qui mittitur Legatus, ex quacunque causâ odio apud eos, ad quos mittitur, laboret.

Inimicitiarum oblivisci rarum est Imperantibus. Longâ mente reponunt, & naclâ occasione evomunt, quamprimum fel indignationis in eos, quos aliquando oderunt. Quantum exhinc contemptûs periculum non solum personæ Legati, sed etiam illi, quem exhibet. Demosthenes nullâ ratione adduci poterat, ut ad Alexandrum, quem aliquando in oratione offenderat, Legationem suscepisset. Invisum nemo libenter audit. Malè hæc res cessit Gallico Francisci. Regis Legato ad Franciscum Sforziam, quem iste, ut olim à se profugum, in vincula conjecit, & mox securi plecti jussit.

28. Mores etiam, & lingua Legati, ut plurimum conformes esse oportet genio & moribus Gentis, quò ille destinatur.

Lingua præcipuè, quæ primum instrumentum est totius Legationis. Sic enim & commodius mandata explicabit, & securius responsa accipiet, non subjectus dubiæ interpretum fidei. Nemo prudens in communicandis alienis secretis plures adhibet, cum præstare possit id ipse.

29. Cœterum quidem licet mores, & genius universim in Legati personâ indifferens esse debeat, quædam tamen in eo pro populi, quem accedit, more specialiter exiguntur. Ad Portam certè Ottomannicam, ubi nullum Jus Gentium satis colitur, aut in tuto est, viri fortes, magnanimi & imperterriti rectè assumuntur, qui & ejus noverint minas spernere, ac magnitudinem animi

& fortunæ, citrà tamen contumeliam, arroganter ostentare. Peculiare enim hoc Turcis est, ut insultent humilibus, & audaces respiciant. Legatio Moschovitica *cautum* requirit hominem, quod ibi Græcâ vivatur fide. *Pium* & Religionis observantem Roma : *Sedatum* & *gravem* Hispania : *Humanum* & *Officiosum* Italia : *Formosum* Anglia : *Ingenuum* & *Constantem* Germania; sed *Versatilem* Gallia, qui sciat scenæ servire, & oblectus non videatur, cum tamen sit. Ita pro more Gentis negotiatores publici fingunt se, refinguntque influendo, & accommodando se genio illorum, quorum oculis continuò obversantur, & observantur. Qui publicè agere volunt, publicè grati esse debent.

30. Internæ & externæ dotes Legato quidem necessariæ sunt, sed magis hæ, quàm illæ.

Internas dico virtutem, probitatem, Religionem : Externas Fidelitatem, Prudentiam, Vigilantiam, Experientiam, Comitatem, & agendi Dexteritatem. Utræquæ perfectum reddunt Legatum, cujus Habilitas rectè quidem à virtute sumitur, sed virtus sine adminiculis impar est tanto oneri.

Virum à virtute omninò appetitio, quem morum probitas, candor animi, Pietas commendat & Religio. Hæc attamen ad Legati munus non ita faciunt, ut sola sufficiant. Opus hic est maximè agendi, animosque versandi dexteritate, rerum usu & peritiâ, judicii omnia penetrantis acrimoniâ, prudenti importunitate, indefessâ sollicitudine & applicatione, zelo denique Principis sui & Reipublicæ. Felix cui primæ & secundæ partes obtingere ! Pluribus tamen primæ sunt, & non secundæ : Secundæ multis sine primis. Istis tamen potiùs Legati munus defero. Indè tamen in virtutem, injurius non sum, sed rei necessitatem expendo. Virum probum, candidum, pium, revereor, sed cui cœtera defunt, ad Legati munus non destino.

Cautè Bethunius Romæ pro Gallo Orator Anno 1625^o Pontificem, qui de fratre suo Cardinali ad S. Onuphrium in Gallias cum potestate Legati mittendo cogitaret, monuit: Homines vitæ Monastica, qualis erat prius Cardinalis, nequaquam rerum tractandarum assuetos ad Legationes & negotia publica non rectè adhiberi. Maturo proindè consilio Imperantes rem tanti momenti expendant, & Legationis amplissimum munus periculo non subijciant inepti Ministri.

31. Porro si cœtera adsunt, etiam Formæ dignitas, illustre genus, ex rebus gestis celebris fama, spectanda est in delectu Legatorum.

Magna hæc sunt, post dotes necessarias, adminicula ad ritè obeundas Legationes! Gratiior omnium oculis emicat pulchro de corpore virtus. Naturæ vitia magis patent, quàm animi. Illa fugillat, carpit, & irridet homo; sub cujus censuram interna non cadunt. Cato ille Stoicus, cum videret inter Nicomedem & Prussiam paci stabiliendæ à Romanis tres destinari Legatos, quorum primus, lapide quondam ictus, largam cicatricem fronte tulit, alter claudus pedibus, tertius stupido ingenio palàm notus: depositâ Catonianâ severitate festiva illudit satyrâ, inquiens: Legationem Populus Romanus mittit, quæ neque caput, neque pedes, neque sensum habet. Quantum hoc mittenti dedecus, cujus Majestas traducitur in prototypo. Accedit illustre genus, unde mittentis gloria. Vilescit Princeps, quem vilis repræsented, vilescit Legationis negotium, homini plebejo commissum. Despiciuntur ipsi Principes externi, qui cum ingloriis hominibus agere debent. Summa non rectè committuntur infimis. Tonsor ille à Ludovico XI. ad Burgundum ablegatus, quantum non irrisus ab Aulicis? quàm acerbè acceptus à Carolo? quàm satyricè à Maria, unicâ Caroli filiâ, quam in sponsam Delphino procabatur, impetitus? ut nisi maturiori fugâ sibi

confuliffet, Tonfor Legatus; peccatum certò fuiffet in Sa-
cro-fanctum Jus Legatorum. Fama verò ex rebus geftis
majora gerendi fpern apud exteros conciliat. Virum Magi-
ftratus gefti probant. Ea conditio eft omnium, quibus Res-
publica eft demandata, ut indè magnam famam nancifcantur
fivè bonam, fivè malam. Nihil abjectum, nihil humi-
le cogitabunt exteri de tali Legato, qui domi magna egit,
acturus majora apud exteros, apud quos fcit, de fe femper
aliquid loquendum & expectandum. Deinde

32. Expedi, ut Princeps magis protra-
hat & proroget Legationes in uno fubjecto,
fi hoc gratum, non invifum, fit Principi,
ad quem mittitur, quàm fi multoties muta-
ret vel revocaret.

Habiles enim ad hoc munus reperiuntur rarò, ac peri-
culum fubit Princeps, nè mutet in deterius, quàm in me-
lius: Emeritus Legatus famâ, experienciâ, & merito jam
præfcripfit apud exteros: Novus, usque dum hoc attingat,
moram aliquando longiorem exigit, quàm ipfa patiantur
negotia. Legatus fupra habilitatem fivè fufficientiam ad
fumum hoc munus, aliud amplius defiderare non poteft,
quàm ut gratus acceptusque fit ei, ad quem mittitur, & fi-
delis, à quo miffus. Hæc tria fi Princeps obtinuit in uno
fubjecto, non tentet in altero, quia hæc non minùs rara
funt in Ministris quibuscunque, quàm albæ vulpeculæ in
Africâ. Primum dependet ab arte; alterum à forte, ter-
tium à confcientiâ. Sors, ars, confcientia non quamvis in-
colunt domum.

33. Ordinariè mitti folent Legati perfonæ circumfpe-
ctæ, fagaces, verfátiles: dextræ in fe infinuando, blandæ in
loquendo, dulces in converfando, prudentes in negotiando,
intrepidæ in replicando, indefeffæ in fcribendo, opportuna,
importuna, ut tempus, ut ratio fert negotii. Penetrant af-
fectus,

fectus, odia, factiones Principis & Aulæ, quò mittuntur. Omnes minutias observant tam verborum, quam operum, ut inde vaticinari intentiones, inspicere consilia; ominari eventus, remove obstackula, intricare adversantes, & summam negotii in suos fines convertere valeant. Quo ipsi nequeunt, operâ amicorum & exploratorum attingunt. Procurant pro viribus æstimationem suæ gentis & Principis, seque conspicuos ubique reddunt in purum obsequium atque commodum illius, à quo mittuntur: ac gratiam exteri Principis ejusque ministrorum omni possibili arte aucupantur, quarunt, emunt. Beatus, cui hæc obtrigere! non omnibus autem hoc datum est, & certò existiment Imperantes mutatione personarum hæc non obtineri, sed obtenta semel, deinceps sæpè deperdi. Exempla moderna non allego, quia odiosa. Interim contigisse sæpè certum est, ut, quod unus Legatus rectè cœperit, finierit alter pessimè.

34. Tempus in Legationibus observandum, ut cynosura futuri eventûs.

Mercurius, cœlestis caduceator, alas in pedibus gerit, ut innueret antiquitas, velocitate minùs delinqui, quam tarditate Legationum. Legati tardi nunquam tam accepti, quam primi. Tarda molimina nescit Spiritûs Sancti gratia, si Sacralicet componere profanis. Ultimi plerumquè negligunt. Tardi videntur inviti. Miserant olim Trojani Legatos Tiberio, qui Cæsaris mœrorem ex morte Drusi filii sui officiosè consolarentur, sed post tantum temporis intervallum, ut nec Tiberius, nec Roma ampliùs recordaretur Drusi: Cum satyrâ excepit Cæsar Legatos, iisque respondit: se condolere Trojanis animitùs, quod in personâ Hectoris perdidissent egregium fortémque Civem.

35. Denique & summatim: Septenarium decus, omnem, in principio, medio, & fine, illustrat, & comitatur Legationem. Nimirum eminentia Personæ, ad quam mittitur: conditio Personæ, quæ mittit: qualitas Personæ, quæ

mittitur : Personæ , quæ comitantur , Magnitudo negotii , quæ tractatur : Munera , quæ reciprocè deferuntur : Et assecutio Finis , propter quem Legatio instituta ,



CAPUT II.

Legati quomodo tractandi?

I. Suscipiendi : nunquam recusandi. Divinitus immissa linguarum discordia divisit Orbem in Orbes , segregatis invicem primævis hominibus , ut evaderent in populos & gentes. Ut verò divisi illi Orbes in Orbem rursus redeant , facit apprimè munus Legati ; ut ille eos , quos dividunt terræ & maria , in communionem civilem , in fœdera , in amicitias , in commercia , in connubia &c. conjungat. Nemo justè recusat , tam necessariùm societati humanæ officium ; Legatos enim excogitavit communis necessitas ; Principes à mutuo congressu deterret ipsa sæpè Majestas : sæpius retrahit negotii celeritas : Sæpissimè non admittit sua & Statûs securitas. Majestas non faciliè cedit Majestati , ut vidimus in Philippi Hispaniæ , & Ludovici Galliæ Regum in utriusque Regni limitibus , celebri illo apud modernos Historicis congressu. Regum magnorumquè Principum ad peregrè proficiscendum idonea & necessaria comitiva , quæ semper in longum & tardè provehitur , ingentem remoram non solum poneret tractandis negotiis , verùm etiam immensos sumptus , qui super ipsa negotia forent ; vix utiliter prodigeret. Securitas nunquam magis obtegit Principes , quàm domi , & inter suos. Ægrè tulit Germania & Hispania , quod Carolus Quintus se , ut hospes , Gallo Regi semel & iterum confideret. Meditatum jam erat scelus de capiendo Imperatore , nisi ex Regio Gynecæo illustris fœmina insinuaslet Carolo , ut , machinatione in illum nondum conclusâ , improvise

visè discederet. Adeò difficile conveniunt duo Soles. Incassum expectamus ab illorum congressu illustrari negotia publica, nisi minora sidera succurrant & suppleant, mutato tamen à suo Sole lumine, ad instar Statuæ Memnonis, quæ solis tacta radiis respondebat, quasi oraculum, sciscitantibus. Ita Legati, ex instructione suorum Principum deferunt mandata exteris Nationibus, responsa referunt, transfigunt difficultates, quæ aliàs citrà effusionem sanguinis interdum vix componerentur. Unde Sylla Archelao Mithridatis armorum Praefecto, si Regi (inquit) injuria facta est, æquius fuit questum, mitti Legatos ad Senatum, quàm impetu iri in aliena, & sævitiam intendi in jugulum tot innocentium. Ipsi Barbaris Jus Legationis innotuit; & extremis mundi gentibus commune fuit. Natura humana dicitur cuique prius experiendum amicè, quàm hostiliter. Imperia & Regna muta sunt: Nec gentes tot spatiis distitæ se audiunt, neque ipsi Imperantes se facile mutuo conveniunt. Quid inter hæc aliud quispiam expectet, quàm æternas simultates, perpetuas insidias, & hominis ab homine, aversionem, nisi interveniat lingua illa Gentium & Regnorum, quæ inter distitos populos, conjungat animos, oppressis polliceatur auxilia, & centum talia naturæ humanæ commoda salubriter conferat. Plusquam barbarum & minimè regium est detrectare aut rejicere Legatos, si à legitimâ potestate, ac debito modo mittantur. Dixi **Debito modo**: Ut reminisci liceat quæstionis, quam Author *Trigæ discursuum ad Rempublicam spectantium*, Anonymus quidem, sed Statista eximius, movit ac resolvit: nimirum Legatum suis Jurebus & privilegiis, securitatèque publicâ gentium, tamdiu frui non posse, quàm sit ab eo acceptatus, ad quem destinatus est: adeoque ad Legati essentiam spectare existimabat non solum jus & potestatem in Mittente, sed etiam acceptationem ejus, ad quem mitti intendebatur, sicque tres per-

fonas necessariò iacervenire debere, Mittentem, Missum & Admittentem; quibus mox subjunxit etiam illum, qui liberum transitum per intermedias terras impertiret, ut nimirum hoc pacto perfecta redderetur Legatio, cum indubiâ spe auspici exitûs. Neque enim, ait Author *Trigæ*, Jus gentium Legatis aliâ ratione prospicere, quàm interveniente pacto & consensu eorum, qui in nexû sunt. Enimverò si ipse Princeps, qui alterius Principis territorium (ut Carolus V. Galliam) ingreditur, alicui tutus non sit, quàm si volente & admittente Domino ingrediatur. Anne privilegium majus, majoremque securitatem quispiam Legato attribuet? Neutiquam. Quia Minister non est potior Domino suo. Impugnârunt hanc sententiam quipiam, non quidem typo editis argumentis, sed in scholasticis Collegiis ex eo, quod Legatio, quæ ad Jus Majestatis refertur, hoc modo alieno arbitrio subdi videatur: quod argumentum non adeò probat; Jus enim Legationis, quâ Majestaticum non alteri submittitur, sed ejus tantum effectus per non admissionem suspenditur. Bellum gerere est etiam Jus Majestaticum, cujus tamen effectum sive exercitium sæpenumero prohibet defectus nervi & subsidii, quandoque metus potentioris hostis, interdum Amnestia, Pax, & intermedia pacta. Pacem facere ad Majestatem spectat, sed quis aut quomodo eam concludet, si alter pacificentium repugnaverit? Jura Majestatis exerceri debent in suos, non in externos; in subditos, non in Principes & Dominos liberos. Si Majestati cum extraneis nihil est negotii, sequitur, eandem ab iis non violari. Quis deinde nesciat, Legationes Originem traxisse ex Jure gentium? Igitur de hoc ipso Jure gentium non videtur obtrudi posse liberis Principibus aut Rebuspublicis Legatos, quos inniti suscipere cogantur. Enimverò immunitatem ex Jure gentium Legatis debitam, solus mittens vix largiri potest, invicis iis, ad quos destinatur, & per quorum terras mittitur. Jus gentium supponit consensum eorum, qui in nexu sunt: & nemo Princeps, quan-

quantumcunq̄e absolutus, alium Principem liberum suo facto obligare valet, sed oportet, ut mutuis se pactis vinciant. Sicut causa subest mittendi, ita subesse potest non recipiendi. Et quidem ex parte mittentis hostilitas, ex parte missi indignitas, ex parte causæ impossibilitas, importunitas, suspicio. Nemo tenetur hostem admittere, nemo cum indigno aut suspecto tractare, nemo causam suam prostituere: præter exempla innumera hoc rationis & Juris est. Quis deinde indignum esse non credat, si uni libertas asseratur mittendi, alteri tollatur libertas recipiendi vel non recipiendi? Utique in illo esse deberet servitus dominans, & in hoc servitus serviens, quæ in sceptrum non cadunt. Rem totam verbis Authoris *Trigæ* conficio: Si quis dicat & instet, Legatum semper admittendum, illi respondemus, nos id quidem in Jure gentium nullibi invenisse, & experientiâ rationeque aliter edoctos statuere: Positum id omne in arbitrio ejus esse, ad quem destinatur. Sic Papa Innocentius XI. non admisit Lavardinum, quem Rex Galliarum Romam destinaverat. Sic Rex Sveciæ non ita pridem Legatum Brandenburgicum audire noluit, reique non faciliè auditiæ, momentum publico manifestò tuitus est? Nec credimus unquam id absque justis causis, semper verò, non admittentium periculo, fieri. Quod si ægrè ferat hæc mittens, ut tulit Rex Galliarum, Rex Prussiarum, & vindictam meditetur, ut contra Pontificem ille, & iste contra Svecum, sanè causas justificas non à violatione Legati, qui tantum destinatione, nec plenariè talis erat, sed aliunde accersere debet. Non enim injuria nisi nudo Ministro illata est, quia Legatus ante admissionem non est perfectè Legatus, neque in tutelâ atque defensione Juris gentium. Paucis omnia: Jus gentium non præcipit, ut quis admittatur Legatus; sed vetare præsumitur, si sine causâ rejiciatur.

2. Honorificè excipiendi.

Id perſuadet Legatorum dignitas ipſa, quâ Major in ter-
ris præter ipſos regnantes dari non poteſt. Vicarii etenim
ipſorum Principum ſunt, Regum Regnorumque tutores
apud exteras gentes. Quis autem honoris gradus, quæ
benevolentia, quæ tractatio, quæ ſecuritas, quæ ædes, quæ
comitiva illis debeatur? Res per ſe loquitur, & character mu-
nusque ipſum Legati, ſatis indicat. Majeſtatem enim re-
præſentat Regnantis, ut Romanus Orator de quodam Le-
gato diſſerens dixit: Senatus faciem ſecum attulerat, & au-
thoritatem Reipublicæ. In Principalem cadit, quod ejus Legato
fit. Munia cum fortirentur Dii, in Iridem & Mercurium DEUM
Deamque cecidit ſors Legationis, ut vel inde antiquitas poſteris
teſtatū relinqueret, Legati munus ad Deos ſpectare. Nos ipſi, qui
plures Deos eſſe negamus, Legationis munus Angelis attribui-
mus, qui ex interpretatione Septuaginta *Emiſſarii à Deo, & Cœ-
leſtes Nuntii* dicuntur. Angelus annuntiavit *Virgini* &
toli mundo Meſſiam & Salvatorem; quemadmodum prior
Angelus Protoparentibus noſtris iram DEI & exilium eorum.
DEUS ipſe Proto-Patriarcham Mundi, Noëmum, veluti Fe-
cialem ablegavit ad undique corruptas filios hominum, ut indi-
ceret illis generis humani ultimum exterminium, niſi deſiſterent
à viâ corruptionis univerſæ. Similiter miſit Præcurſorem ſivè Le-
gatum Joannem, qui pararet viam novi evangeliî, & antiquæ
legis conſummationem prædiceret, undique prædicans Pœ-
nitentiam & Baptiſma. Chriſtus ipſe miſit Apoſtolos evan-
gelizatum Verbum DEI ad extremas uſque gentes, ut Pau-
lus aliquando gloriabatur: Pro Chriſto Legatione fungimur.
Ipſe in carne DEUS ſe æterni ſui Patris Legatum profeſſus
eſt, ad Pharifæos & Scribas inquires: Sermo, quem auდიſtis,
non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me. Quidquid enim Le-
gatus loquitur, ex ore Principis ſui loqui cenſetur. Cum
verò mortalitatem exuere in procinctu Chriſtus eſſet, Lega-
tionis

tionis munus deposuit, suisque Apostolis resignavit. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Subjungit causam Evangelista: Nam quomodo predicabunt, nisi mittantur. Adeo divinum, angelicum, coeleste, apostolicum, & honorificum munus est Legati, ut post DEUM, post Angelos, post Apostolos, post Reges & Principes ipsos nullum eximius, ac præcellentius sit. Quod ipsum sufficit, ut in Legatis peregrinantibus respiciatur, ac condignè excipiatur ipsa Legantis eminentia, dignitas & conditio. Methodum hic præscribere difficile est: dabunt hæc præscripti usus, & cujusque terræ sua consuetudo. Interim in tribus capitibus totum consistit: in acceptione, hospitalitate, audientiâ & ejus appendice, nempe Jure tegendi caput. Hæc inquam tria magnificè Legato exhiberi debent: & Regula loco sit prærogativa, quæ in Principali, eadem etiam esse debet in suo Locum-tenente, ac proinde qui honoris gradus, qui præminentiae locus est Principis, aut Reipublicæ, idem est illius, quem Princeps aut Respublica ad externos solemniter legavit, juxta ea tamen, quæ c. 1. n. 2. moderata sunt. Coeterum Legatus à Principe admittente ordiatur Legationem, nec, nisi ab hoc admissus, aliud prius terat limen. Princeps verò advenientem non distineat, sed protinùs cum mandatis excipiat: & (quod ad splendorem Majestatis pertinet) ipse. Alienis videre oculis, auribusque alienis audire, alienæ mihi videtur obnoxium esse potestati. Illud quidem consultius, hoc tamen fermè usitatius, admissos Legatos, uberiorè examinandos aliis delegari, qui deinceps Principem de singulis edoceant: Quod Augustus ipse, & Tiberius primi Cæsares, multique alii consuevère; quos sæpè aut fastus, aut astus abstraxit: vel indignatio avertit, vel rerum imperitia absterruit. Jam sæpius suppressâ Legatione regressi sunt Legati, cum vel non admissi, vel Principi ipsi loqui, non permisi. Prima admissio ad pompam spectat, & utrinque decore & apparatu externo indiget, pro modo videlicet potentia

tiæ, amicitia & utriusque Principis mittentis & admittentis conditione. Ceremoniale quippè suum, cuique genti erga gentem consuetum, solumque est. Antiquiores Reges ostentabant plerumque Legatis in primo statim congressu vires ac potentiam suam, nec admittebant illos aliter ad thronum audientia, quàm per armatas phalanges, militum agmina, satellitum custodias, Procerumque purpurata subsellia. Non ita nostro ævo: nisi à Barbaris, longèque distitis Regnis veniant, quales erant sub Urbano VIII. Japonum Indiarumque Legati Romæ, & non pridem Regis Siam apud Regem Franciæ Ludovicum XIV. Parisiis.

Tres prerogativas habet, quas ordinariè prætere potest in admissione suâ Legatus: nimirum ut in conspectu Principis caput tegat, ut sedeat, ut Ordine, locovè digno. Si in concursu plurium Legatorum contentio, de loco, honorèque sui Principis aut titulo oriat, tunc sanè Legatus pro his, velut pro aris & focis decertare, nec ulli inferiori cedere audebit. Arfaces Legatum suum occidisse legitur apud Plutarchum, quod Syllæ Romanorum Archistratego cesserat, ut proindè potiùs oporteat congressum fugere, quàm infra dignitatem sui Principis & characteris sedere, aut sinistrè subscribere &c. Exempla palàm sunt similium altercationum ab uno & dimidio fermè sæculo inter Franciæ & Hispaniæ coronas usque ad initium præsentis sæculi, ubi Hispani Gallicum subièrè jugum. In Tridentinâ generali Patrum Synodo præripuerat Lansachius Galliæ Legatus primam post Pontificem sedem, quam sibi deberi Mendozæ, ut Hispaniæ Legato, jactabat. Abscedendum erat huic, aut loco cedendum cum æternâ ignominia. Astus rem composuit. Hispanus quippè arrepto proximo sedili, collocatoque in medio theatri sive Consistorii, obversâ in Pontificem facie confedit, omnium sententiâ, loco post Pontificem dignissimo, adeò, ut si Rex quispiam Concilio adfuisset, digniore loco honorari haud valuisset. Prævidere ta-

men hæc, & cavere tutius esse credimus, quàm fortunæ periculo sese committere. Protestari inutile est, si loco cedas; sed abscedere & protestari; honori aliquatenus satisfactum, sed imposturæ relictâ victoriâ. Quid igitur: abstinendum à congressu sub quocunque prætextu, nisi vel usurpatam revindicare honoris possessionem valeas, vel non usurpanda securitatem habeas. Ne sis ibi, ubi esse non potes, quod es.

Magnorum Regum Principumque Legati, multoties competunt cum Principibus minorum gentium, licet potestate absolutis; an jure, an arrogantia, incertum relinquimus, licet nobis indignum esse videatur, ut simulachrum Principis contendat cum actuali; excipe tamen Principes vasallos, quorum character, quia privatus, cedit publico. Principes Cadeti, sive secundo-geniti & Appannagiati, ex serenissimis tamen familiis prognati subterfugiunt Legatorum Pontificiorum & Regionum congressus, ne simultatibus locum prabeant.

Remedium autem sæpè à sagacitate Admittentis, vel à Legatorum ipsorum prudentiâ & moderatione, ejusmodi contentionibus ponitur. Interdum ita in rotam ordinantur sedilia, ut primi nulla appareat species: vel forti committuntur & alea: vel cuique Legato distincta hora indicitur, libera ab admissione æmulorum, vel alternantur vices honorum: vel per binas portas eodem instanti, & ad idem punctum introducuntur, ut fuit observatum in congressu Philippi IV. & Ludovici XIV. in Insulâ Phasanorum. In ejusmodi autem honorum controversiis eorumque remediis non aliâ Legatis stet sententiâ, quàm Principis sui merito vel mandato: præsertim verò si exoticos honores ipse admittens exigat, quos sanè non exhibere, sed aditu potius abstinere oportet Legatum, nisi fortè iste vanum aucupatorem astu aucupari & eludere sciat, quemadmodum Immenias Thebanus Persarum Regem; qui flexo genu, à quovis Principe adorari,

volebas. Ismenias ad thronum appropinquans studiosè in terram dejecit annulum, sicque flexo poplite utrumque præstitit, Persam nimirum adoravit ad speciem, re ipsâ annulum levavit. Exempla hæc sunt, quibus, ne temerarii videamur, parè utendum, quia non semper succedunt.

3. Veruntamen sedulò observandi.

Et primò quidem, an sint reverè à Legati? An authenticè missi? quod præcipuè comprobant literæ credentiales, sive publicæ fidei. Hæ Legato apud eum, ad quem mittitur, adèò necessariae sunt, ut sine illis nec pro Legato agnosci, nec ad audientiam admitti possit: Ideò omninò inspicandæ, examinandæ: absque his nulla illi autoritas, nulla fides: neque suscipiendus facilè, nisi jacturam fortuitam fecerit similium literarum; Tolerandus tunc eousquè, donec constet de veritate Legationis. Graviter in hoc aliquando deceptus fuit Scipio Africanus, cum onustam multis & illustribus Carthaginensium Viris navem suæ potestatis fecisset, inviolatam dimisit, cum se Legatos ad eum missos profiterentur, quod tamen nihil minus erat, quàm ut Legati fuissent, sed ad præsens evitandum periculum falsum Legationis nomen assumpsère, ut Romani Imperatoris potiùs decepta fides, quàm frustra implorata judicaretur. In tractatione Pacis Monasteriensis aderat etiam Bardius quidam, Minister Franciæ, quem Rex Legatum cum caractere ad Suizeros destinaverat. Is volebat cum Legatis Gallicis iisdem honoribus tractari, secundantibus intentionem ejus Gallis omni propè conatu. At non solùm repugnârunt Legati Cæsarei, sed ipse Nuntius Apostolicus & Legatus Venetus ex causâ solidissimâ, quod nimirum non haberet literas fiduciaras Bardius ad conventum Monasteriensem, sed tantùm ad Suizeros; quod illorum nihil interesset. Sicque excluso à Jure Legatorum Bardio, palàm factum est, literas fiduciaras ad alios populos, vel generales ad omnes fidem non facere ad admissionem.

4. Observatio hæc nunquam omitti debet: Non defunt etenim impostores, qui sub tali prætextu, & fortè emissi ab alio aliquo Principe (etiam planè inimico) periculosa tentare audent, vel, qui ipsas literas, sigillum, & similia confingunt, & publicè mentiuntur. Quæ omnia cum impossibilia non sint, prævidenda & præcavenda erunt sedulo.

5. Pudet fermè referre egregiam imposturam ante paucos annos Viennæ factam. Venerat eò Juvenis ingentis speciei, ut incognitus ad Cæsarem à Sabaudò missus, séque mentiebatur Marchionem Carera, at nec unum nec aliud erat. Exceptus tamen à Ministris honorificè, gratus nobilissimis foeminis, admissus planè ad Cæsarem, scenam egit plus æquo felicem.

Tandem, ubi satis sibi visum, contracto hinc inde apud foeneratores & mercatores viginti millium debito, disparuit & evasit; relictâ Vienesibus nimiam credulitatis notâ. Secundò observandi: An sint sincerè instructi missi Legati? Siquidem jam contigisse legimus, ut ipsi legantes suos Legatos priùs fallant, ad hoc, ut isti eos, ad quos mittuntur, retius & consequenter certius fallere possent. Callidi illi, & obrecti Principes sæpè negotium quidem suis Legatis exponunt, sed negotii arcanum celant, ex quo communiter resultat circumventio aliqua in illum Principem, ad quem expediti sunt. Sapiùs committuntur illis ejusmodi instructiones secretæ, ac sigillo Legationis oclusæ, quas Legati non nisi, hoc vel illo tempore, aut loco, adeoque præscripto, in hæc vel illâ tractationis parte; imò ad hoc vel illud emergens referre audent. Non frustra hæc latebræ sunt: latet aliquid sub cinere & tanto magis talia à sagaci Principe observanda & rimanda, quantò minus illa patent, & constant. Obsederat Athenienses Philippus Macedo, & ad obsessos specie paciscendæ Pacis miserat, imò fefellerat Legatos eâ conditione, ut Pacis articulos non aperirent priùs, quàm in

urbe excepti, & in Senatum intromissi. Ubi verò coram Senatu literæ relectæ, hoc unum continebant; à Philippo aliud non quæri, quàm decem sibi infensos Cives, quos si dederent, citrà aliam Pacis rationem, se urbe abscessurum. Erant autem Cives illi, Demosthenes & novem alii primæ Authoritatis Viri, & Oratores Reipublicæ. Remotis Legatis, res in consultationem venit, eâ suffragiorum inclinatione, ut expedire videretur; si decem pro tot millenis occumberent; & victimæ redderentur pro Patriâ salutare. Interim ex Primoribus unus rem penitus expendens suffragium repetiit, adnexo illo apologo; ubi aliquando infestus pastori Lupus pro ovibus à pastore canes solùm petiisset, iisque obtentis, nullo deinceps facessente negotio, pastorem ipsum, cum ovibus devorasset. Ad Apologi interiorem sensum se reflexerunt Athenienses, malè agi cum ovibus, malè cum civibus, si semel destituri sint suis defensoribus & ductoribus. Remissi desuper Legati, & nihil in vota Philippi conclusum.

6. Observandi tertio, ne Legationis finis sit dolosus: ne aliud agant, quàm quærant Legati: ne sub pace transigendâ arma moliantur: nè factiones foveant; ne Aulicos corrumpant: nè sub Induciis tempus lucrari intendant, & ejusmodi, quæ legationem totam dolosam esse arguant. Suspectæ sint illæ legationes, quæ à Principibus subdoli, inquieti, obrectique animi proveniunt. Periculosissimæ autem ab illis, quibus rara aut nulla fides. Jugurtha per legationes exercitum Romanum sub Aulo Pro-Pratore corruptit & vicit. Ex blandiloquio Legati velut syrenum cantu, sæpè indormituriunt malè cauti Principes, & occasiones indè negligunt, atque emolumenta deperdunt. Ambigua verba, promissa dilata semper sint suspecta. Legato armati Principis nunquam tutò creditur, si pacem promittat. Qui nova semper petunt, novásque conditiones asserunt, vix perficere negotium cogitant. Sic sæpè à Porta Ottomannica priori sæculo lusum cum Transsylvania Principibus & semper illu-
sum

sum domui Austriacæ. Philippus Mediolanensis raro astu Florentinam Rempublicam fefellit : hujus enim Legatos, se ipsum exarmando, & dimittendo suum militem, ita sui securos reddidit, ut domum reduces suaderent Reipublicæ, Pisanos aggredi. Intereâ à Philippo ad speciem dimissum exercitum excepit Parmæ Dux, & cum primùm se moverent in Pisanos Florentini, restituit iste Mediolanensi exercitum, quo aggressores Philippus ex inopinato aggressus fudit, vicit.

7. Romanorum Ducis Fabii Ablegati ad Antiochum jam priùs superatum missi, ut de pace tractarent, eo conclusum fuit ; ut naves Antiochi dividerentur, & pars una Romanis, altera Regi cederet. Id quod vaferrimo astu factum, paulò pòst expertus Antiochus, ubi vidit naves singulas per medium dissectas, seque destitutum planè navali classe. Ast tu, mi Princeps ! alienis periculis cautior nulli crede, nulli fide Legato, nisi quantum pateat tuis sensibus : & connitere externam vafriticem domesticâ sagacitate vincere.

8. **Non facile violandi.** Legatorum etenim Jus divino, humanoque vallatum præsidio, cujus tam sanctum & venerabile nomen esse debet, ut non modò inter sociorum Jura, sed & hostium tela incolume versetur. Exiit hostem, qui Legatione fungitur. Quippè inter hostilitates ipsas àb initio statim Gentium ad salutem, & communem humani generis usum introducta est Legatorum consuetudo. Ideoque Cæsar dixit : Legati nomen apud omnes nationes sanctum inviolatùmque semper fuit. Et olim, qui Legatum quoquo modo pulsasset, hostibus, quorum erat Legatus, dedendum talem, conclusit Mutius apud Pomponium.

9. Intereâ tamen multoties, omni quasi offensionum genere, violatos atque petitos legimus. Bajazeris Turcarum Imperatoris ad perduellem filium Acomatem missus Legatus, præcisis naribus remissus est. Euphronium Cæsaris

Cic. o.
rat. 3. in
Ver.

Sagredo
in vitâ
Bajaze-
tis.

Legat-

Idem.

Heracli-
tus.

Legatum, ad Cleopatram Reginam, procius illius Antõnius, verberibus publicè corripuit. Priori sæculo Christianorum Principum Legati Constantinopoli degentes ex improvifo omnes exarmati, ædibus ejecti, & omni supellectile spoliati. Pantaleo, Eleorum Tyrannus castravit impudenter Legatos, & testiculos cibus illorum in esum miscuit. Contarenus, apud Amurathem Ottomannum Legatus Reipublicæ Venetæ nõtine, tamdiu in carceribus detentus, donec re-funderet damna à Venetis illata. Refert Cuspinianus, Alexandri Pontificis Legatum Joannem, Virum purpuratum Constantinopolim missum, ut negotium uniendæ Græcæ cum Romanâ Ecclesiæ conficeret, ab Andronico Comneno captum, Cani alligatum, obrusâ in fauces Cardinalis Legati caudâ, per Urbem tractum, in foveam succensam præcipitatum ac publicè crematum. Multa ejusmodi apud Barbaros, Turcas, Persas, Norvegios, Danos, ac Græcos contra Jus Gentium in Legatos attentata prolixum esset referre. Mitiora maneant nostros Principes: Si enim vestros invicem Legatos tangitis, vosmet ipsõs tetigistis. Quis contemptum prototypi aut Statuæ suæ non vindicabit? Philippus sanè Athenas ob despectas inibi suas Statuas replevit sanguine vultus ignominiam, sibi in prototypo factam: an non major ignominia in Legato violato, qui non ænea aut mortua, sed viva imago est Principis. Hinc Romanus Orator expertus loquitur: Video & ex iis, quæ legi & audiivi, in quâ civitate Legatus aliquâ parte violatus sit, nisi publicè satisfactum sit, ei civitati bellum indici, atque inferri solere, ac jure posse. Sic Romani contra Gallos, contra Illyrios. Sic priori ævo Belgæ contra Hispanos ob sublatos in legatione Hispanicâ Bergensi, & Montignio Comitibus, licet isti non veri Legati, quia Vasalli & à Vasallis missi ad Regem fuissent. Qui Legatos denique violant, nullo jure protegi possunt, quia Jus universum lædunt, quod Legatorum inviolabilitatem firmiter asserit. Propterea dirutæ à Romanis Thebæ: excissi

eissi à Crotoniatibus Sybaritæ : eversi ab Alexandro Tyrii : à Clodovæo multati Gothi : Imò sapè in ipsorum Principum colla strictæ secures , Legatorum manibus litavère. Ita Rex Tatius , ubi suorum conjunctorum precibus Legatos Laurentium violasset , & Lavinium ad solem , ne sacrificium venisset , concursu facto , interfectus fuit , ut testatur Livius lib. 1. Porro Securitatis publicæ , ex Jure Gentium Legatis debitæ , tria sunt summa capita , videlicet : Defensio ab injuriis : loquendi libertas , & fori immunitas.

10. Defensionem intellige ab injuriis quibuscunque , etiam levioribus : quia omnium gentium consensu , & asseverante Tullio , oratione tertiâ Verrinâ , Legatorum Jus , ut supra insinuavimus , divino humanoque prasidio vallatum tam sanctum & venerabile esse debet , ut illi non modò inter fociorum Jura , sed & hostium tela incolumes versentur. Foederatos Belgas laudat Viquesfortius lib. 1. de Legat. quod Anno 1651. per publicum Edictum amplissimis Verbis , quorumcunque , sub quâcunque Legationis specie , comprehensorum , securitati consuluerint , quorum exemplum haud sectabuntur alii Principes , apud quos non nisi Legati majoris characteris , eorumque comitatus , tutelâ Juris gentium , honoribusque peculiaribus fruuntur : Neque illorum sententiam amplectentur illi Politici & Statistæ , qui tenent Legem de vi & injuriâ Legatis non inferendâ oriri ex facto tacito admissionis , adeoque illam aliis conventionibus posse restringi , ut constanter docet Justinus Anonymus , & probat per decretum Svecicum de Jure Asyli adibus Legatorum externorum non amplius concedendo. Nam non ante multos Annos Rex Sveciæ apud exterâs Potentias undequaque , per suos Ministros declaravit , se non amplius laturum sceleratorum perfugium in Legatorum adibus , sibi que placiturum , si eadem conditione sui Legati apud exteros habebuntur. Unde quisunque Princeps , cui hæc declaratio facta , deinceps in Succiâ Legatum misit , censetur concessisse in conditionem
(F) decla-

declarantis, licet de Jure Gentium aliud mos obtinuit. Cœterum sive factis, sive verbis, sive nutibus Legatos offendere, vel eos in suis bonis & personis lædere, damnificare, aut quovis modo temerare, crimen apud gentes publicum & omnium maximum est, ut Livius, cum de Fidenatibus Legatorum Romanorum interemptoribus scriberet, exclamare ausus sit: *Fam ego hanc mactatam victimam, si modò Sancti in terris Dii esse volunt, Legatorum manibus dabo*: quasi innumeret, DEOS sanctos non fore, nisi punirent Legatorum temeratores. Quid diceret Historicus iste de Principibus, quibus mitior animadversio est in offensas Legatorum? certe non sanctos, non justos, sed sceleris participes, imò sacrilegos. Utroque Jure cautum, civili: *qui violârit Legatum, lege Juliâ de vi publicâ tenetur*, Ecclesiastico: *si qui Legationibus obsistunt, sacris interduntur*. Nec sacra asyla tutò cooperiunt violatores sacri hujus muneris, quod Barcinone palàm factum in vulneratore Legati Veneti, licet ipse Author rixæ fuisset. Sub Ferdinando tertio Generalis Spaar tamdiu carcerem passus fuit, donec Legatus Venetus, quem ille acerbo scripto læserat, apud Cæsarem preces & officia pro ipso deposuisset, contestans palàm, sibi suæque Reipublicæ hæc poenâ fatisdatum esse.

Ad illatas injurias Legati referuntur etiam minæ, & verba acerba & insolentia à Principe in Legatum effusa. Similiter litteræ interceptæ vel reclusæ, sive à Principe, sive ab alio, quantumvis etiam tempore Legationis exortum fuisset bellum cum Principe Legati. Satius tali casu licentiam dum ab Aulâ & Provinciâ Legatum, ut Gramonvillo Galliæ Ablegato fecit Leopoldus Cæsar. Plus quàm clara est Lex 17. ff. de Legat. Si quis Legatum hostium pulsasset, contra Jus gentium id commissum esse existimatur: Et ideò, si cum Legati apud nos essent gentis alicujus, Bellum indictum sit, responsum est, Liberos eos manere, id enim vero juri gentium conveniens esse. Legato

autem ab uno Principe injustè violato licebit alteri Jure Talionis uti erga Legatum violatoris de Jure gentium. Hoc enim Jure multa iniqua, permiffa tamen ex gentium usu censentur, ut illius firmitas conservetur. Nam Jus Gentium cum Legatos esse voluerit, utrique, ut eâdem sorte fruantur, statuit. In morem denique abiit Jus, vel potius pœna Talionis, ex ipso Jure gentium, nimirum, ut utrinque sit major securitas Legatorum ex metu pœnæ Talionis sive repressalium. Nostrâ ætate accidit, ut Viennæ ex domo Ablegati Galliæ speculator suspectus raperetur in carcerem: & mox audivimus Secretarium Ablegati Cæsarei Parisiis in custodiam missum. Ita se exsolvunt magni Principes, an justè, an injustè? viderint eorum conscientiæ arbitri. Mea fanè synderesis me argueret, si innocentem ob alterius delictum punirem. Ut ut igitur Princeps Legatos alterius violaverit, talio cessat, nisi & illi, qui mittuntur, in crimine participaverint. Porro hanc, quam descripsimus, securitatem publicam quoad injuriarum defensionem, nequit Legatus majorem exigere, nisi quantam præstare potest Princeps, quò missus est: sicut & ipse sibi Legem esse existimet, ut quietè vivat, & nihil hostile moliatur in terrâ alienâ. De Legato autem Proditore vel complice paulò post dicetur. Denique noxæ mihi ducerem, si præterirem egregium Reginæ Elisabethæ consilium, datum Legato suo in Hispaniâ existenti, conquerentique, quod publicani, res suas peregrè missas, per vim revidissent. Legatum oportere omne id dissimulare, quod directè dignitatem sui Domini non offendit. Minutiæ non cadunt in Principes, sicque ea, in quibus ipsi Legati delinquant, & prætextâ, velut Principum suorum offensâ, expiare satagunt propriam turpitudinem.

Alterum securitatis publicæ caput est libertas loquendi, quæ Legatis integra servanda, ignoscendumque aliquando est, si causæ justæ studio, aut quia à potentibus Principibus

bus ad minus potentes, aut à Victoribus ad debellatos missi, in plus æquo majorem æstum verborum abripiantur. Missus aliquando fuit à dominatore Orbis populo Romano Pompilius Legatus, ad Antiochum Magnum, Asiæ Regem, & abuti visus tam securitate Legationis, quàm potentiâ mandantis populi, dum virgâ locum, in quo Rex stabat, circumscripsit, audacter inquires: Priusquàm hoc circulo excedas, da responsum coràm Senatu. Obstupefactus est Rex tam violentâ Legatione. Ne tamen Romanum populum, cujus antea potentiam sensit, offenderet; *Faciam, dixit, quod censet Senatus.* Imperiosæ sunt ejusmodi legationes, quarum mandata sunt tantum Imperia, & Legati insultatores magis, quàm cduceatores & amicitia Nuntii. Dicunt quidem quæ debent, sed non ut debent. Loquendi libertas cum prudentiâ & moderatione conjuncta, Privilegium securitatis Legato confirmat, quemadmodum petulantia licentia dissolvit. Majore, quàm par fuit, exostulatione interrogavit quondam Legatus Romanus Philippum Regem Macedonum: *Num Abydeni tibi intulerunt arma?* Rex orationis tum curtae ferociâ percussus, pari audaciâ compellavit Legatum, nec ad interrogata respondit: *Ætas, & forma, & Romanorum nomen te ferociorem facit;* ut quisque fastu & fiducia quærit, ita fastu & contemptu repellitur. Legationis causam agat Legatus non ambitionis. Longè sit ab eo omne calumniandi & convitiandi studium, præsertim coram sanctissimo Christi Vicario, aliisque magnis Potentibusque Principibus, quorum longæ, gravesque manus sunt: Comitatem pro debito volunt, audaciam pro injuriâ æstimant. Nemo imitetur Ximenium, Perezium, Carillam Legatum Alphonfi Arragoniæ Regis, qui Calixto III. Pontifici ob prolongatam investituram Regni Neapolitani objiciebat ignobilitatem generis, nascendique humilem fortunam, & alia quæque convicia in sacratum caput profundebat, oblitus, se cum eo loqui, qui Christianitatis totius Pater & Pastor esse gloriatur.

riatur. Multi intrepidi videri volunt temerariis ausis (ut Lavardinus Romæ) sed sibi , ac suo Principali plurimum nocent , præsertim si iste minor est eo , apud quem degit Legatus. Si mandata Domini offendant Principem , satis est : ne igitur hæc tumidè enunciando , offensam multiplicet Legatus. Denique & breviter : Timidè aut trepidè loqui ad viles spectat , & qui diffidunt vel causæ , vel Auctoritati Principis sui : superbè & arroganter , ferociter , & contumeliosè enunciare mandata , Barbaris attribue , vel imprudentibus & vanissimis hominibus. Quid igitur ? paucis dico : ad conditionem temporum respiciendum , negotiorum tractandorum natura expendenda , sui Domini sive Potentia sive Debilitas præ oculis habenda , genius & temperies admittentis penetranda , & lucranda ; dignitatis quoque suæ ratio habenda : Ad hæc si reflexâ mente se converterit Legatus , nullus dubito : quin prudenter , viriliter & moderatè enuntiabit mandata , omnésque numeros explebit perfecti Legati.

Tertium securitatis publicæ caput & præsidium est , *immunitas fori tam civilis , quam criminalis*. De Criminali alibi : Hoc sanè Indubitatum est , Legatos , peregrè nullis vel Legibus , vel consuetudinibus , vel ritibus municipalibus obnoxios subjici ; licet se interdum his accommodare , quantum dignitatis & Religionis ratio patitur , consultum esse , cuncti perhibent. E contra autem Legato competit omnis Jurisdictio in suos : Ille ipse secum fert peregrè Judicem & tribunal ; non tamen in alieno solo carcerem , vincula aut Carnificem. Ejus Domicillares ædes non satelliti , non justitiæ ministro perviæ sunt , nisi fortè facinoris atrocitas , aut laesa Majestas Principis , apud quem degit , ultrò Legato in id condescendum suadeat , vel antiquo more aliter receptum , vel inter Principes mittentem & admittentem conventum sit. Plurimum quietis habebit Legatus , si facinorosorum

tum tutelam non suscipiat, nec iam odiosa, ubi degit, se ingerat.

De contractibus Legationis tempore initis, ubi se per contractum obnoxium fecit Legatus, conveniendus est coram Judice: secus enim commercio omni cum hominibus frustraretur; & beneficium Privilegii cederet illi in maleficium. Id enim, ait Marsalaer, Jus gentium & naturalis æquitas dicitur, ne cui indulgentia indulgeatur res non suas, alieno damno, secum auferre. Ubi nemo est, qui pro eo fidem interponat, docet Justinus, aliud remedium non esse, quàm obfidum & pignorum capionem. Neque hoc repugnat dignitati Principis mittentis, quia non solum præsumitur, Principem, suum Legatum opibus & necessariis inpenis instruxisse, ne propter rei suæ in solutum datæ jacturam quidpiam incommodi Legationi metuendum habeat: sed etiam, quia per literas fiduciarias, Ministri sui publici, velut sponsor est factus: Neque repugnat Securitati ipsius Legati, quia bona fides in omni privilegio excipitur, cum hæc in Jure naturæ fundetur, securitas verò in Jure gentium. Grotius ipse fatetur & Viquefortius, aliàs acerrimus Legatorum vindex admittit, contractus priyatos Legatorum, utpotè ad Legationem non spectantes haud frui Privilegio & libertate fori.

II. Cito dimittendi, id est, nec Principes sinant protrahi negotia à Legatis, nec ipsi protrahant, sed quàm celerrimè, si è Republicâ est, expediant. Deinde quanto cyus dimittendos persuadet solida Ratio: Enimverò licet Legati sint ab amico etiam Principe; attamen credant illi, ad quos missi sunt, quod omnes Legati habeantur exploratores occulti, & semper majori Statûs, ubi morantur, sint periculo, quàm emolumento. Nemo prudens in domo etiam priyatâ tolerat inspectores, censores suarum actionum, minus convenit in Regno aliquo, ubi multa ambiguè exponi; plurima carpi possunt. Sæpè olim missi sub specie pacis sancienda, arma magis & majorem æstum Belli parabant.

Quanti Legationis nomine emissi exploratores castrorum, virium, opum, quæ nosse sicut multum interest mittentibus, tantum nocet exploratis. Sin verò Legati ab hostibus venère, tantò citiùs dimittendi, quantò magis suspecti. Certum siquidem habeant Principes ex Xenophontis sententiâ, hostium Legatos in id conniti, ut quâcunque ratione valent, noceant iis, ad quos missi sunt. Simulatione, fraude, fallaciis circumvenient incautos, inescabunt blanditiis, oblatis affinitatibus allicient, Largitionibus Ministros corrumpent, induciis dementabunt, promissis placabunt, mendaciis & restrictionibus eludent, seditionibus dividunt, insidiis occupabunt. Quis diu securus in tantâ perturbatione rerum? aut quis periculum evadet talium hominum versipelli contubernio immorans? verum quidem est, ad honestatem pertinere, excipere pro decore etiam hostium Legatos, sed providi quoque Principis esse, eos non solum observare diligenter, ut paulò antè diximus, sed etiam apprimè conferre, si illis adjungantur homines fideles, sagaces, qui explorantes explorent: Illis verò, qui naturâ leves, præcipites, improvidi, vel affectu seditiosi sunt, ad eos omninò aditus omnis præcludatur. In omnibus denique Principum familiis, ait Cominæus, semper aliqui existunt, qui res novas cupiunt, & natâ occasione moliuntur. Cum verò periculum sit, domi suæ alere vel fovere hostem; quis aliud Principi suadendum ducet, quàm ut primo quoque tempore ejusmodi Legatos dimittat; eâ tamen ratione, ne occasionem habeant de hospitalitate conquerendi. Illud autem certum existimato: sicuti mittenti imperare nemo potest, ut, quem revocare domum vult, ultrò quispiam illum detineat; Ita alteri liberum est, quem diutiùs tolerare sibi non videtur, rursùs domum remittere.

12. Astu tamen aliquando distinendi.

Ubi videlicet necesse est salutis publicæ prospicere, vel ex protelatione negotiû, magnum quid & conducibile speratur.

Cæsar
de Bell.
Gall. lib.
1.

Cæsar olim Helvetiorum Legatos transicum petentes pro exercitu distulit, ad præstitutam diem redire iussos. Interim aditus omnes validis præfidiis firmavit: reversis deinde Legatis transicum negavit. Philippus Rex Hispanus Cardinalem Riarium à Papâ ad se missum, in itinere per Gubernatores suos, hinc inde magnificè excipiens, ludis & spectaculis tam diu detinuit, donec Albanus Dux Lusitaniæ Regnum (de cujus controversâ inter multos Europæ Principes successione, ipse Pontifex arbiter esse volebat) subegisset. Sic distento aliis ludicris Legato, controversiam Regni deciderunt interim arma Victoris. Cosmus Medicæus veritus Cardinales Legatos Solvium & Ridolphum, ne noviter jacta Imperii Medicæi fundamenta revellerent, diu eos extra urbem per Amicos detinuit, donec se melius firmâset in novo solio.

Proco-
pius
Gotthic.
lib. 1.

13. Cœterum delicta Legatorum in privatos commissâ partim dissimulari, partim apud mittentem accusari, quæ vero prætextu securitatis aliquid sævum in Principem loci moluntur, puniri possunt: ut Theodatus Justiniani Legatis dixit: Sanctum apud homines Legatorum nomen: sed hoc Jus tam diu servant, quamdiu suâ modestiâ, Legationis dignitatem tuentur; hinc aliqui existimant, fas esse, Legatos interficere, si isti in Principem, ad quem mittuntur, sint graviter injurii; alii autem putant, eos honestius ad suos Principes cum querimoniâ de eâ Legatorum injuriâ remitti.

14. Dolosa olim fuit Romæ Tarquiniolorum Legatio: clam enim Regni recuperandi suggerebat consilia, maximè nobilium Adolescentum animis, qui vel pauperiem non ferre poterant, vel quibus in luxum vix multæ opes sufficiebant. Conspiratione autem detectâ Consules ad deprehendendos Legatos conjuratosque profecti, oppressere conjuratos sine magno tumultu; Proditoribus extemplo in vincula conjectis. De Legatis autem dubitatum fuit; & quanquam visi sunt commississe, ut hostium loco essent; Jus tamen

tamen gentium prævaluit, quod publicâ fide venientes damnari non patitur ut testatur Livius. Verùm res hæc altioris est indaginis, & majore illustratione indiget. Exempla ex antiquitate petita, sunt pro & contra: Recentioribus insistendum est vestigiis, & quod ratio suadet, tenendum. Viquefortius, acerrimus Legatorum Zelotes, libro 1. sect. 29. expressis verbis loquitur: Tout Ambassadeur, qui prend parti, perd le privilege de son caractère. Id est, omnis Legatus, qui factionem fovet (subintelligitur contra Principem, ubi degit) perdit privilegium sui characteris: At si perdat privilegium sui characteris, non amplius meretur securitatem publicam, cum hæc illi propter characterem data sit, consequenter valebit plecti ut seditiosus, juxta delictum suum. Citatus supra Theodatus cathegoricè conquerentibus in simili casu Legatis Justiniani Imperatoris respondit: Ita existimant homines, fas esse, interficere Legatum, si is in Principem, ad quem mittitur, sit injuriosus. *Ly existimant homines* idem est, ac, *hoc est de Jure gentium*. Jus enim gentium profluit à communi consensu hominum, in his, quæ ad communionem humanam conducunt. Deinde quis refragabitur huic asserto? Qui prius Jus gentium violat, perdit protectionem ejus, quia nullum Jus protegit sui violatorem. Nonne autem prius violat Jus gentium Legatus ille, qui ut caduceator Pacis, & amicus admissus; & à nullo læsus, in necem tamen excipientis conjurat, aut conjuratos fovet, immemor sui characteris, expersque omnis Juris divini & humani. Sanè nemo rectæ mentis negabit, Legatum Authorem defectionis, aut insidiarum in Principis vitam, Jus gentium violare, cum hoc Jure tantum crimen nemini liceat, neque impertita Legato securitas publica, fraudi esse debet admittenti. Execrandam, me castor, injuriam committeret in sanctimoniam Juris gentium ille, qui tam nefanda, ejus prætextu, committi posse crederet. Quid igitur? tu conclude, vel sic ultrò discurre:

Omnis Legatus amittens tutelam Juris gentium sive severitatem publicam, redditur privatus, & forum delicti facti suo sortitur: atqui Legatus seditiosus & in Principis admittentis Majestatem reus, amittit protectionem Juris gentium, quia huic Juri, per ejusmodi è diametro adversatur: quid igitur? tu rursus conclude, vel cum Authore Trigæ parumper, si videbitur, attempera: suadet ille, ubi crimen felonix in Legato manifestum, licet non consummatum, comparuit, illudque vel ipse confessus, aut de ipso per sufficientes & legitimas probationes convictus fuit, tunc quarendum ex Domino Legati, an tale quid factum, jubente se & sciente? Nam si inficietur, & improbet Legati facinus, retinet quidem ea, quæ à mittente habet Legatus; sed jura & immunitates, quæ per admissionem adeptus est, omninò amisisse videtur. Pactis enim, quæ cum admittente admissionis tempore iniit (saltem tacite, nempe se gesturum ut Legatum & caduceatorem, non ut proditorem, vel proditorum fautorem) non stetit, & conditio, sub quâ Legatus plenariè factus, defecit, atque ita causa ad Jus commune recidit, & locum Regula occupat, quâ delinquens in loco, in quo deliquit, si reperiatur, ibi punitur. Approbante autem Domino Legati scelus, tunc non solum punire ipsum maleficii convictum Princeps læsus potest, qui sub tegmine Legationis proditor & hostis fuit (nemo enim ad patrandum tantum nefas etiam à proprio Principe se compelli sinat) sed etiam contra Dominum approbantem, si velit, bello quoque vindicare. Addit huic temperamento Justinus Anonymus §. 98. inquiens: quam ob rem non est, cur Legatus in crimine hoc immani deprehensus, quod ferè pro indicto bello est, majorem sibi securitatem spondeat, quam ipse suus Dominus inveniret. Nam ubique id juris est, ut hostilia molientem, hostilia maneant. Princeps aliquis sit, nec ne; in hoste nemo quæsierit. Philippus secundus nec filium respexit in Carolo Majestas Principi in bello

bello contra hostes nullam securitatem largitur : minus igitur Legato , licet ipsius personam induat , si hostilia molitur. Si Legatus (prosequitur idem) suoapte ex ingenio sine mandato aggressus est scelus, temeritatis poenam solus luet : sin verò Domini mandata in id habuit, character ille praesentans, tantò magis eum poenae subijcit, ut Domini vice puniatur, cujus secretorum flagitiorum Minister extitit. Reliquam ultionis partem bellum sibi destinabit, nisi satisfactum in tempore, vel Legati facinus honorificâ excusatione improbatum fuerit. Breviter hanc Sententiam Juri & rationi, ipsique naturae innixam conficio, & dico : DEUM Bonum ! quomodo Legatus, qui in Principem aut Rempublicam, ubi degit, crimen commisit laesae Majestatis & perduellionis, in violabilitatem, à tali Principe, vel Republicâ, praetendere potest, cum in tali casu eam admittens stipulari non praesumatur, neque eadem censerì possit tacitè indulta. Quis obsecro cum tantâ libertate & securitate admittet hostem, aut angves suscipiet in sinum, aut tacitè indulgebit, quae in suam necem sunt. Nemo sanè, nisi mentis plus quàm fatuae. Denique Legatus omnis à pacifico oratore in hostem manifestum transiens, indignum se reddit Juris gentium praesidio, quod idem Jus gentium concedit ejusmodi Legatum mulctare, non quidem ut Legatum, sed ut hostem factum, ut insidiatorem, ut proditorem, ut turbatorem pacis publicae. Cum Legatorum securitatem nemo rectè extendat ad casus, quos Jus gentium noluit comprehendere, velut iniquos, turpes, quos & natura, & recta ratio, & hominum communio averfatur, ne dicam, execratur.


15. Immunitate quoque asylari haud gaudent Legati, si proditores Patriae & reos laesae Majestatis, recipiant, faveant, defendant. Veneti Patres cum in cognitionem venissent aliquorum, qui secreta Reipublicae ad Portam Ottomannicam proditoriè deferrent, iique proditores, se in Galliae Legati aedes recepissent, neque inde precibus, eò quod Legatus im-

Sigredo
in Soly-
manno.

munitatem Regisque protectionem, petentibus Venetis objiceret, haberi potuissent; Triremem illicò appulerunt, unde ex tormentis domus quati debuisset, cessit tandem Legatus vi illata; ubi prius precibus noluit, emissis proditoribus, qui ad supplicium ducerentur. Ob hanc causam indignatus Rex Venerium Legatum Parisiis nomine Reipublicæ commorantem acciri jubet: objurgat: quid si ego, inquires, ædibus Vestris tantam inferrem injuriam? Respondit, utinam sub manu meâ Majestatis tuæ perduelles starent, ego ipse apprehenderem, obtorto collo ad te traherem, & si aliter agerem, dolum vel injuriam mea Respublica non sineret in me impunitam; Acquievit Rex veritati; Immunitas enim & securitas ædium à Principibus, ultrò citròque commorantibus Legatis, non data est in prostitutionem Justitiæ, in delictorum impunitatem, aut patrociniū publicè sceleratorum & criminosorum hominum, sed ad manutenendum respectum ipsius Principis Legantis, suique Legati, ac comitiæ hujus. Probrosus magis foret, quàm honestus Legati munus, si illud Virtuti in opprobrium, vitio in patrociniū cederet.

Paucis comprehendo totum caput: Legati ita tractandi, ut eos non recuses, honorificè excipias, sedulò tamen observes; citò dimittas, aliquando distineas: privatim criminosos dissimules: publicè præditores punias, clam conjuratores vel suspectos remittas potius, quàm violes: ac demum eos, qui proficui tibi possunt esse, in partem tuam trahas.

Prudentes enim Principes operam dant, ut etiam apud adversarios quosdam habeant à se non alienos.



CAPUT

CAPUT III.

Monita ad ipsum Legatum.

1. **S**Ex præcipuè antiqua historia celebrat Legatos. Polycratem, Fabricium, Carneadem, Popilium, Anaximenem, Geminium. Horum referre, quæ in Legationibus meruere encomia prolixum foret. Nihil ominus eorum quique laudantur, à certâ Virtute magis, in quâ insigniter excelluerunt; quàm ab aliis, quas tamen concomitanter exercuerunt. Sic Polycratem à prudentiâ, à fide Fabricium, à libertate Geminium, à facundiâ Carneadem, Popilium à Magnanimitate, Anaximenem ab agendi dexteritate. Unum ex his omnibus formare, esset reverâ, prototypon absolutissimi Legati, Mundo exhibere. Hoc licet supra omnem conatum sit nostrum, monebimus tamen, cavebimus quædam. Primum itaque est, ut Legatus literis fiduciariis sive credentialibus, secundo literis fidei publicæ, sive liberi commeatûs, tertio Instructione provivus sit. De fiduciariis literis diximus: de libero commeatu sive salvo conductû aliud dicendum non occurrit, quàm quod hoc ævo sit usitatissimus, præsertim quando Legati diversarum nationum incerto loco conveniunt, ut convenere Monasterii, Neomagi, & nuperrimè in Riswûgk. In quibus omnibus locis multùm controvertebatur de salvo conductu hinc illinc dando. Residuum est, ut de Instructione dicamus.

2. Instructio Legati, à Principis pendet arbitrio, estquè unum ex Arcanis Statûs; & fundamentum Legationis. Mens etenim Principis absoluti, & voluntas in Instructione declarata;

rata, est cynosura & stella polaris, ad cuius veluti unicum lumen Legatus respicere, functiones dirigere, responsa examinare, & iussa exequi debet. Minister iste est, non Arbitrator, obsequi oportet mandato sui Principalis, non arbitrari. Transilire Mandati limites nefarium scelus ducat. Satis est Principem velle, tuum est obsequi, & credere licite voluisse.

3. In obscuris & ambiguis nihil resolvendum, nisi prius constet de vero sensu Principis, quia periculosum est arbitrari. Sapiens autem Princeps nunquam desit, quin exactè instruat suum Alegationem citrà amphibologiam, aut minus sinceras expressiones. Satius esset planè non confidere, quàm ambiguitate periclitari negotia.

4. Solent attamen **Publica & occulta** mandari, quæ quidem Legato occulta non sunt, sed ei, ad quem mittitur. Publica turò patere possunt; hoc enim sine dantur, & exigi solent ab externo Principe, cuius interest scire causam Legationis, & summam negotiorum: Unde caveat extra Legationis seriem alia vel aliena tractare negotia: Quia externus Princeps aliena & distincta à Legatione audire non tenetur, neque Legatus proponere audeat, nisi forsitan finitâ Legatione. Occulta verò mandata profundo taciturnitatis tumulo recondat: hæc nec ab externo Principe exigi, nec à Legato cuiquam concedi valent. Pariter secreta Legationis jam finitæ, nemini, nisi Principi suo Leganti, exponat immediatè. Secretum suum sibi sit, & ejus, quem representat. Legatus licet publica lingua habeatur, opere tamen nihil magnum sustinebit, si illam continere non queat. Si vis filere alios, tu prior file: filebunt, si filueris. Nemo existimet alibi magis secreta regi, quàm sub proprio pectore. Germanorum diverbium est: comburendam esse interulam, si in secreti communionem veniat.

5. At verò non satis est, mandata Principis exactè exequi, & silentio obtegere, nisi etiam ea ipsa agantur ex purâ fide,

fide, & tractentur rarâ prudentiâ. Illud ex debito; hoc ex officio. Rem Statûs & negotia sui Principis

evertit, qui eorum curam suscipit, destitutus prudentiæ dono. Nam quicumque negotia publica sine prudentiâ negotiatur, operarium artis expertem agit, Opifex, qui usum instrumentorum ignorat, necesse est, ut materiam corrumpat, cui nescit debitam inducere formam. Aristoteles Prudentiam *rectam rationem agibilia dixit*: ut innueret, omnia agibilia ex rectâ ratione profluere debere: ea verò maximè, quæ privatæ rei fines excedunt.

6. Ethic.
1. Rhetor.

6. Prudentia sedatam in Legato mentem exigit, quæ præcipitium quodvis caveat. Plus phlegmatis habeat, quàm ignis, ut cohibere queat, immoderatum illum impetum ad finem pactorum decurrentem temerè. Oppositum enim Prudentiæ vitium est Temeritas. Cæteris permittat contentionum fervorem, nihil motus de suo fine, nec latius, nec callidius, quàm res fert, respondeat ad objecta, aut à propositionibus fundamentalibus abstrahatur, quarum determinationem ante omnia quæret. Vera siquidem prudentia priusquam incipit, consulit: ubi consuluerit; maturè insilit consilio. Ancipitem quoque esse in negotiando, periculum trahit non mediocre, non tantùm, quod compendia inde trahantur adversæ parti, sed quod fervor sensim remittat in agendo, quem omnibus actionibus circumdabit, ad perurgendum, quæcunque Principis sui commodo cedere valent. Igitur nec præcocem, nec ancipitem esse patitur Legatum vera prudentia: sed Virum constantem, solidum, & invictâ dissimulatione cæterorum assultum ferentem. Hoc verè proprium prudentis est, examinare objecta, & non citò fallaci credulitate ad diversâ prolabi cum periculo. Insistendum potius suis, quàm de dubiis definiendum.

Minist.
Rihelii
lib. 8. C.
49.

ibidem.

Minist.
Rihelii.

7. In negotiis attamen, quæ moram non sinunt, ex arenâ quidem consilium capiendum est, sed imbutâ prius men-

te prudentiæ illâ Lege: Qui de malis minimum eligit, is Prudens habetur: Ubi verò tempus datur, nihil inconsultâ ratione agendum, & non modò fines ipsi, sed etiam principia rerum diligenti sedulitate expendenda. Omnia, ait apud Livium Fabius (Vir ipse Consularis) non properanti clara certa que fiunt.

8. Nolebat deindè Cardinalis Richelius, Prudentiam Legati nimiâ subtilitate pallere, ut jam suprâ dictum est: nisi dotibus ornetur omnibus, præsertim Virtutis omnigenæ, quæ hominem ex censu communi tollunt. Cum experientia compertum dederit, subiles illos, & occultos plerumque in cognitionibus suis aberrare, donec rationem chimæricam amplectantur majori specie, quàm usu. Negotium pervertunt quintæ essentiæ extrahendæ intenti, quemadmodum Alchymistis, metallorum illis excoctoribus, usu venit, qui atrâ fuligine longos labores testantur, & præter fumum nihil referunt. Unde, ut summatim dicam, in verâ prudentiâ duo vitia vitanda. Unum, ne incognita præcognitis sequamur, illisque temerè assentiamur. Quod vitium effugere, qui volêt (omnes autem velle debent) adhibebit ad considerandas res, & tempus, & diligentiam.

Cic. 1. de
off.

ibidem

ibidem

Alterum est vitium, quo quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Primo vitio impinget Legatus in temeritatem & præcipitantiâ, & poenitebit re jam confectâ, non ampliùs reparandâ. Altero in vanitatem, in inconstantiam, & neglectum optimarum occasionum.

9. Porrò munus prudentiæ in personâ Legati hoc præcipuum esse debet, omnia, quæ suo Principi sive utilia, sive damnosâ, in honore, opibus, limitibus, armis, induciis, subditis &c. esse possint, sagaci oculo inquirere, æquâ trutinâ utilia præ damnosis discernere; hæc avertere, illa omni nisi profèqui. Vastissimum profectò hoc munus est, quia extendere

tendere se debet in præterita, præsentia, & futura tempora. Trismegistum ergò quendam volumus Legatum aut Geryonem, qui nimirum triplici obtutu tria videt difficillima. Præterita exempla, præsentis opportunitates, & futuros eventus. Intellige, qui ex reminiscentiâ præteritorum præsentibus cavet, & ex præsentium cautâ ordinatione futuris tutò prospicit.

10. Neque enim prudentem dicimus eum, qui cum ex præteritorum inscitiâ ignoret præsentia, futura tamen sibi comperta esse profiteretur.

Ut scias ea, quæ futura dixi, accipe ea, quæ ante hac evasisti, ait Æschilus. Quapropter prudentis Legati proprium erit, ex præteritis exemplis, eventibus & negotiis sagaciter adoriri instantia, ac de iis verè judicare, ex illis ipsis, præteritis, additis præsentibus, futura, quamvis è longinquo, callidè conjectare. Sed quàm arduum hoc, & exsuperans vires ordinarias, nemo non videt! Sed DEUS, ait Philippus Cominæus, interpellandus est, atque rogandus, ut, quod optimum est, nobis suggerat. Prudentiam quippè, quæ mortali tantum cerebro continetur, sibi que nimium confidit & arrogat, confundet tandem Sapiencia divina, quæ non minùs humanorum quàm divinorum, & quorumcunque agenderum est norma & regula.

11. Hæc de prudentiâ, quæ ad Legati pertinet officium, ne is in Majestatem vel Interessè sui Principis offendat. Alteram autem planè ex debito **Fidem**, videlicet, quæ anima est Legationum, necessariam Legato esse, ac præ ipsâ prudentiâ vehementius urgere, ratio, ac ipsâ Legationum natura, edocet.

12. Prudentia quidem Legationis finem ac scopum assequitur; sed fides in Principem suum, præpostera desideria privatarum intentionum, quæ pestis sunt Legationum, corrigat vel moderatur. Illa media ostendit consequendi manda-

torum finem; hæc cavet, ne in particularem aliquem scopulum dilabantur. Illa imposturas detegit, & revelat damnosa consilia; hæc à privati commodi prætextu abstrahit. Fide igitur opus est Legatis. Actum de Legationis fructu, si hæc deficit. Sint omnia ornamenta Legato prudentia, fama, habilitas animi & corporis, facundia, memoria, sagacitas, & quid non? Si tamen ex fide non agat; si Legantem fallat, quid illa omnia?

*Hæc sine non tellus pacem, non æquora norunt,
Justitiæ consors, tacitumque in pectore Numen.*

13. Hoc Numen si absit, frustrâ est Pantheon omnium Numinum. Gloriabatur aliquando Cicero, sibi plus fidei esse, quàm eloquentiæ. Si alia non valeant; sola in suum Principem fidei thesserâ gloriari audent Legati; non autem quibuscunq̃ue aliis, sine hæc. Thesaurus felicitatis publicæ veluti in arcam securissimam deponitur in pectus Legatorum fide publicâ. Non igitur existiment, quid possint cum hoc thesauro apud exteras gentes, sed quid debeant. Non arbitrium suum, sed juratam fidem considerent. Emolumentum sui Principalis tanquam sacrum depositum cum reverentiâ conservent: Nihil Ambitioni, nihil privato usui, nihil blanditiis, nihil sibi, nihil suis deferant; ac intellectum ipsum, & proprias opiniones aut aliorum suggestiones cecâ fide convincant. Quia nihil in mundo est, quod perfidiam in suum Principem imperare possit. Arbitrationi hic locus nullus, obsequi necessum est. Legati mandatorum non sunt iudices, sed executores. Fallit omnis synderesis, quæ ab integritate fidei animum abducit. Non examinare Jussa, sed supponere debent Legati, corda suorum Principum esse in manu DEI: omnia ab illis conferri in bonum publicum: Illis esse Imperium, nobis obsequium.

14. Tria impugnant sinceritatem fidei: Aut munera
eorum,

eorum, aut blanditiæ, ad quos mittimur, aut privati nostri fines.

Primum inhibet Lex ipsa DEI: Non accipies munera, quæ excœcant prudentes, & subvertunt verba justorum. Cupiditas habendi cum vitâ nobis indita est, hanc quidquid occupat, totum hominem occupare cœsetur. Pabulum cupiditatis illius sunt munera, largitiones, occulta subsidia, promissâ eorum, qui fidem nostram corrumpere gestiunt. Phocioni offerebat Alexander per Legatos duo talenta auri. Ecur istud? & mihi? & uni? Sciscitabatur ille: Responderunt Legati; quia te unum scit Alexander virum bonum esse. At dimissis talentis replicuit Phocion: sinat igitur me esse bonum. Utinam omnes Principes statuerent cum Lege Atticâ, & omnes Respublicæ cum Venetâ capitalem pœnam in Legatos, munerum acceptatores. Alterum, quod fidem Legati impugnat, est privatum Legati interesse. Ulbi hoc intervenit, rarò eveniet ex voto Legantis, legationis effectus. Illud corrumpit totam negotii massam: à publico privatum modificat: in suum alveum derivat scaturigines; & nihil minus, quàm ad sui Principalis causam attendit.

15. Erat inter Pontificem & Estenses Principes controversia de Ducatu Ferrariensi, & inter arbitros hujus litis, Galliæ Regis nomine Legatus expressè instructus, ut, quoquo modo possit, Estensi remaneret Ducatus: at quia Legatus ille mediam partem Comitatus Carpensis sub illo Ducatu possideret, ac alteram magis sub Pontifice speraret; proprii commodi ratio corrupit Legati fidem, prolatâ in Pontificis favorem sententiâ. Rectitudo fidei nihil magis aversatur, quàm privatos fines.

16. Quod si verò Princeps Legati fidem exigit in criminosis & turpibus, aut inferendæ necis, rapiendæ virginis, incendendæ urbis, inducendæ hæresis, ac similibus, quæ ex se mala sunt, tunc sanè conflictatur fides divina cum humanâ. In hanc potius peccandum, quàm in illam. Major ac

sanctior sit, oportet, divinæ, quàm terrenæ Majestatis veneratio. In ambiguis verò meliora credat de suo Principe, & obsequatur. In notoriè malis saniora suggerat, & si nollet Legatus ad amussim (quemadmodum etiam nolle debet) exequi scelus, sed simulatè vel eludere vel vertere, non amplecti officium pulchrius arbitretur. Qui enim contra DEUM & conscientiam mandata suscipit, nec ea tamen exequitur; bifariam se sceleri implicat, & delinquit: In DEUM, quia acceptando sceleris commissionem, non obstante quacunque restrictione mentis, consentit in scelus. In Principem, quod mandati semel suscepti fidem fallat. Legati munus licet amplissimum, non tamen tanti est, ut inde Viri Boni nomen amittat.

17. Arcanum est, in Legationibus: Nosse in rebus ambiguis, ubi non sufficit instructio, vel deficit plenitudo potestatis, vel Legatus fari non audet: Simulatione & dissimulatione se obtegere. Hoc velamine supplebit multa. Ambiguos reddet adversarios, lucrabitur tempus; & plurima alia inde emolumenta. Vel ad minus, non oberit suo Principi, rebusque tractandis, si non proderit. Finget, ubi opus, se non intelligere, vel non intelligi. Videbit, & aliò obliquabit oculos. Audiet, sed furdus auribus. Nollet, & tamen connivebit. Promittet, & effectum excusabit. Non tamen fallat, nisi se fallentem; & veracitatis famam conservabit præ omnibus. Prudentes siquidem Legati, quia aliunde suspecti, omnia verosimillima dicere, & agere satagunt. Falsum non adstruet, licet verum celare possit. Recedere licet, ait Marsalaer, non discedere à vero. Nuda sæpè nocerent, nisi colore aliquo appropriato exornarentur. Sol delictum universi est, & tamen ejus radii, lux & vis nobis sæpè officiant. Umbras quarimus & obscura, ne petamur à lumine,

lumine, sic ferente imbecillitate, & exinde necessitate humana. Adeò Mundus in perverso positus est; ut, licet ratio nos nolit perversos, necessitas tamen adstringat perversitatem vel sagacitate prævertere, vel deflexionibus eludere.

18. Invisus Legatus parùm operatur.

Eventus sapè docuit, ut acceptus Principi Legatus plus confecerit uno aliove congressu, quàm alius fortè invisus, integri anni spatio, quantumvis causâ eadem, eadem fundamenta, iidemquè Principes, inter quos paciscebatur, fuissent. Dexterritas & gratia, magna adminicula sunt rei agenda. Hinc apprimè interest Legato, ut se genio, moribus, omnibusque, quæ citrà gentis suæ decus, vel Religionis contemptum fieri possunt, accommodet. Ut videlicet gratus existat, & nequaquam invisus illi, ad quem missus est. Sinat suum cuique esse pulchrum, non inquiret, non carpat, & desipiat potius cum aliis, quàm supra illos sapiat. Mores & consuetudines exteras imitetur potius, quàm fugillet: deponat Patrias aliquando, si illæ meliores sunt. In Aulâ sobriâ sicut heluari turpe est, ita in lautâ abstemium agere vile. Externas Aulae ceremonias observet; nec gravetur titulos consvetos Magnatibus, cum quibus agendum, dare: Deniquè universim non displiceat, & in omnem partem se verset, ne invisus sit Principi: non tamen plus æquo familiaris ex causâ maxime facietiarum, ridiculâ aut turpi, quæ personam Legati dedecent. Ibit talis in contemptum, sicut invisus in odium. Ex utroque nihil operabitur dignum. At rebus odiosis, & quæ Principi ingrata sunt, nunquam assistat. Quæ verò illi feliciter, & ex voto succedunt, gratuletur animitus. Auctoritatem suam nunquam interponat, ubi victoriæ aut impetrationis incertitudo est. Nunquam eorum, qui Principi invisus sunt, protectionem suscipiat, nisi ex mandato expresso sui Principis. Neque patiatur suum Palatium esse receptaculum scelestorum hominum. Nam tandiù Jus non

violandorum Legatorum servandum est, quamdiu ipsi Jus honestatis publicæ servaverint. Nolunt Principes suos Legatos offendi, nec hi offendere debent. Reciprocum (ut jam supra dictum est) inter Principes mittentem, & ad quem mittitur, intercedit officium, ut nec Legatus Jus patriæ, quo missus, violet; nec ille ab ullo violetur. Unde si Legatus in aliquo privato crimine excesserit, tutius remittetur suo Principi puniendus, quam ut apud exteros puniatur, uti supra exposuimus; & ante aliquot paucos annos cum Legato Lusitaniæ, qui ex turpissimâ lucrî causâ, Nobilissimum Virum subdolè, & ex insidiis, vitâ privavit, Viennæ observatum est. Quantumvis enim ille publico munere abutens, hujus prærogativâ indignum se reddidit & absque hoc Legatos Jus Gentium, non hujus violatores tueretur; attamen mansuetudo Austriaca non exegit pœnam à sicario, sed custoditum remisit suo Regi mulctandum.

19. Promissa à Legato ita institui debent, ut Principi suo facilè pateat, si opus sit, evasio. Hoc verò intelligendum ante conclusum Legationis negotium. Deinceps enim non datur regressus. Interim omnem impendet operam, ut Legatus in pacificando adversarium tenacissimè stringat; Principi verò suo quædam sive intacta, sive omissa, sive libera maneant, ut, ubi opus fuerit, respirare, sèque excusare valeat ipso instrumento patetorum. Magnum hoc Arcanum est, si quispiam nôrit suo Principi succurrere in re justâ citrà notam malæ fidei. At si Princeps ipse, apud quem moratur Legatus, consilium à Legato expetat, maximè in ipso negotio, quod iste agit: quid tunc Legato faciendum? Rarò quidem id evenire crediderim, cum aliundè Legati undequaque sint suspecti, nequè Princeps exteris fidentius credere possit, quam suis, qui eandem

dem sortem cum Principe habent. Interim sive hæc tentatio suboriatur, sive recta mens Legati, adversanti Principi fiduciam suadeat: id Legato incumbet, ut vel declinet tantam fiduciam, quæ utrobique, & sui, & alieni Principis suspiciones excitare posset, vel si obsequi videatur, eâ se lance ferat; ut nec à sui Principis commodis, nec à rectitudine mentis suæ deflectat. Ubi autem absentes Principes per Legationes se mutuò consulunt, consilium dabit & accipiet ex utriusquè dantis & accipientis Principis mandato.

20. **Occasionem nunquam negligat Legatus, opportunitatem ubiquè quærat.** Hæ duæ sorores sunt fortis propitiæ, & in rebus agendis maximi momenti. Occasio neglecta seram pœnitentiam infert, nunquam remedium. Præterita non redeunt. Importunus Orator agrè auditur, nunquam exauditur. Omnes actiones suas opportunitate circumdare debet Legatus, si fines suos attingere cupit. Futuram occasionem non meretur, qui præsentem neglexit. Ut plurimum anxietas animi optimas occasiones elabi finit; torpor autem & segnities opportunitatem haud unquam quærit. Exporrectus animus, liberalis vultus, promptum ingenium, ad quosvis eventus flexibile consilium, non autem aniles curæ, anxietates & scrupuli Legatum decent. Nihil planè hæc ad rectè agendum conferunt; imò agenda confundunt, & rarò concludunt. Consilia aptanda rebus, ut occasio, ut tempus, ut commodum Principis fert; non cervicosæ Legati opiniones. Sæpius quod nequiverè longa & protracta consilia, occasio & commoditas tulit, exæquant hæc omnes speculationes & chimeras mortaliū. Interdum Principes quædam in Mandatis prætereunt: Et vix possibile est, ita instruere Legatum, ut nihil ex se, verum ex præscripto omnia agere debeat: quis enim futura expendet? aut quis determinabit ea? Consilia licet recta sint, non sunt ex hoc semper opportuna. Quoties res ipsæ dictant

stant Legem actionibus humanis, non actiones rebus? Necessitas consilia quævis probat.

21. Ideò Instructionibus Legatorum plerumque & salubriter inseritur: *Cætera tuæ providentiæ finimus &c.* Hæc providentia duos habet media, & unicum finem. Media sunt occasio, opportunitas: finis verò utilitas & commodum Principis nullâ occasione negligendum, & omni opportunitate quærendum. Agere contra tenorem mandatorum, indigni: extra & cum utilitate sui Principis, prudentis Legati est. Cautè & anxie agere, duo sunt, & differunt terrâ cœloque: Sat cautè agunt, qui ubique & semper majorem utilitatem sui Principis quærunt. Anxie, qui inanibus se occupant, ambigui, meticulosi, & ad literam magis, quàm ad utilitatem Principis attentii. Occasioni & opportunitati adherent felices, ut plurimum successus. Tantum autem abest, ut culpam contrahat, si quispiam utatur occasione & opportunitate præsentii, in sui Principis felicitatem, ut potius contravenisse censeretur, si illâ usus non fuisset.

22. Interim cautus Legatus semper plus timeat de bono exitu, quàm speret, ne incautius commissa tractet fiducia felicitis exitus. Ubi prævidet transactiones esse cum sui Principis, aut Reipublicæ periculo conjunctas, semper protrahat: præcipitet autem, & stringat ad conclusionem, ubi fas erit assequi Legationis optatum finem. Occasio enim & opportunitas avolant cum tempore.

23. Legato rimanda, exploranda, penetranda omnia. Legati, qui mittuntur ad Principes invadendos, ut consilia horum penetrent, & rationem Belli gerendi desumant, ut (fecit Tiberius, & Cyrus, qui nihil unquam ignorabant, quod apud hostes fieret, quemadmodum Tacitus & Xenophon referunt) atque diligenter ad sequentia advertant: Primò repulsâ non terreantur: solent etenim tales averfari Principes, quia supponunt illos, ut re ipsâ
sunt,

sunt, esse speculatores. Insistant potiùs opportunè, importunè; etiam conquerendo de suo contemptu (ut sapiùs fecit Residens Gallia: Gramouillus, apud Casarem Leopoldum) vel allegando sui Principis indignationem & alia, quæ sagacitas & fides dictabit, donec accessus pateat. Ita egit Guronus cum Duce Lotharingo: ille ad hunc à Franciâ missus, averfabatur Lotharingus Guronum, & conspectum hujus subterfugebat; neque hunc pati voluit Nancei, quæ Gallis spina erat oculi. Metim sequebatur Guronus Ducem; verùm & hîc præcludèbatur accessus, tandem Lunavillæ prævenit, ubi à Duce absque bonâ voluntate admissus. Secundò præmittant generalia illa Civilitatis proæmia; sensim descendant ad particularia, quæ Principis animum in aliquem affectum excitare possunt; neque vereantur fugillare aliquantulum, & dextrè causas diffidenciæ in ipsum Principem suosque Ministros refundere, etiam pungere: tunc Princeps, vix sui potens, erumpet in similia, unde Legatus intima ejus animi sensa facillè cognoscere valebit. Tertiò ad epilogum congressûs opponant malagma aliquod, spemque reconciliandorum Principum faciant ad hoc, ut iteratò desuper audiri nec planè rejici poterint. Quartò accedant Proceres, illos verò magis, qui loquaces sunt (non autem addictos suo Principi, ne suspicandi umbram moveat) reassumant acta, de Principe, conquerantur, metum incutiant, spem tamen exhibeant, sicque multa elicient, quibus edoceantur de rerum statu. Ita præfatus Guronus ex Duce didicerat, à Gallia: rebus non solum alienum, sed etiam Regis insultantem animum Lotharingi. Nova munimenta Nancei ipse viderat: ex conductitiis ibi Aulicis, qui quotidiana Ducis referebant, perceperat: pedestres & equestres copias conscribi, ab Imperatore expectari militem, ab Hispano subsidia; decretumque primum Julii diem, quo Galliam invaderent, quæ omnia novisse Gallo Regi magnum discrimen avertebat.

24. Nihil verò rebatur Richellus, ad indaganda secretâ convenientius foeminis, quæ sibi fecere benevolentiae locum: ex quâ ratione Augustus olim solitus fuit ambire amores earum maximè, quæ maritos haberent suis conatibus adversantes.

25. Neque parcat sumptibus, nec donariis, quæ corruptela sunt animorum. Clavi aureæ nulla obsistunt penetralia, nec animi, nec thalami, nec fidei, nec fortitudinis. Referunt de Consalvo Belli Duce eximio, qui Regna integra Coronæ Hispanicæ addixit, inter Belli arcana primum habuisse, nosse, quæcunque hostis ageret, aut concluderet: Profudit autem in hunc finem ingentes thesauros, ut solùm in Neapolitano Bello, & obtento inde Regno, & rationibus, postea Camerae datis constiterit, ad ejusmodi explorationes insumpsisse bis centies mille, nongentos octoginta florenos. Ita videlicet auri & argenti pretium tria in vita mortali pretiosissima, conscientiam, fidem, ac nomen Viri boni corrumpit.

26. Non verbis, sed agendo procedunt negotia. Demosthenes perfectionem artis Oratoriæ non solùm in linguæ facundiâ, sed etiam in ipso gestu & motu reposuit. Natura ipsa corpori humano unicam linguam, binas autem manus, articulis suis, mobiles, & ad agendum, movendumque paratas attribuit; ut innueret, negotia humana linguâ exprimi, agendo perfici. Legati, quamvis facundiâ excellent; nomen tamen, re ipsâ comprobent. Oratio eorum sit nuda coloribus, ac oratorio fuce; fervorem, ac concionatorum clamores omittat, nequè scholasticum pulverem sapiat: sententiarum ac rationum pondere magis, quàm elaboratâ dictione illustrem se prabeat: nec tardiloquium, nec celeritatem, nec incitationem ostendat: Compositum animum. Modestiam corporis, & exactam negotii capacitatem præseferat. Hæc enim dicendi ratio Principibus convenit, quorum munus & personam Legati representant. Interea agen-

agendo, & versando negotium, prævidendo pericula, offerendo commoda, combinando tempora, factis faciendo paria; insistendo, objiciendo, refutando, denique explanando & attemperando ea omnia, quæ ad transigendum veniunt, se ex Legationis munere callere, eoque rectè fungi palàm exhibebunt. Judicium, ajebat Cardinalis Mazarinus, arguit maturum, frigide cœpisse, sed fervide instituisse, ubi res ad momentum executionis processit.

27. Imparatus nunquam sit Legatus.

Sed eâ ingenii vivacitate præditus, ut argutè proponat, & opinatis quæstionibus extemplò, velut ad eas paratus, respondeat. Dicat, agatque solerti judicio ante quasi cognita quàm cogitata. Occurrunt enim aliquando, quæ tempus ad consultandum non præbent. Emergunt interdum ejusmodi intricata negotia velut ex fluctibus; quibus si non promptas suppetias tulerimus, naufragabuntur illa ex Legati incuriâ. Vituperio dignus ille est, qui tum demùm deliberat, cum ei objicitur; vel transactionis finis præsto est. Tarditas ignominiam infert Legato, cum se adæquatis responsis ad objecta non promptè expedit, sed undique hallucinatur, adversario indè compendia rerum trahente. In Principio Legationis prævidendus finis, & deliberanda maturè omnia, quæ obvenire possunt. Prævisa jacula minùs feriunt. Principia gravia sunt, quibus exsuperatis faciliùs media profsequimur, & ex his certi de obtinendo fine reddimur. Habent se Legationum negotia instar morborum, & Legati instar Medicorum. Condolendum potiùs quàm invidendum Legato, qui inter primos adhuc fervores Principum, vel nomine sui, vel alterius Principis, mediatorem agit, & æquis rationibus utriusque attemperare satagit æstuantis spiritus. Sæpè incassum tentabit, vel fastidioso ad minus labore non multum proficiet. Ast ubi confederit ebullitio sanguinis, utrinque fatigatis ex Bello Principibus, ac ærumnarum tædio re-

quiescentibus artibus, tunc Legatus felicem agere valebit Mercurium; omnes (quia præmeditatos) tollet obices, alas dabit negotio, transiget, & negotiata concludet feliciter: non absimilis Medicis illis, qui ad declinantem morbum vocantur, & plerumque feliciores sunt vocatis ad primum decumbentis æstum.

28. **Limites agendorum egredi periculosum.** *Dixi*: Egredi, id est, sive excessu, sive defectu. Nam præter mandata (non autem contra) ex commodo Principis maximè ubi consulendi copia non datur, & ex inopinato agendum; nihil contra intentionem Principis esse jam diximus. Cæterum Legationes inter Principes aliud in se non sunt, quàm quædam subtiles, linguâ & calamo, sub toga, non sub sago Bellandi artes. Nefas autem est contra Ducis mandata (nisi libera sint) ab hoste etiam reportare Victoriâ. Manlius nec filio suo pepercit contra mandata pugnanti: Pœnam meretur Legatus, qui contravenit sui Principalis mandato. Athenienses olim extremum supplicium Legatis in Arcadiam missis irrogârunt, quod alia, quàm jussum erat, viâ reversi essent, legatione licet optimè defuncti. An majus quidpiam irrogare potuissent, si ipsis mandatis, nec re ex voto gestâ, contravenissent? Adeò adstricti sunt ad normam agendorum Legati, ut positivè nec lato ungue recedere valeant ab instructionis datæ cynosurâ, ob ipsam nimirum rei arduitatem, quia Legatis salus ipsius Reipublicæ (quo majus sub Cœlo, negotium nullum datur) commissa est. Sanè quædam Principes contemnendi Ratio est, cum expressis eorum mandatis derogatur. Legationis negotium concernit Principem & Rempublicam immediatè, nec ab ullo magis meliùsque expenditur & examinatur, quàm quorum interest, nempe à Principe & suis Ministris. Planè temerarium est, ut Legatus se plus pollere & nosse arbitretur, quàm ii, quorum causâ controvertitur. Semper
certat

certat de periculo, qui ex præscripto non agit. Si etiam ex auspiciato transigit, temeritas tamen est, & magis fortunæ casus. Si verò malè succedit, quantis Rempublicam involvit periculis; quantis Principem innodat perplexitatibus, quanto seipsum obnoxium reddit exitio famæ, bonorum, ac ipsius vitæ. In Majestatem peccat, qui in Majestatis supremo munere prævaricatur. Rebus proinde integris semper mandato sui Principalis inhæreat Legatus.

29. LEGATIONIS gestæ felicitatem, & emolumenta inde Reipublicæ facta deferat Legatus Gloriæ tantum Principis sui. Hic enim instar numinis in terris, & celotes gloriæ suæ fortassis inquit: *gloriam meam alteri non dabo.* Omnia flumina fluunt ex, & refluunt in mare. Æstimationem omnem à Principe habet Legatus, & ea rursus in Principem redundare debet, velut in Authorem, qui suos elevare, & deprimere valet. Causæ secundæ omnia debent causæ primæ. Omne artis opus respicit artificium, & instrumenta Magistrum. Sidera à sole participant lumen, quod si mundo sub-lunari communicant, à sole habent. Legati nomen, potestas, munus, negotia, comitiva, instructio, publicæ fidei tessera, iter, subsistentia, securitas; omnia denique à Principe sunt, à quibus dependet legationis eventus: hunc igitur tribuamus Principi, si præmissa omnia Principis sunt. Nobis sit obsequium, illi gloria. Merebimur indè gratiam Principis, à cujus existimatione plus nobis gloriæ est, quàm ex nostro merito. Qui suæ forti omnia attribuunt, livore omnium obnoxii sunt.

30. Addo Cardinalis Richelii, cujus Sapiencia si non fundavit, certè restauravit Galliæ Imperium egregium appositumque sensum: Omnibus notum, inquit ille, Potentiam Regiam rerum agendarum esse Principium: Undè primus & potior honor ex illis Regi debetur. Injustus autem foret Rex,

qui in partem gloriæ non admitteret, quem ille adlegit in partem laborum.

Innumera alia restant, de quibus Legatum monere expediret. Remitto eum ad ea, quæ vel de Consiliariis, Ministris ac de ipso Regnante dicta sunt. Horum enim omnium fere Personam & munus Legatus; iisdemque eum monitum volo, quibus illos.



CAPUT IV.

Observationes particulares magis repetitæ non repetitæ.

AD quædam particularia descendo: ideoque familiarius Legato loquar: Loquar, inquam, ex sapientissimorum virorum instructionibus, ex praxi jam multis legationibus comprobata, ex methodo denique prudentiæ, quæ omnium civilium actionum anima est. Exemplis erudirem quidem monita, nisi prolixitatem metuerem; potius laconicè disferam.

1. Meminerint igitur Legati præ omnibus, ut quæ singulis Regnis, Imperiis & Provinciis, quo ablegantur, grata, accepta, & honorifica sunt, extollant laudentque; citra tamen adulationis vel satyræ notam. Præcipuè verò eorum gesta recentiora, victorias, expugnationes, politiam Status, ordinem decorumque Aulæ magnificè commemorent. Multi fortè adhuc vivunt, & circa Principem versantur, qui ejusmodi gloriosorum facinorum participes, uti libenter ea audient, ita in commendationem Legati multa loquentur apud Principem.

2. Adlaborabit Legatus, ut omnem à suo Principe mitente avellat suspicionem malevolentiae, ac sinistros conceptus. Exaggeret è contra propensionem maximam sui Principis in Regionem, ejusque Principem, Ministros, & indigenos, quò missus est. Excuset dextrè, si quid olim accidit; nullum tamen in particulari insimulet alicujus inepti facti, sed in generalibus maneat, ne recrudescant cicatrices, quæ jam fortè obliteratæ fuerunt.

3. Si quid nomine sui Principalis, quod offendat, dicendum; eâ se animi moderatione ferat Legatus; ut percipiant, cum cogi ex mandato ad ejusmodi dicenda vel prætendenda. Interim rem ipsam agat pro viribus, justificet causam; persuadeat spe aliarum rerum, unde emolumenta resultare queunt. Denique ita se verset, ut nec sibi aut in suum Principalem suspicionem contrahat; nec sibi inensos reddat adversarios, nequè causæ agendæ præjudicet.

4. Aliorum Principum Legatis, sicut expediet, honorem exhibeat, ut est adventus denuntiatio, gratulatio, visitatio, revisitatio, & Excellentiae titulus. Insuper confidentiam simulet, nihil tamen confidat in specie. Alliciat in reciprocam confidentiam, & exinde expiscari fatagat tam sensa animi, quam agendorum seriem & normam.

5. Ostentationem evitabit: Res tamen sui Principalis extollet semper. Decorem amabit; factum fugiet insolitum aut ineptum.

6. Magnates loci autoritate, quâ pollent in aulâ, distingvet, & Principalium Officiales sibi devinciet; Multa ex his cognoscet, & inde negotiorum suorum compendia trahet; eâ tamen arte se verset, ne exquirere studiosè videatur.

7. In privatis cum Principe colloquiis nunquam à seriis incipiat; sed præmittat quædam jucunda & adiaphora, & hinc descendat ad seria: Expressio sermone nunquam verum negabit, neque tamen dicet, quod dici non debeat. Dissimulatione hic opus, & quandoque discursus deflexione, sæpè

pè etiam coarctatione linguæ, eâ tamen ratione, ut se non aliis moribus, ac gestibus externis prodant.

8. Occasiones aucupabitur & quæret, ubi se non ipsæ offerunt, sed prudenter & certò observato modo: Coactæ enim & emendicatæ, nec felices sunt, nec commodæ. Ut occasionibus benè insistantur, satius est eas expectare, quàm prævenire: Moræ impatientes, vel temporis pertæsi, sæpe numero præcipitant negotia publica.

9. Occasioni jam oblata, vel reperta, si tuis finibus appropriatam judicaveris (judicium enim præmitti debet, quia multæ occasionibus velut ignes fatui seducunt itinerantes) illicò & absquè morâ insiste, arripe, age, ut fulgur enim illa præterit.

10. Arreptâ autem occasione velox, & imperterritus sit Legatus in exequendo. Qui enim timet, parùm efficit, & qui nimis circumspectè agit, plus facit, quàm par est: utrinque oriuntur pericula. Imperfectè occasione utitur, qui eam ad finem non perducit: imprudenter, qui ejus compendia omnia non amplectitur. Solent quandòque ex unâ plures occasiones profluere, quarum nullam negligere par erit.

11. Si de Principe, cum quo negotiatur Legatus, ipsum prævideat aliquid petiturum, summâ dexteritate sataget, ut scripto vel alio de petitione modo certificetur.

12. Quando Princeps in negotiorum tractatione frivola adfert argumenta, unde vix solida conclusio expectari possit, non provehat tractationem Legatus, sed modestè respondeat, se ex hoc argumentandi modo satis percipere; eam non esse Principis seriam mentem.

13. Ubi res non procedunt ex voto, ne tristetur Legatus, sed eâdem serenitate frontis procedat; neque lamentetur, neque compassionibus suscipiat, quæ quidem externa sunt, sed etiam nec internè animo respondeat, tempus enim mutat consilia.

14. Hinc si præfens tractandi medium, scopum ex eo atq̃-

attingendi vix sufficiens, aut ineptum esse videatur, superfedeat negotio, tempus lucretur, nec tamen inutiliter perdat. Rimeretur alia media; expectet & cunctetur: quærat etiam patrocina apud Principis Ministros, contestetur affectum, tali tamen indifferentia, quæ Principi suo nullam inducat obligationem.

15. Quidquid verò assecutus negociando fuerit, insistet: nullam moram interjici sinat inter conclusum & executionem. Modestia tamen meminerit, quia subito dari non possunt, quæ in tempus promissa sunt; interim procuret, ut scripto habeat assecurationem.

16. Prudentes viri nihil curant sive nomen lenti & cunctabundi, sive importuni & ferventis, dummodò finem suum assequantur, & negotiata ex voto sui Principis perficiant: Exitus equidem felix famam & gloriam parit. Vehementia ingenii, & angustia pectoris duo extrema sunt; mediam gradiatur viam prudens Legatus: ab utroque extremo; prout nimirum ipsa negotiata exigunt, aliquid participet, sed temperatè. Quædam in frangenti & colluctatione temporis; vel in occasione aut opportunitate patulâ, plus exigunt vehementiæ, quàm nimis lentæ deliberationis, cum quâ multa compendia rei evanescent. Quædam autem, ubi prævidentur tantum imminere pericula, nec illa præsto sunt, vel negotia intricantur novis emergentiis & repullulatione dubiorum, ardore & vehementiâ vix componuntur: deliberari debent longiùs, & sensim removeri obstacula. Ad eò inter extrema vitii, medio loco consistit prudentia.

17. Negotia minùs principalia, quæ propriè commissiones dicuntur, sive interlocutoria & dispositiones ad principale negotium, quæ à suo Principe Legato imperantur, vel sunt limitata: vel libera. Quando in limitatis aliquid concluditur, non semper necessarium est, ut Legatus suo Principali referat causam conclusi, quia ex voluntate & arbitrio egit illius. In liberis autem necessariò expedit, ut rationes

referantur clarè, & distinctè, cur sic potius, quàm aliter conclusum. Rationem enim verò Legati, non minus ac œconomi, vel rei alienæ administratores, villicationis suæ reddere tenentur Domino, vel Patrono suo.

18. Quamprimùm alio transvectus fuerit Legatus, id est ad locum suæ Legationis, mox rescribet suo Principi, & continuabit omni oblatâ occasione tam per nuntios ordinarios, quàm cursores extraordinarios. Secus aut otiosi, aut minus ad res sui Principis vigilantis nomen merebitur.

19. Caveat autem, ne unquam dubia pro certis scribat, neque obvia, quæ audit, nisi sufficientibus innixa testimoniis, aut scripto assecurata. Creduli plus æquò falluntur alienâ culpâ, & fallunt propriâ.

20. In re dubia nunquam majorem spem aut eventus certitudinem polliceatur, quàm prudentiæ convenit, cujus arcanum est, non multum credere, ac ita scribere vel loqui, ne necesse sit verbi, vel scripti revocatione, vel pœnitentiâ credulitatis ineautæ.

21. Cum negotiandum sit, revideat semper prius instructiones sibi datas, sicut & aliàs sapè. Post negotiationem immediatè acta annotabit, & in sua capita seorsim rediget, neque omittat dubia, eorúmque resolutiones, declarationes, oppositiones & minutissima quæque, ut exactissimi inde Ministri nomen sibi comparare valeat.

22. Quemadmodum etiam utilissimum erit, præter instructiones in scripto datas, etiam omnia alia, quæ vel ore tenus Princeps, vel ejus Minister commisit, scripto annotare, tam substantiam, quàm circumstantias rei commendatæ: Valebit hoc ad usum memoriæ & securitatem rationis aliquando reddendæ.

23. Non solùm copiam literarum suarum ad Principem & scriptorum à Principe exemplaria diligenter servabit, verùm etiam, antequam scribat, notam omnium, quæ scribi oportet, præ oculis habebit, ne quidpiam intermittat; un-

de scriptas iteratò relegat, & cum instructione suâ, rebûsque negotiatis combinabit.

24. Legatus in congressu cum Principe illo, quo missus est, caveat, ne adeundo importunus sit, aut, si aditum habeat, ne aut melancholicus, aut medicabundus, minùs turbatus animò compareat. Omnium enim oculi figuntur in Legatum, omniumque judicio subest. Ejusmodi abstractiones offendunt Principes, ac contemptum sui existimant, si corpore quispiam coràm illis compareat, animo autem abstrahatur. Eodem modo, si Principem adiverit exacerbatum, vel negotiis obrutum, vel aliò intentum; minimè sibi polliceatur Legatus, adæquatum aut placidum responsum.

25. Quæcunque Princeps ei dixerit, omnia animo recondat, & si ab aliis ea repeti audiet, veluti nova, & inaudita sibi, simulet, ac postremus de illis loquatur. Absit autem in iis gloriari, quæ sibi confiduntur à Principe.

26. Ubi Legati patrociniûm apud Principem ab aliis imploratur (quod quidem rarò suscipiendum) si tamen suscipiatur, caveat imprimis, ut causa sit justa; facilis, tempori ac suæ personæ conveniens; non insolita, non odiosa, neque personæ odiosa; neque in competentia alicujus Magnatis, aut Principi gratæ personæ, & ubi quod maximum est, non metus sit repulsæ, sed spes obtinendæ gratiæ.

27. Hæc autem omnia, quia rarò concurrunt, ne sit igitur ullo modo facilis Legatus, sed dextrè declinet, & excuset officia sua privatis, quæ Principi, apud quem degit, fastidio magis, quam servitio esse possunt. Multi etiam Legates suis Ablegatis expressè interdicut ejusmodi intercessiones.

28. Malè contentos de Principis gratiâ, vel justitiâ, non ultrà semel audiat, condoleat tamen, consoletur, injuriam, quam exaggerant, minuat, Principem excuset, atque ut malè contentus cum sorte suâ se componat, ex necessitate virtutis

tis suadeat. Cautus autem sit in offerendâ illis operâ, aud dâdo consilio: Tales enim sæpè sunt exploratores, qui non tam petunt consilium, quàm nosse voluntatem Legati, ut circumveniant, vel divulgent exploratum.

29. Non solum in Principis præsentia loquatur pauca, grata, seria, sed etiam apud omnes alios caveat summoperè, ne impingat in linguâ. Tacere magnum putatur virtutis opus, & ab infinitis erroribus ac periculis servat immunem. Ita tamen taceat, ut non ignorantia, verum prudentia tribuatur. Interrogationes sint opportuna & modesta: Responsiones breves; & ut rei necessitas exigit, aliquando adæquata, aliquando dubia, aliquando oblecta, nunquam mendaces, quæ virum honestum dedecent. Aliquando etiam Principes Legatis per signa respondent, ut ille, qui detruncabat in hortu papavera, nihil dicebat, sed docebat, *infestos Magnates tollendos*; ut Henricus Imperator, qui Poloniae Legato magnam auri copiam, loco responsi, exhiberi iussit, ostentans, *hunc esse nervum Belli*, quo Poloniam subjugabit. Ad ejusmodi etiam sedulo advertat Legatus, & si arcanum latens penetraverit, respondeat verbis; secus, se intellexisse fingat. Arcanum autem artis est, si Legatus prævideat, aut præsciat, quid dicturus aut facturus sit Princeps: quod itidem Principi satagendum de Legato, ut utrimque appropriato responso occurratur.

30. Coeterum dissimulatio maximè Legato necessaria est, ut jam alibi dixi, sed ea præcipuè, quæ in taciturnitate consistit, & sequentibus causis innititur: Videlicet, nè id publicetur, quod nostræ ab aliis commissum est fidei. Ne in apertum aliquod producat factum, ex cujus notitia scandalum oriri possit. Ne aliis manifestetur intentio, quæ manifestata non suum consequeretur finem. Ne alii videant nos alicujus cognoscere defectum aut malum ejus facinus. Solent enim odisse defectuosi & culpabiles, quos se nosse intelligunt. Ne videamur aliorum cognoscere cogitationes,

aut malum, quem contra nos gerunt, animum, aut contra eos etiam, quos amamus. Ne videamur offensas sentire, aut pro offensis habere, aut etiam eas magni facere. Ne nobis ipsis aliquam imponamus periculi necessitatem, aut contendendo, aut respondendo, cum tamen neque res, neque persona, neque locus, neque tempus tanti sint momenti: & demum, ne vel nobis ipsis vel aliis damnum inferamus.

31. Propter has omnes causas dissimulatio illa, quæ re ipsâ taciturnitas est, patientiæ conjuncta, nullo modo reprehendi potest, nec ad prudentiæ solum partes, sed ad christianæ virtutis egregia documenta refertur.

32. In negotiis difficilioribus summa est in scribendo requisita alacritas: Singulis enim non tantum diebus, verum etiam horis novi expectantur nuntii, de iis, quæ aguntur: & quamvis nihil sit, quod scribas, id ipsum scribere sufficiat. Cum cæteris etiam sui Principis alibi residentibus Legatis litterarum officio communicet. Externorum Principum originalia servet; sui autem Principis arcanas Epistolas & fortè graves, quæ servari non possunt, nisi cum periculo, Vulcano cremandas offerat.

33. In literis suis ea præcipuè comprehendat, quæ Principem suum nosse velle sciat: non solum de præsentibus, ac iis, quæ aguntur, sed etiam consilia, quæ capiuntur, & quod primò in deliberationem cadere debeat.

34. Cum metus aut suspicio est, ne literæ intercipientur, cum nimirum per regiones ferendæ sunt hostiles, aut cum longior est via, aut tabellarius incertus, vel suspectus, tunc duplicatæ mittantur, maxime si diversis viis commodè expediri possunt.

35. Summa adhibeatur diligentia, ut ipsa formalia personarum, cum quibus negotium est, verba in literis referantur.

36. In magnis momenti negotiis & resolutionibus, vel

minima res magnum aliquando adfert pondus: Unde etiam vel vulgi dicta, & opiniones referendæ sunt.

37. Expleta demùm Legatione incumbit Legato plenam negotiorum omnium, ut illa nimirum vel transacta vel suspensa, vel remorata, vel impedita, vel ex voto conclusa sint, non solum rationem adjunctis omnibus scripturis, instrumentis & actis integerrimè reddere, verùm etiam ore, aut scripto, Relationem de omnibus ejus Regionis & Aula: Principis ac subditorum necessitudinibus, qualitatibus & circumstantiis, nimirum, qui gubernandi ibi modus, quis Politicæ illius scopus, quis Aula: ordo, qui Principis mores, qualis in Principem subditorum animus, quæ ibi consilia, quæ in alias ditiones, prætensiones, quæ vires, opes, Bella interna & externa; quæ confœderationes cum aliis, induciæ &c. qui Ministri Principi grati, qui invisi, & quare, & de ejusmodi aliis suo Domino & Principali exhibere.

Multi hoc ore, alii scripto, plurimi utroque modo fecere. Interea si ore renuntiandum, non solum nimium loquendi fucum, hyperbolem, jactantiam evitabit, verùm etiam nihil infra fidem, nihil supra veritatem loquetur. Dubia desuper, quæ Princeps opponet, candidè resolvat; obscura elucidet: ad interrogata, integrè respondeat: consilia, si expetierit, ex fide suggerat. Sicque finem Legationis suæ coronabit, Principique ansam dabit, ut is sua merita condignâ mercede recognoscat. Quod sanè æquissimum est: & sciant Principes sibi tantum accedere, quantum benè meritis tribuunt. Nec turpius quidpiam videri, quàm si viri graves, laboribus pro Republicâ confecti, honoribus publicis assueti, apud exteros conspicui, cum domum redierint, ignavi lateant, sine titulo, sine mercede, sine Ministerio publico. Grave est, ex præstito Principi obsequio jacturam pati. Quis amplius strenuè laborabit pro Republica, si inde magis damnum expectat, quàm præmium. Liberalitas Principis calcar addit benè agendi.

CAPUT V.

An Status Imperii Jus Legationis habeant de eorum competentia.

1. **H**Oc, quis non affirmet? aut si neget? parùm se res Imperii callere existimabitur. Enimverò quis nesciat, Ministros Statuum toto Comitiorum Imperialium tempore se gerere pro Legatis in Curia, & extra Curiam: ac Cæsarem etiam cum eis sub eâ qualitate agere, neque æmulari ideò, aut ægrè ferre publicum characterem, atque Legati nomen à Dominis suis, quorum personam agunt, ipsis communicatum. Res itaque ex utrâque parte tam mittentium & destinantium Statuum suos Legatos, quàm eorum admissione & acceptatione Cæsaris, plusquàm liquidò constat. Quod in Neomagensi Conventu recenter visum, quò Legati Statuum cum summo characterè missi, pares cum aliis coronarum Legatis honores habuère. Et Anno 1648. Monasterii Westphalorum quoque, Statuus Imperii suos tenuère Legatos, extatque scriptum, quo Duci Bavarix, non solum de pace confectâ, aggratulati sunt, verùm etiam gratias rependerunt quammaximas, ob navatam ab illo, ejus promovendæ, operam. Denique in Recessibus Imperii multoties clausulam hanc legimus, mit Churfürsten / auch deren abwesenden Râthen und Gesandten.

2. Arumæus quidem arbitrabatur, Legatum non posse mitti, nisi ad sui similem, hoc est, nec superiorem, nec inferiorem, atque ideò cautè in Recessuum Imperii subscriptionibus, non Legatorum, id est, Gesandten / sed Ablegatorum, id est, Abgesandten / vel Nuntiorum, id est, Botschaften mentionem fieri. Quod sanè supervacaneum fuit Arumæo,

de Nomine quærere, vel ibi suspicari, ubi constat in Recessibus prædicta nomina pro synonymis haberi, unumque pro alio vel omnia simul interdum accipi. Nam etiam Nuntij & Oratores cum charactere peculiari, & repræsentativo insigniti, habentur pro Legatis veris, sive Ambassiatoribus; ut in Aulâ Cæsaris Nuntii Apostolici & Oratores Veneti, qui sub hisce nominibus eò mittuntur, & honoribus tamen fruuntur Legatorum. Præfatum Arumæum aliàs solidè refutat Linaeus in Capitulatione Cæsarea fol. 578. inquiens: Certè, ut olim, ita etiam hodie, Legati dicuntur quoque illi, qui ad Superiorem vel Inferiorem mittuntur. Imperator non solum per Jura clara fertur *Mundi Dominus*, & à Christianitate universâ habetur pro *supremo Principe*; adeoque indubitata sequela, alii omnes eo inferiores sunt, & nihilominus tamen, Legatos cum summo charactere, jam & olim destinavit ad Principes inferiores, & horum quoque ad se missos accepit, cum honore Legatis debito, constatque mille aliis exemplis etiam à Regibus maximis missos Legatos ad Principes minores, dummodo absolutâ potestate eminentes. Majestas quippè non tam probatur potentiâ & amplitudine Statuum, quàm potestate Regalium, ut Baldus ait: Nihil facere, utrum quis vocetur Rex vel Dux, nec faciendam vim in nomine, sed in qualitate regiminis, & magnitudine potestatis.

3. Argumentum quoque desumat Status potentissimum ex Capitulatione Cæsarea, ubi Imperator se juratò obstringit, Legatos Electorum in suâ Aulâ, proximo, post Regum Legatos, ordine, ante omnium Rerumpublicarum Legatos habiturum. Cujus Articuli causam olim dedisse à nonnullis creditur, Carolus V. propter quorundam Protestantium Principum Legatos, ex Hispaniâ rediens sibi obvios, & Placentiæ in Italiâ detentos, nec auditos.

4. Unicum est, quod, in re, licet compertâ, rationem dubitandi adstruat: nimirum, quod Jus mittendorum Legatorum inter Jura Majestatis, quam Status Imperii, eò quod
Impera-

Imperatori fide & obsequio obnoxii sint, non habere videantur, computetur. Quam tamen dubitandi rationem enervat Primò Regula in contrarium, ab omnibus Publicistis celebrata, nimirum: **Tantam si seorsim accipiantur, competere Principibus Imperii Potestatem in suis propriis Statibus, quantam Imperatori in toto Imperio. Secundò: Exæquatio illa Potestatis, quâ dimidium sibi vindicat Majestatis, Imperator, alterum dimidium, Status Imperii.** Tertiò Argumentum ex Aurea Bullâ, communeque assertum: quod Imperator Status Imperii in suâ Jurisdictione turbare non possit, nec cum iisdem in eorum territorio concurrentem Jurisdictionem habeat, sed eis privativè Jurisdictionem territorialem concesserit, quæ tria oppidò fundant Jura Statuum & potestatem territorialem. Deinde Instrumentum Pacificationis Osnabrugensis disertis verbis refert c. 8. §. gaudeant: *Inter se & cum exteris fœdera pacisci pro suâ cujusque conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuò liberum esse.* Si fœdera cum exteris pacisci liberum, cur non Legationes destinare ad externos? Constat de fœdere Svevico, de Saxonico, Hassiaco, Bavarico, de quibus Sleidanus ad Annum 1544. lib. 15. Item de Smalcaldico, Lipsiensi, Heilbronnensi, & aliis, Constat quoque de Legationibus variis tam inter ipsos Principes & Status, quàm ad externos decretos, ut eas, velut fœderibus connexas, referre non sit necesse.

5. Et ne quidpiam de hoc ambigere liceat; an Jus hoc mittendi Legatos Statibus specialiter ab Imperatore, velut fonte omnium Jurisdictionum, communicari potuerit? nos reverà communicatum asserimus, ut constat ex multis Capitulationibus Cæsarium, præsertim Matthiæ & Leopoldi. Sanè Jus hoc mittendorum Legatorum, quod per Capitulationem

Electores ab Imperatore stipulantur, & juratam confirmationem illius exigunt, magis persuadet, quàm supra allata dubitandi ratio, quæ per fidem, Imperatori pollicitam, inferre nequit, privationem superioritatis, quam ab antiquo Imperii Status in suis territoriis obtinuerunt, eamque omnimodè cum omnibus Juribus possident ad rationes consilii actionumque reddendas nemini adstricti, quamdiù non Interest Imperii, ac communis omnium causâ periclitatur.

6. Omnes igitur Status Sacri Imperii gaudent absque controversiâ Jure mittendorum Legatorum. Verùm non omnes eorum Legati fruuntur æqualibus titulis & honoribus, quia ejusmodi multùm dependere ab arbitrio admittentis, jam supra diximus. Legatis Electoralibus pares cum Regiis honores debeatur; non tamen omnibus, (licet illi in primis gentium congressibus honorem hunc hucusque habuerint) dedit Corona Francia. Ideò intermittunt potius, primæ dignitatis Legatos eò mittere, quàm debiti sibi honoris periculum facere. Hinc non semper expedit illis, qui Jus mittendi habent Legatos primæ classis, ut id tamen faciant: quia plura sæpè occurrunt, quæ dissuadent mittenti, & aniam præbent se excusandi, admittenti.

7. De Legatis qualiumcunque Imperii Principum, controversum est, quia isti ipsi inter se hoc Jus mittendorum Legatorum in dubium trahunt, invicem colluctantes; ut Neoburgicus tot obices movit Brunsvicensi, qui ad Neomagensem conventum destinabat Legatum primæ classis, non obstante Cæsaris indulto. Ut omnibus concedatur hoc Jus, obstat multitudo Principum, viribus & mediis tuendi condignè tantam dignitatem, destitutorum. Ut verò Potentibus tantum concedatur, non sufficit ratio Potentiæ, quæ sola hæc non Jus tribuit. Interim Legatorum Statuum disparitas in Comitibus ipsis satis pulsatur, cum Legati Principum & Statuum potentiorum, exigant à Comitibus Legatis primæ visitationis honorem & Excellentie titulum, nullo reciproco officio.

officio. Legati quoque Comitum & Baronum, licet hi habeant facultatem mittendi Legatos, non tamen valebunt isti majores honores & titulos affectare, quàm eorum Domini, si presentes adessent. Civitatum verò Imperialium Ministros vix in ipsis Comitibus dignantur quidam Legatorum nomine; satis illis, si Deputati appellentur. Equestris autem Ordo, quia Statum Imperii non facit, hoc Jure planè destituitur.

8. Cœterùm Capitulatio Cæsaris, expressè cavet, ne exteri, sive clam, sive palàm, rebus Imperii se immisceant, ideò vetitum censetur Statibus, in Legatos assumere externarum gentium & Principum Ministros, ut sapius se obtrudebant Galli & alii explorandis magis rebus, turbandique studio, quàm sincero animo, prosequendi communem Imperii salutem.

9. Haud leves etiam controversiæ inter ipsos Legatos Statuum, quorum Domini invicem amulantur & continuo competunt, irrepsere. Singulis fermè Comitibus novarum litium clamoribus, atria & subsellia personant, ait Goldastus. Sanè nec Saxo cum Bavaro, nec Brunsvicensis cum Brandenburgico, nec Hassus cum Pomerano, nec Sabaudus cum Mediolanensi (ne dicam de minoribus Principibus, Episcopis & Abbatibus) conveniunt: Ideò eorum Legati continuo inter se colluctantur. Nec certum quid inter eos statui posse, ait idem Goldastus lib. 1. c. 24. ob temporum & reipublicæ instabilitatem. Aliàs autem Civilis præcedentia semel acquisita, quamdiù substantia ipsa durat, perpetua & immutabilis manet, non attentâ potentiæ accessione vel decessione factâ, dummodò hæc Jus Provinciæ non innovat, ut habetur *can. legitimus. 24. dist. 39.* aliàs omnium Principum honor periclitaretur, si fortunæ ludibrio subjaceret. Novimus etenim Regnorum & Principatuum potentiam in perpetuo fluxu & refluxu esse, eamque jam crescere, mox decrescere, Honor autem vetus inhaeret ipsi substantiæ potestatis, non accidentali potentiæ, quæ in divitiis fundatur.

tiae dignitas immutabitur, si Regna vel Principatus, si Rex vel Princeps capitis diminutionem patietur, vel sublimabitur, vel Rex olim Burgundionum in Ducem delapsus, vel ut Brandenburgicus ex Marchione Rex factus Prussiae. Jus, tali casu, praecedentiae alterabitur, diminuetur, vel augebitur. Sic olim Bohemus ultimus Electorum fuerat, qui nunc Primus est, in Regem evectus. Sic, ut scribit *Sablonettus de dignitat. Duc. Ital.* Caroli V. decreto Florentiae Duci praecedentia adjudicata fuit, ante Ducem Ferrariensem ex familia Este, licet multi Juris periti pro hoc Principe adstruerent contra Florentinum, quod iste antiquas Reipublicae Florentinae praerogativas sibi appropriare nequiret, quia desit esse Respublica, Florentina, & nunc ipsi ex novo tantum Principatu accessit omnis honos & dignitas, utique, quia recens, longè inferior antiquae Estensium Familiae. Stringit hoc argumentum valdè, quia Florentina Respublica videtur in substantiam mutata fuisse, cum in Principatum desierit, adeoque formam constitutivam Reipublicae deperdiderit. Nihilominus gens Medicea palmam retulit sive favore Caesaris, sive Juris patrocinio, eò fortè respicientis, quod surrogatum sapiat naturam surrogati, cum qualitatibus & privilegiis suis, licet surrogatum aliam assumpserit naturam. Quod argumentum vix convincit, quia aliàs omnes Principatus, qui olim erant Regna, possent pretendere Regios honores, & privilegia, quae olim habebant. Quidquid naturam mutat, mutat substantiam, & ex unâ formâ decedit in aliam: hæc vel deterior, vel melior est? si melior? augentur praerogativae: si deterior? minuuntur. Imò Unio diversorum Regnorum Provinciarumque Jus ratione praecedentiae non mutat, nisi accedat major antiquitas vel sublimitas alicujus Regni, quod antea unitum non erat. Nam Unio per se novum vel antiquius, aut sublimius Regnum non constituit, sed eadem persistit substantia, eadem potestas: major quidem potentia; sed quae Majestatem majorem non facit, licet faciat conspicuam. In Conciliis

liis generalibus egei Episcopi præcedunt opimos, quia non tam amplitudo & divitiæ spectantur, quàm vetustas & potestas in dignitate.

10. Poloni (ut fertur, sed nos fermè fabulam arbitramur) Legis municipalis remedio, Legatorum contentiones omnes, non tam dirimunt, quàm, ne exsurgant, præveniunt. Fertur enim apud illos lege cautum: Eos Legatos, qui priùs in Regnum admissi, aut ipsi eò appulerunt, sicut prærogativâ ancineitatis, ita præcedentiæ frui. Adeoque Prioritas temporis, privilegium conscisceret honoris, & loci. Mos, me Castor, iste, minus humanus, minus justus, præventionibus, æmulationibus, maximisque præjudiciis obnoxius est. Sic enim longiùs distitæ nationes, semper periculum subirent meriti sui. Histeron proteron eveniret, si Legati Principum summi characteris, quales sunt Imperatorum Regumque; Legatis minorum gentium locum cedere, sinistrè subscribere, postrema officia accipere cogerentur. Aut iste Polonis usus non est, aut malè excogitatus. Remedium contentionum non debet esse offendiculum meritorum. Nulla consvetudinis, nulla legis habenda ratio, quæ rem declarat in deterius. Semper & constanter insistat Legatus merito & conditioni sui Principis, neque alio quocunque, sibi persvaderi contrarium, motivo sinat, nisi ejus solius, cujus mandato emissus est.

11. Redeo ad Legatos Statuum Imperii, eorùmque de loco & honore consiliatationes; & quæstionem, quam Publicistæ movent, quis nimirum Judex sit similium litium, cuique eas componere incumbit? expendo & discutio. Sanè *t. t. C. ut dign. ord. ser. vet. lib. 12. Nov. 1. §. inordinat. can. ad hoc. dist. 98.* Ad Imperatorem pertinere dicitur, certum Sessionum dignitatùmque ordinem definire: ut Besoldus in *dissert. Pol. de præced.* ostendit apud Conventum Ratisbonensem, eo tempore, quo Bavariæ Dux de Electorali dignitate investiebatur, exortam fuisse, circa Dapiferatum S. Imperii,

controversiam, inter Comites Walpurgicos, linea Seerensis, & Wolffeggiana, cui nimirum administratio hæreditariæ dignitatis competeret? & decreto Cæsaris decisam fuisse, ut unus in ingressu, alter in egressu gestatione fungeretur Imperialis pomi. Si Jura contendendum obscura sunt, si uterque æquè, aut neuter probat, si usque nunc neuter est in possessione, in casu ejusmodi dubio, qui facilè resolvi haud possit, potest Imperator ejusmodi Status, sive eorum Legatos invicem colluctantes, de plenitudine potestatis, vel ad alternandum interim, vel ad amicabilem compositionem compellere, vel ultimam, auditis partibus controversiam definire. Cum enim dignitates omnes & prærogativæ ab Imperatoribus scaturiant, æquum est, ut Imperator velut fons omnium privilegiorum de illis interpretetur, judicet & disponat. Quemadmodum in Comitibus Augustanis Anno 1520. conclusum fuit, ut Status Imperii Cæsaris arbitrio circa sessionum controversias se ultrò dederent. Imò omnes Principes, qui admittunt Legatos, Jus habent ponendi modum contentionibus Legatorum, dummodò eorum Domini non inde dignitate minuantur, sed utrinque Jura salva habeantur. Ita Anno 1471. in Comitibus Ratisbonensibus Caroli Audacis Burgundia Ducis Legatos, qui Electores præcedere gestiebant, Cæsar inter Oratores Regios collocavit: Inde Electoribus nulum præjudicium creatum, Burgundo tamen satisfactum, quod se Regibus æquiparari existimaret. Similiter Ferdinandus primus Legatis Hispanorum & Gallorum invicem de sessione contendentibus conventum utrique interdixit, & illos seorsim, ut lubebat Cæsari, audivit. Legati Pontificis in concilio Tridentino, ubi inter Hungariæ & Portugallia Legatos diù disceptatum fuit, utrius mandata prius legerentur, responderunt: Mandata Legatorum eo ordine legenda, quo exhibita essent, non secundum dignitatem Principum mandantium: sicque præcisæ contentiones plurimæ.

CAPUT VI.

Quæ scire Legatum oportet.

1. **N**ullum magis post Imperantes publicum munus est, quàm Legati: omnium oculis expositum, ab omnium sagacitate observatum, cunctorum Judicio & censuræ subiectum. Nihil autem magis, quàm notoria rerum imperitia prostituit publicè agentem; à Publicis ministris oracula expectant privati, præsertim Exteri, & cedunt illi in ludibrium his, si expectatione suâ frustrantur. Ut verè cum Charone dixerim, *ignorantiam primam maculam esse magistratus*; Et hoc ipsum est, quod in Legato non solum exacta cautela, aliavè dotes, de quibus diximus, sed etiam ingens peritia, maximè rerum earum, quæ inter Principes intercedunt Europæ, quales sunt præcedentiæ, prætensiones, differentiæ, pacificationes, usurpationes, ac in Regnorum, ditionum, juriùmque momentis simultates; quæ fermè omnia ad duò prima capita, præcedentiarum nimirum, & prætensionum referri valent, exigatur. Hæc quidem callere & integrè experiri vix ætas hominis sufficit; & expiraret vita prius, quàm Legati munus inciperet; nisi suppeditaret Historia præterita, Legati sagacitas conciperet præsentia, ejusque prudentia prævideret futura.

Aliqua, non omnia, suppeditabit præsens capitulum. Respiciemus in præterita, ut prospiciamus præsentibus & futuris. A Præcedentiis autem ordimur.

2. *Lex salutis publicæ* est lex suprema, & Regina legum. Huic proximam censemus illam de conservando respectu, authoritate, & reputatione Principis, quoad honores, titulos, locum, aliasque externas prerogativas. Hanc legem, dixit Livius,

Livius, immutabilem & immortalem, ubi Valerius declaravit Oppiam, quod enim semel Majestati pugnantis competit, nefas erit amplius in dubium vocare. Nec unquam Princeps decrementum honoris pati debet, nisi incrementum non meruisse, audire velit. Si privatum, omnia honori postposuisset, audire pulchrum est, quidni Imperantem, cujus proprium est de honore & gloria certare? Coeteris enim mortalibus in eo stant consilia, quid sibi conducere putent, Principum diversa fors est, quibus præcipua jura rerum, ad famam dirigenda, ut Tacitus meminit Annal. 4. quid Principe altius, sublimius aut majus? an igitur humi repetit? vel tentabit potius omnem viam, ut se humo tollat? Omnibus hominibus naturam insitum est honorem & gloriam appetere; at optimi (quales Principes sint) altissima cupiunt, ait rursus Tacitus. 43. Annal. Sat est Principibus ad præscriptionem, *possidere* (ajunt Statistæ) reliqua armis committunt. Vetus Roma autoritate suam induxerat, & possessione præscripserat, ut Cives suos Regibus æquipararet, aliena Regna Civitate donaret, Regesque exteros in Cives suos cooptaret. Tiridates, Rex Armeniæ, prius equo desiliens salutavit Corbulonem, quam iste illum. Et Oppius reprehendit dextræ Scipionem, quod purpuram cesserit Regi Juba. Ita olim zelabant Veteres pro gloria, quia aliam immortalitatem non credebant, quam gloriae partem longam memoriam. Hinc Machiavellus obesse Principibus Christianam Religionem dixit, quia proficitur illa humilitatem, & gloriae famæque vix intendit. Impium hoc dictum! Humilitas omnino obest ambitioni, non autem verae gloriae. An gloriosum Principem, hoc ipso, dixeris ambiciosum? an gloriam cum virtute consistere negaveris? an scelus Principatui necessario innexum volueris? minimè hoc gentium: Imò, ne dicas Principatum, scelere comparatum, sed Tyrannidem.

3. Cujus causa ajo: Homini Politico & Christiano, ac proinde multo magis Principi, & in facie mundi constituto
de

de sessionis, honoris aut gradus prerogativâ concertare vi Religionis Christianæ, nequaquam prohibitum, sed licitum esse. Quem enim Ordinem DEUS inter Hierarchias Cœlorum statuit, illum etiam in terris adamat, vult & exigit; unde Ordo Juris divini est, atque ad virtutem Justitiæ distributivæ spectat. *c. est Ordo. can. 33. q. 1.* quisquis igitur Ordinem hunc aut confundere aut turbare gestit, se non minus hostem privatum, quàm publicum, cui omninò resistendum est, constituit. Nunquam adversatur sibi humilitas, & ordo, Religio & gradus. Sunt in Christianâ Religione gradus dignitatumque prerogativæ: & humilitas, nisi ordinata fuerit, vilitas erit & abjectio, quæ virtutis nomen non merentur. Increpat Paulus *ad Philipp. 2. v. 3.* Christianum, & quemcunque hominem, indebitè sibi locum vindicantem, eumque graviter errare pronuntiat: licebit igitur errantem corrigere, licebit loco pellere. Sanè, qui de Ordinis prerogativâ ad conservandum suæ familiæ decus non contendit, qui locum, qui manum in publicis functionibus sibi eripi finit, sciat se, sibi, suo etiam munio, posteritati que suæ injurium esse cum omni Jure (ut Peregrinus Juris - Consultus celeberrimus consilio 84. affirmat) Divino, Naturali, Pontificio & Cæsareo cautum esse videatur, ut dignitatum & ordinum gradus exactissimè observentur. Ubi ordo, ibi cœlum est, ibi infernus, ubi confusio.

4. Id multos induxit non contemnendæ authoritatis Viros, Menochium, consil. 902. Azevedum consil. 29. Panzirolum, Riccium & alios, ut, Principes sessionem, honorésque sibi debitos, armis tueri & vindicare posse, docuerint. Turbant quippè Rempublicam, qui alienos honores aucupantur & involant, à paritate nimirum eorum, qui aliena bona usurpant: cum eadem, & major fermè ratio sit honorum, quàm bonorum. Cum Maximilianus II. Imp. Caroli IX. Galliarum Regis Legatis præcedentiam præ Hispaniarum denegasset, hanc insignem injuriam ad bellum Hispano movendum

dum sufficientem esse rebatur Gallia: Admiralius Colignius, idvè Regi suo operosè persuadere conatum fuisse testatur Thuanus lib. 35. hist. In Comitii Augustanis sub Friderico III. Georgius Dux Bavariae, eò quod Mareschallus Pappenheimius Alberto Saxoniae Duci superiorem locum assignasset; ad duellum provocavit, quos deinde Maximilianus primus, tum temporis Rex tantùm Romanorum, suo interventu composuit. Nimis sensibile est generoso, excelsoque animo, honore minui. Lepidum autem videre fuit, ubi in coronatione Caroli V. Bononiae, duo Legati, Genuensis & Senensis, otiosis ad latus gladiis, Jus praecedentiae, manuum confertione, sive, ut Itali vocant, pugnis propugnârunt. Sed adhuc magis ridiculum est duorum ab Italiâ Legatorum Pragæ sibi super pontem occurrentium, ubi neuter honoris locum alteri cedere volens, totâ ferè die ibi constiterunt, fabula Urbis facti.

5. Profectò, si certum quid in re tam gravi statuere liceat: quis vetabit Principibus, nullum, præter DEUM, sibi superiorem, agnoscentibus, praecedentiarum sive Jura, sive injurias, acie gladii experiri: nisi forsân amore Pacis publicae optandum veniat, ut inter tot innumeras funestorum bellorum emergentium quotidie causas, hæc foret vel levissima (si honoris momentum maximum non est) vel planè nulla; sopitis vel amicabiliter controversiis, vel indifferentium sententiâ arbitrandis, vel Juribus hinc illinc alternandis. Elige, ut Reipublicae interest, eamque votorum primam Cynosuram, ut bonus, ut justus (licet magnus) Princeps dicaris, respice.

6. Verùm hæc ejusmodi momenti non esse censemus apud Status Sacri Romani Imperii, quorum sacratissimus Monarcha semper præstò est, atque ex augustissimo suo munere quibuscunque Ordinibus prospicit, ut in gradu, dignitate, honore & loco vel à Lege præscripto, vel Jure, usu, aut possessione obtento, manuteneantur. Via enim facti cessare debet, ubi ordinarium remedium superest. Habet Impera-

tor in his, ut judicet, jam diximus; & judicavit multoties, ut ex historiâ liquet. Nunquam tamen finis controversiarum, tam inter Principes, quam eorum Legatos obigit: multa etiamnum indecisa sunt, multa ambigua, incerta, multa alternatione Jurium suspensa, multa preventionibus subjecta, multa possessione usurpata, plurima ex Aureâ Bullâ malè interpretata, ut parva spes affulgere videatur, omnia ex integro aut æquo componendi. Neque mirum hoc: Quis enim in tantâ magnorum mediôrûmque Principum, Comitum, Baronum, Urbiumque, ac horum omnium Legatorum multitudine, perfectam expectabit quietem? ubi in parvo Christi Collegio controversia mora fuit: Quis illorum major erit in Regno Coelorum, notumque Piscatoribus jam tunc fuit; quid sit sedere ad dextram vel sinistram? Si in utero Matris Gemelli, Jacob & Esau, disputabant de præcedentiâ? Non aliis profecto punctis, non lineis, quàm principio & fine Mundi circumscribitur Ambitio. Hanc enim suggerente illo, qui similis esse voluit Altissimo, cœpit Mundus; & rursus desinet cum eo; qui se jactabit Christum & Messiam, & erit abortus superbiæ. Porrò hanc ipsam passim occurrentium præcedentiarum confusionem callere Legatum oportet; quem hisce lineis, brevi calle, per Mundum ducam, commoraturus tamen maximè apud Status Imperii, & Aureæ Bullæ Ordinationes expensurus.

7. Dignitate prima, quia sacra; sed detestatione nulla dignior, quia impia; prætensio est Patriarchæ Constantinopolitani adversus Romanum Pontificem de Primatu Sedis. Ille Authorem sedis suæ jactat S. Andream, qui primus ante omnes Apostolos vocatus fuit ad Apostolatam, audivitque vocantem Christum primus. Ille D. Petrum, quem successorem sibi dixit Christus, & Dispensatorem constituit clavium Cœli & terræ, seditque Romæ, ut Apostolorum Princeps, ut Vicarius Christi, ut Pastor ovium, sibi à Salvatore commissarum; ibique fuso pro fide sanguine, confirmavit

veritatem suæ Sedis. Huc facit *Lex inter Cleros. C. de sum-
mâ Trinit. & Novella 131.* quæ quidem intonat Ecclesiam
Constantinopolitanam **Caput** (sed disertis Verbis) **Post
Romam.**

8. Alia Pontificum controversia fuit cum Imperatori-
bus, quis nimirum eorum in titulo præferendus? Erupit au-
tem hæc Anno 1158. inter Fridericum I. Imperatorem & Ad-
rianum Pontificem. Præcesserant simultates inter utrumque
& indignationum causæ: Igitur Imperator, ut iram suam so-
laretur, quemadmodum scribit Radevicus lib. 2. c. 10. jubet
Notario, ut in scribendis literis ad Pontificem non solum no-
men suum illi præferret, sed etiam dictionibus singularis nu-
meri alloqueretur. Qui mos scribendi cum antiquitus esset
in usu communi, à modernis (prosequitur idem) ob quan-
dam personarum reverentiam & honorem, putatur immuta-
tus. Agebat siquidem Imperator, aut Papam debere servare
suorum Antecessorum ad personam Imperialem scribendi
consuetudinem: aut seipsum Antecessorum morem in suis
epistolis oportere observare. Verùm adhuc majorem inter
eos simultatis fomitem ministravit, quod quædam litteræ de-
prehensæ dicerentur à Pontifice directæ, quæ Mediolanenses
& quasdam alias Civitates Italiae rursus ad defectionem horta-
rentur, Rumor ad initium erat, sed fermè veritas patuit, cum
se paulò post, Mediolanenses, Imperatori opposuissent, insu-
per exostulantes, ut citatus Radevicus scribit: *Furâsse qui-
dem se in Verba Caesaris, non tamen addidisse, se habituros
Juramenti rationem.* Idem Pontifex negavit Imperatori ho-
magium à personis Ecclesiasticis Italiae Episcoporum & Præ-
latorum faciendum. Qui autem reposuit illi: Episcopo-
rum Italiae ego quidem non affecto dominium, si tamen &
eos de nostris Regalibus nihil habere delectat. Qui si gratan-
ter audierint à Romano Præsule: *Quid tibi & Regi?* conse-
quenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire, *quid
tibi*

tibi & possessioni? Christus pro se & Petro censum persolvit Cæsari. Aut igitur Regalia nostra nobis dimittant, aut si hæc sibi utilia judicaverint, quæ DEI, DEO, quæ Cæsaris Cæsari persolvant. Ita Fridericus in Epistolâ ad Adrianum Pontificem.

9. Tertia controversia fuit circa præcedentiam Sessionis, sed quam Fridericus malè tuitus est Venetiis: ubi Anno 1177. purpureâ (ut Justinianus scribit) humeris chlamide depositâ, Imperiali amoto fastû, humi procumbens, Pontificis Alexandri pedes deprecabundus exosculatus est. Pontifex autem Friderici collo plantâ superpositâ Davidicum illud protulisse dicitur: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* tum quidem Fridericus reposuit: *Non tibi, sed Petro.* Ast Pontifex fortius impressit plantam, dixitque: *Et mihi & Petro.* Ut scribit Palatius in Aquilâ Romanâ. Controversiæ hæc inter Sacerdotium & Imperium, inter Papam & Cæsarem, universum Christianum Orbem schismate in se diviserant, Bellis commoverant, censuris afflixerant, & innumeris propè cladibus vix non oppresserant. Et quid inde? plus decessit, quàm accessit Imperio; Actum agimus cum Petrâ. Nunc Capitoliî Saxum immobile est. Nec portæ inferi in adversum quidpiam audent. Rectè Lacon dixit: Nemini esto dubium, potestatem spiritualem præeminere temporali: attamen non titulo Dominationis, sed dignitatis: non secundum Ordinem subjectionis, sed directionis. Duo sunt Luminaria in Mundo, ut in Cœlo Sol & Luna: ita in terris Potestas sacra & profana: quæque suam separatam habet spheram, & suas singulares functiones: nec una alteram impedire, sed sibi invicem opitulari debent. Omnis deindè honor, dignitas, & existimatio, (merus reipsâ fumus) quæ conceditur Ecclesiæ, nihil per hoc demitur Regibus & Principibus, quia illa horum Mater est, eosque per sacrum Baptisma genuit. Rex, Princeps, miles, subditus, sine discrimine, oves sunt Christi,

is illas pascendas dedit Petro & successoribus ejus ; Pedum respicite, Pastorem non despiciate.

10. Romanorum Imperator (ut omnium Scriptorum fert consensus) sessionis Jure , omnibus Orbis Regibus & Principibus prior est , quod Constantinopolitano Sultano , non solum quod non sit legitimus Imperii Successor , verum etiam , quod non tam dicendus sit Imperator , quam Tyrannus , neque ejus Status & Regna , Imperium , sed magis Dominatus vocanda , Jure competere nequit. Olim quidem competeabant Imperatores Orientis , cum Occidentalibus , assentiente planè Adriano Pontifice , cui autem Fridericus I. tam calamo quam ferro contradixit. Præ Imperatore Romano prætendit etiam Rex Galliarum , non quidem simpliciter præcedentiam , sed in casu tantum , quando est Electus , & nondum Romæ coronatus , ut Anno 1521. contigisse tradunt illius temporis Scriptores inter Regem Galliarum Franciscum & Carolum V. electum , sed nondum unctum & coronatum à Papâ Imperatorem. Ubi enim ad portum Caleti (sive fortuito , sive ex proposito) convenissent Legati Cæsaris & Regis Franciarum , disceptatum fuit mox de præcedentiâ , opponente Antonio de Prato Regis Franciarum Cancellario & Legato , Legatis Cæsaris : non posse , nec debere Regem unctum , qualis erat Rex Franciarum , Cæsari electo , nondum uncto nec coronato , cedere.

11. Inde exurgit quæstio generalis : *An requiratur ad Imperatoris essentiam , Papalis unctio & coronatio , vel , an satis ea sit , quæ electione , Unctione , & coronatione ab Electoribus in Germania perficitur ?* Ut verò hæc generalis quæstio magis liqueat , & facilius resolvatur , præmittendæ sunt aliæ quæstiones particulares , & resolvendæ , ac primò quidem , *an Imperator beneficio Pontificis Imperium possideat ?* Hæc quæstio decisa fuit , tempore Friderici primi , & Adriani Pontificis memorando facto , ut refert Palatius , in Aquilâ Sævâ Imperatorum Germaniarum lib. 22. Scripserat etenim

Epistolam Anno 1557. Adrianus Pontifex, Cæsari Friderico, quâ (ut ex ipsius Pontificis confessione scriptâ, eodem anno, ad Episcopos Germaniæ constat) continebantur hæc formalia: *Insigne coronæ beneficium tibi contulimus. Item: debes gloriosissime fili ante oculos mentis reducere, quantam sacra Romana Ecclesia tibi dignitatis plenitudinem & honoris, & qualiter Imperialis coronæ insignia libentissimè contulerit &c.* Hancque Epistolam per duos S. R. E. Cardinales velut à Latere Legatos obtulerat. Quibus publicè lectis, Principes tunc præsentés & Imperator, mox suspicati sunt, quod Pontifex Adrianus Imperium, clientelare Romanæ Sedis duceret beneficium. In hanc ipsam interpretationem inclinabant Ministri & Aulici; præsertim quia à nonnullis Romanorum palàm affirmari noverant, Imperium Urbis, & Regnum Italiæ, donatione Pontificum, Imperatores hætenus possedisse, idque non solum dictis, sed & scriptis atque picturis repræsentare, atque ad posteros transmittere gestiebant. Undè de Imperatore Lothario, in Palatio Lateranensi super hujusmodi picturam scriptum fuit:

*Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores.
Post homo fit Pape, sumit quo dante coronam.*

Talis pictura & superscriptio, cum vehementer displicuisset Imperatori, amicâ prius invectione, in rei indignitatem, præcedente, Adrianus ipse, ut & scriptura pariter, atque pictura talis de medio tolleretur, mandavit, ut citatus testatur Radevicus apud Palatium loco citato. Hoc sanè factum solvit præfatam quæstionem negativè, scilicet, Imperium beneficio Pontificis ab Imperatore non possideri.

12. Aliud factum est tantò liquidius, quantò magis scripturæ, quæ permanet, quàm verbo, quod cum aurâ avolat, creditur: sicque se habet. Super præfatâ Epistolâ, & insolitâ Legatione, magis ac magis invalescebant Proceres Imperii, & cum Legatis exostulabant, quorum unus dixisse fertur:

fertur: à quo ergo habet, si non à Domino Papa habet Imperium? Hoc non erat gelidam, sed oleum igni superinfundere. Ob hoc etenim in consideratum dictum eò processit omnium indignatio, ut Otto de Wittelspach Comes Palatinus zelo Germanicæ libertatis fumans, aciem fermè gladii, in Legati cervicem impegisset, nisi autoritate præsentis Cæsaris interpositâ, iracundiam suam compefcuisset. At Fridericus exaratis ad omnes Principes Imperii circularibus literis, de Pontificis inauditâ usurpatione questus, tantum ex hoc non solum Romano Clero, ut se partim à Papa separaret, sed etiam ipsi Adriano incussit metum, ut illicò novam & modestiorem Legationem ad Fridericum institueret, quæsitâ prius, ut constat ex Apostolicis literis per Germaniæ Episcopos apud Cæsarem interpositione. Legatos excepit Imperator in castris, illi vero longè aliter, quàm nuper, ut scribit Radevicus libro 1. reverenter nimirum ac demisso vultu, voce modestâ, tale suæ Legationis fecere Principium.

13. Præsul S. Romanæ Ecclesiæ, Vestræ Excellentiæ devotissimus in Christo Pater, salutat vos, sicut Charissimum, & specialem S. Petri filium. Salutant etiam vos venerabiles fratres nostri, Clerici autem vestri (quod notandum) universi Cardinales tanquam Dominum & Imperatorem Urbis & Orbis. Tum litteras consignârunt Pontificis, modestiâ plenas, in quibus expressè declaravit verba superioris Epistolæ derogatoria Majestatis Cæsaris hisce verbis, quæ unâ cum literis authenticè producit præfatus Radevicus. Ita ergò scripsit Pontifex: *Occasione cujusdam verbi quod est Beneficium tuus animus, sicut dicitur, est commotus, quod utique nedum tanti viri, sed nec cujuslibet minoris, animum merito commovisset. Licet enim hoc nomen, quod est Beneficium, apud quosdam in aliâ significatione, quam ex impositione habeat, assumatur: tunc tamen in eâ significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione suâ nosci-*

noscitur retinere. Hoc enim nomen, ex Bono & facto, est editum, & dicitur Beneficium apud nos, non Feudum sed Bonum factum. In quâ significatione in universo Sacræ Scripturæ corpore invenitur, ubi ex beneficio DEI, non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione & benefacto ipsius, gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquidò recognoscit, quod nos ita benè, & honorificè imperialis dignitatis Insigne tuo capiti imposuimus, ut bonum factum valeat ab omnibus judicari. Unde quod quidam verbum hoc & illud, scilicet Contulimus, tibi Insigne Imperialis coronæ, à sensu suo nisi sunt ad alium retorquere: non ex merito causæ, sed de voluntate propriâ, & illorum suggestionè, qui pacem Regni & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum Contulimus nil aliud intelligimus, nisi quod superius dictum est, Imposuimus. Ita Pontifex apud Palatium citatum. &c. Hæc exsinceratio Pontificis è diametro opposita est quæstioni primæ, nimirum, an Imperator beneficio Pontificis possideat Imperium? eamque ipse sole clarius resolvit negativè.

14. Altera quæstio est, utrum Imperator sit Vasallus Papæ. Hujus quæstionis resolutio dependet à priori: Si enim Papæ beneficio non possidet Imperium; igitur quâ tale non possidet ut Vasallus. Tertullianus in Apolog. cont. Gentil. disertis Verbis pronuntiat: Imperator à DEO secundus est, super omnes homines, soli DEO subjectus, solo DEO minor, id est, in temporalibus: quod ipsum prædicatur de Papâ in spiritualibus. Ergò sicut iste in his, ita ille in illis nullus Vasallus est.

15. Tertia quæstio, an Pontificis consensus ad Electorum convocationem de eligendo Imperatore sit necessarius? Aurea Bulla est Imperii Romani Lex fundamentalis & regia, & nusquam hæc illud statuit, sed simpliciter Archiepiscopo

Moguntino hoc Jus, quod jam ante auream Bullam possederat, plenè attribuit. Nec obest, quod ante auream Bullam Gregorius V. natione Germanus hanc eligendi Imperatoris potestatem Electoribus dedisse credatur. Si enim dedit, dedit profectò hoc Jus illis absolutè, & non cum perpetuâ dependentiâ à sacrâ sede. Hoc enim nusquam legitur, nec id ullus Historicus, qui hujus rei meminit, testatum reliquit. Ideò Elector Moguntinus Dietherus de Isenberg obtemperare nequaquam voluit Pio II. Pontifici, qui absolutè voluit, ne ille Electores ad eligendum novum Imperatorem aut de aliis rebus in Imperio constituendis, se infcio, & absque voluntate suâ congregaret. Illud vel indè etiam colligitur, quod Imperatoris Electi publicatio non fiat à Pontifice, nec ejus nomine, nec per ejus Nuntium, nec semper præsentè hoc propter competentiam Principum.

16. *Quarta questio est: An Coronatio sit de necessitate Electi Imperatoris?* Negativa fundatur in Lege fundamentali Imperii, nimirum Aurèâ Bullâ, c. 2. n. 5. quæ ante coronationem, & quamprimùm post Electionem, compellat Electum, Regem potestatemque illi mox tribuit omnia Electorum Principumque privilegia confirmandi: Sicque confirmat ille omnia à nemine confirmatus nec confirmandus, ac proinde solâ Electione, absque coronatione, plenissimum Jus imperandi, ac Imperium administrandi consequitur. Electores illum designant, DEI autem potestatem confert designato. Omnis enim Potestas à DEO est; Tantum tribuit Electio, quantum Successio: Successione autem acquiritur immediatè Jus Regium, ut constat in omnibus Regnis successivis, cur non Electione in electivis? Exemplum in Ecclesiâ invenio: Pontificatus est electivus, & quamprimùm Papa electus habetur, obtinet immediatè vicariam in terris Christi potestatem, nec ullâ confirmatione indiget, neque coronatione, nisi ad ostentationem, plausumque & jubilum populo dandum. Coronatio ad essentiam Imperatoriæ Potestatis, non magis confert, quam

quàm accidens substantiâ. Acta Principum ex carentiâ solemnitatis non corruunt.

17. Et licet olim triplex Coronatio in usu erat, prima Aquisgrani in Germaniâ, secunda Mediolani in Lombardiâ, tertia Romæ in visceribus Italiæ per Pontificem: attamen duæ posteriores ad libitum manent Electi, tertia ordinariè celebratur in Germaniâ & quidem Aquisgrani, usque ad tempora Ferdinandi Primi: secuturis verò temporibus nec secunda & tertia usitata, & prima diversis in locis habita, ut non pridem Josephi Regis Romanorum Augustæ Vindelicorum. Prima, id est Germanica, licet ad potestatem Imperatoriam nihil facit, neque necessaria sit: Attamen ut Electionis functio adæquatam assequatur perfectionem, necessitatis esse videtur, nec ab Imperatore intermitti debet, ut tradit Limæus in *Jure publico lib. 2. c. 2. n. 80.* Duæ, Romana & Lombardica, jam præscriptione sublata sunt, licet prætendi possint ab Imperatoribus. Intermittas autem aliqui existimant, non solum ob ingentes expensas, itinerum incommoda, locorum, per quæ itinerandum erat Militi, Aulæ &c. perpessa damna, incommoditates Principum, aliorumque Statuum Imperii, qui Cæsarem comitari tenebantur; Verùm etiam quia Imperatores (ut abundè habetur ex præteritorum historiâ) rarò felices exitus indè auspicabantur, & simultatum inter Sacerdotium & Imperium non dabatur finis. Sane bono Imperii intermissum esse, nemo prudens non credit. Inde longa hucusque resultavit Pax inter Cæsares & Pontifices. Rudolphus primus, primus intermisit coronam Romanam & Lombardicam, quem secuti, præter paucos, omnes Cæsares Austriaci; qui licet Romæ Capitolium non viderint, nec Apostolorum salutaverint limina, salutati tamen, & adorati fuere ut Imperatores Romani ab Orbe universo.

18. Ex dictis facilè resolves quæstionem supradictam generalem, per consequentes quæstiones & resolutiones negativè: nimirum, nequaquam esse necessariam coronationem

Pontificis ad Imperatoris essentiam. Quia Imperium ejus beneficio non possidet, nec ejus Vasallus est, neque Pontifex ad Cæsaris electionem concurrat, ut vidimus. Quid deindè Juris aut Potestatis tribuet Cæsari coronatio Romana, si jam toties sufficiebat Germana? Ast audimus opposites: Papa potest Imperatorem deponere, ergo etiam ad electionem ejus debet concurrere. Antecedens, nisi jam per depositionem Adolphi, Wenceslai &c. usû venisset, contradicere-mus ipsis etiam Electoribus, qui soli aliàs Jus habent deponendi, sicut eligendi Imperatorem: Electo quippè Cæsare functi sunt officio suo; nec iste Judicem habet alium, quàm DEUM, à quo omnem potestatem habet: Sed multò magis contradicimus Papæ, quia neminem, nisi ipsius sit Vasallus, Jure potest throno & possessione suâ pellere *simpliciter*, sed *consequentè tantum*; id est, postquam ex communicavit eum, ex causâ spirituali, vel hæreseos introductæ, vel in Schisma prolapsi: tunc Vasallagii vinculo exsolvere poterit subditos; sicque indirectè Imperio privare. Idèd supra dicta consequentia, videlicet: Ergo debet Papa ad Cæsaris Electionem concurrere, non rectè concludit, quia potest Papa alios etiam Reges excommunicare ex causâ spirituali & gravi, & consequenter indirectè deponere; & tamen non concurrat ad eorum Electionem, in Regnis electivis, nec successionem confirmat in successivis. Rursus opponis: Ejusmodi doceri ab Hæreticis. Negamus, hæc ita doceri ab hæreticis: alia eorum principia, alius finis; noster est Veritas, citrà injuriam, citrà contumeliam, citrà denigrationem Sacræ Sedis, quæ semper Una, Sancta & infallibilis est. Imò nos audacter dicimus: Hanc Doctrinam fuisse communem omnium fermè Jurisperitorum & Politicorum, antequam vel Lutherus Germanicam, vel Calvinus Gallicam hausisset auram. Pro Pontifice sunt Romani, sunt Itali, nec hi omnes: Reliqua pro Cæsare stat Europa. Nec materia est hæc fidei, nec devisa à Conciliis. Parerga sunt potius & problemata, vel, si mavis,

mavis, in dignitatem Sacræ Sedis extrinsecam adinventam. Sed instabis: Hæretici se fundant in istis. Nonne fundant se etiam in sacris litteris? Ergo istæ cremandæ? minimè gentium. Veritas non debet palliari propter abusum, imò fiat usus, tollatur abusus. Quæ omnia eò dicta sunt, ut enervemus Gallicane prætensionem præcedentiæ adversus Imperatorem, nondum à Papâ coronatum & confirmatum. Corruente enim necessitate coronationis Romanæ, corrui prætensio Præcedentiæ Gallicanæ.

19. Anno 1533. in Comitibus ventilatum fuit, an Rex Romanorum vivente Imperatore electus, Jus præcedentiæ habeat ante Regem Galliarum, aliósque Europæ Reges?

Ratio dubitandi, imò apud non paucos negandi fuit: quia Rex Romanorum vivente Imperatore creatus, **Majestatem** non obtinet, cujus essentia est, ut superiorem suum neminem cognoscat nisi DEUM. Majestati deinde adamantino nexû jungitur **Potestatis supremæ & absolutæ plenitudo**: Supremæ, inquam, & absolutæ, quæ non est post aliam, & ante quam nulla est. Quod secundum Ordinem est, primum non est: quod adjectionem suscipit, supremum non habetur: Quod ab alio liberè communicatur, absolutum non dicitur. Rex autem Romanorum, non solum Imperatorem superiorem recognoscit, illumque in Recessibus, ut de Anno 1548. suum Dominum appellat; verùm etiam ejus potestate non potitur, nisi quam illi liberè communicat, aut permittit. Jura quippè omnia Imperatoria, eòsque tantum exercet, donec Imperator aut absens, aut aliis negotiis præpeditus sit, aut exercendi concedat potestatem. Cujus bina extant indubitata argumenta: Primum ex Capitulatione Rudolphi II. Regis Romanorum electi, qui hisce reversalibus erga Maximilianum II. se declaravit: *Wir solten und wollen uns auch keiner Regierung / noch* administration

stration im Heiligen Römischen Reich weiter anders unterziehen/ dann so viel uns dessen von Kayserlicher Majestät vergönnet/ und zugelassen wird/ daß wir auch Ihrer Kayserl. Majest. die Zeit Ihres Lebens an Ihrer Hochheit und Würden des Kayserthumbs keine Zerung oder Eintrag thun sollen und wollen. *xc. cui autem absoluta Potestas, ad tempus tantum, vel ad certas res gerendas committitur, non Rex absolutus, sed Magistratus absolutus & Curator alieni Juris dicitur. Alterum ex literis Imperatoris Caroli V. de Anno 1556. ad S. Imperii Status perscriptis, hisce rursus formalibus: Volumus, ut (Ferdinandus) tanquam Rex Romanorum, per se absolutam, citrà nostram retractionem habeat potestatem faciendi &c. Ex quibus patere videtur, in Rege Romanorum, nec Majestatem supremam, nec potestatem absolutam inveniri, nisi precariam, quæ suprematui, qualis in Rege Galliarum, aliisque absolutis Regibus est, repugnat.*

20. In contrarium autem concluderunt plurimi DD. & rerum politicarum peritissimi viri. Et licet quæstio dicta Anno 1533. à Galliarum fautoribus ex improvise in Comitibus mota, aliquos primâ fronte perplexos reddiderit, expensa autem deinceps melius, & affirmativæ veritas per Viros cordatos, quales erant Goldastus, Besoldus, Antonius Queta, Limnæus, Crusius, &c. qui Majestatem Regi Romanorum omninò attribuerunt, propugnata; omnem dubitandi rationem sustulit, Regique Romanorum præcedentiam ante Regem Galliarum, omninò asseruit. Fundatur autem assertum hoc in *c. in nomine Domini 1. dist. 23.* ubi Nicolaus II. Pontifex dicit: Filius noster Henricus, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, DEO concedente, speratur, quin mortuo Imperatore, sine ullâ electione Rex Romanorum Imperator promovetur: ipsoque Jure Imperii Potestas, ac titulus ad ipsum transit. Unde deducitur inter Imperatorem & Regem Romanorum quoad

quoad honores & dignitatem nullam vel modicam esse differentiam, videlicet propter certitudinem à Jure approbatam de succedendo in Imperio. Quoties autem duo sic se habent, ut de uno ad aliud perveniatur, depositum de uno, censetur etiam depositum in alio. Ex tali quippè coherentiâ alter alterius assumit naturam, ut habet *glossa. in c. quando. x. de Judic.* Profectò in vitâ Cæsaris Regem Romanorum eligere, nihil aliud est, quàm Imperialem dignitatem & administrationem prorogare, ut dixit Rumelinus citatus ad Aur. Bullam. Prorogatio autem est ejusdem qualitatis adjectio. *l. sed si manente. 3. ff. de precar.* & intelligitur ejusdem formæ & naturæ. *c. hi, qui. 12. de præbend. lib. 6.* proinde (prosequitur Rumelinus) sicut Imperator, ita quoque Rex Romanorum, reliquis Regibus omnibus præponendus esse videtur. Nec enim potest dignitas Imperialis prorogata ejusdem esse qualitatis & naturæ, nisi Regalis talem habeat præminentiam, qualem habet Imperialis, quæ extendi debet cum suâ naturâ & qualitate, & consequenter cum suâ præminentia & honore.

21. Nihilominus hæc speciosa tantùm esse dicit Rumelinus, quæ Negativam non ita, ac defectus Majestatis, qui in Rege Romanorum reperitur, affirmativam enervant. Quid nobis? Problema esto: nisi per hoc affirmativa verior evadat: 1. quod Rex omnem, quam Imperator habet, eò quod electus Rex sit, habeat dignitatem & eminentiam, ut constat ex dictis, ergò etiam Majestatem. Secundò quod sit Rex electus, unctus, coronatus, adeoque æqualis omnibus Regibus; præferendus autem, ut Romanus, omnibus; sicuti Romana Ecclesia omnibus Ecclesiis, Urbs Romana omnibus Urbibus, Romanum Imperium omnibus Imperiis. Tertiò, ab Exemplo Franciæ: Ubi Delphinus proximus Regni Successor, omnibus præfertur Principibus etiam Sangvinis, & competit cum omnibus externis, licet nec Majestatem, nec potestatem ille habeat: Cur igitur proximus Imperatori, nempe

Rex Romanorum, præferri non deberet omnibus aliis Regibus, non solum ex identitate causæ, sed & quidem multò magis, ob præminentiam Unctionis & coronationis, quæ in Delphino non est; omnium autem maximè, ob actuale exercitium Majestatis, quod illi concedit Aurea Bulla, statim post electionem, confirmandi videlicet, omnia Jura & privilegia Statuum S. Imperii. Nemo, nisi temerè negat Regi Romanorum Majestatem, quâ illum aliàs compellant omnes Recessus Imperii, omnes ejusdem Status & Principes, omnes denique externæ coronæ: & honorandum ut Imperatorem innuit citatus *Canon in nomine Domini Clem. 1. de Jure J.* ipsique Electores in solennitatibus publicis pares honores Regi exhibent, ac Imperatori. Unde Regulæ, & Arcani loco sit: **Sola certitudo capeffendæ Majestatis, Regni vel dignitatis, præcedentiam inter pares tribuit.** Verùm Potentia debet esse proxima, quæ in actum deduci potest arbitrio nostro, sicque de præfenti radicata; non secùs. Hinc Successio in quocunque Principatu vel Statu sæculari ante impetratam investituram Cæsaream, præcedentiæ, & sessionis Jus obtinet, ut decisum fuit Ratisbonæ in Comitii Anno 1608. pro Duce Würtenbergico.

22. Alios adhuc præcedentiæ obices ex ipsâ S. Imperii Lege Regiâ, nimirum sic dictâ **Aurêâ Bullâ** resolvemus. Hanc verò **Carolus quartus** Imperator in solenni Curiâ Norimbergensi, assidentibus ipsi omnibus Principibus Electoribus, Ecclesiasticis & Sæcularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & civitatum multitudine numerosâ, in solio Majestatis Cæsareæ, Imperialibus infulis, insigniis & diademate coronatus, præviâ maturâ deliberatione, de Imperiali potestatis plenitudine condidit, & promulgandam publicè duxit; eo præsertim sine inductus, quemadmodum ex proœmio illius conjicere liceat,

ceat, ut delectandæ divisioni variisque periculis ex eâ sequentibus aditum præcluderet, unitatémque inter membra Sacri Imperii stabiliret. Hinc præfatus Imperator unicuique Electorum, non tantùm certum Sessionis capite tertio & quarto Bullæ, sed etiam processionis Ordinem, functionúmque methodum capite vigesimo primo, & secundo, distinctè præscripsit; ut hæc, id est, Aurea Bulla, cynosura esse deberet omnium præcedentiãrum, quæ in eâ expressè decisæ sunt: quia omnes Status se in eam obligarunt, & cum omnium Statuum Consilio, scitu, præsentia & approbatione, ut dictum est, illa condita fuerit, vimque Legis Regiæ acceperit.

23. Igitur circa Sessionem Ecclesiasticorum Electorum, Trevirensis, Colonienfis, & Moguntini Archiepiscoporum, ut inter eos omnium litium & suspicionum mala, quæ de præcedentiã seu dignitate Sessionum suarum in Curiis Imperialibus & Regalibus suboriri possent, deinceps amputarentur, ita determinavit Carolus IV. in præfatâ Bullâ Aureâ cap. 3. quatenus nimirum Elector Trevirensis ex opposito Versus Imperatoris faciem; Moguntinus verò in suâ Dioecesi & Provinciã, & extra Provinciam suam in toto suo Cancellariatû Germanico, provinciã Colonienfi duntaxat exceptã: & demum Colonienfis in suâ Dioecesi & provinciã & extra Provinciam suam in totâ Galliã & Italiã in dextro latere Romani Casaris confidere valeant, quod ipsum extenditur ad omnes actus publicos Imperiales, Judicia, investituras, convivia, consilia, & ubicunque eos cum Casare convenire continget. Post Electorem Ecclesiasticum à dextris sedentem Casaris, occupat Rex Bohemiæ, & Comes Palatinus Rheni dextrum latus Imperatoris, sinistrum verò post Electorem Ecclesiasticum, Saxo & Brandenburgicus. Postea vero, Electoralem locum & dignitatem Palatini degradati possedit Bavarus, at rursus ex pacificatione Monasterienfi, & secutâ Diatâ Ratisbonensi Octavus Electoratus publicæ tranquillitatis causã institutus, & in personam Caroli Ludovici Comitis Palatini Rheni col-

latus fuit, eâ conditione, ut si contigerit lineam Wilhelminam absque successore masculino deficere, superstite Palatinâ, rursus relaberetur Palatinatus superior cum Electorali dignitate, quæ apud Bavariæ Duces erat, ad superstites Palatinos extingvendo prorsus Electoratu octavo. Verùm hâc nostrâ ætate contrarium accidit, nam nec Wilhelmina Bavariæ linea defecit, sed potius Palatina; nec extinctus est Octavus Electoratus, sed in Neoburgicum collatus; imò Nonus accessit, contradicentibus quibusdam Principibus, quibus autem Autoritas Cæsaris Leopoldi prævaluit, collato in Principem Hanoveranum nono Electoratu. Sic crescunt honores potius, quàm deficiente Mundo deficiunt.

24. Porrò experienciâ compertum est, Imperatorem, vel Regem Romanorum interdum cum Insignibus Imperialibus vel Regalibus, aliquando verò absque iis, tempore, quo Imperialis Curia celebratur, in publicum prodissit. Priori casu, præcipit Aurea Bulla c. 21. ut Archiepiscopus Trevirensis in directâ diametrali lineâ ante Imperatorem vel Regem Romanorum procedat, non quidem immediatè, sed illis mediis, qui Imperialia vel Regalia insignia deportant, qualis est Dux Saxonie Imperialem vel Regalem Ensem præferens, & ab hujus latere dextro Comes Palatinus (modò Bavariæ Dux) Pomum Imperiale gestans, à sinistro verò latere Marchio Brandenburgicus sceptrum deferens; Rex autem Bohemie Imperatorem vel Regem immediatè sequitur. Dum autem Imperator vel Rex absque Insigniis prodit, extunc idem Archiepiscopus Imperatorem vel Regem præfato modo præcedit, ut inter illum & hos nemo medius habeatur. Aliis duobus Electoribus Ecclesiasticis latera Cæsaris vel Regis, juxta normam superius declaratæ Sessionis, stipantibus.

25. Electorum primarius locus debetur Moguntino Archiepiscopo per Germaniam Archi-Cancellario, ac totius Electoralis Collegii Decano, qui etiam reliquos ad Conventus eorum vocandi Jus habet, quémve Ordine consequuntur Tre-
virensis

virensis Archiepiscopus, ac per Galliam & Regnum Arelaten-
 se Archi-Cancellarius; & Colonienfis idem Archiepiscopus,
 ac per Italiam Cancellarius. Ecclesiastici lectores stant
 ante mensam Cæsaris cum cœteris Prælatiis, & benedicunt
 eandem. Benedictione completâ iidem Electores Archi-
 episcopi omnes, si adsint, alioquin duo vel unus, sigilla &
 Typaria Imperialia sive Regalia gestant. Rex Bohemiæ quar-
 tum locum, & inter sæculares Electores primùm obtinet, est-
 que Archipincerna S. Imperii, primum potum Imperatori of-
 fert, qui tamen sub coronâ regali, nisi liberâ voluntate volu-
 erit, non tenetur. Quinto loco potiebatur Palatinus qui-
 dem Rheni, sed modò Dux Baviariæ, hunc locum obtinet, est-
 que S. Imperii Archi-Dapifer, ac in solemnî Imperatoris Cur-
 riæ celebratione quatuor scutellas argenteas cibus repletas in
 mensam Cæsaris reponit: ac in solenni processu Imperato-
 ris, pomum aureum præfert: Palatinus autem ultimum inter
 Electores locum, post redintegrationem factam, sortitur. Sex-
 tum locum habet Elector Saxonie, ut Archi-Mareschalchus
 S. Imperii. Is primam avenæ mensuram præbet, & in processu
 Imperiali publico, strictum gladium Imperatori præfert. Septi-
 mus locus est Marchionis Brandenburgici S. Imperii Archi-
 Camerarii, qui aquam Imperatoris vel Regis manibus lavan-
 dis subministrat, & in processu Imperatoris solemnî sceptrum
 Imperiale gestat. Ab his sequuntur cœteri Electores, si plures
 fuerint & Comes Palatinus, Dux Hanoveranus &c. Plures autem
 esse possunt, si Imperator, si Electores, si Imperii Proceres in
 pluralitatem consentiant, uti consenserunt Anno 1654. ubi
 Carolum Ludovicum Palatinum Rheni in Comitibus Ratisbo-
 nensibus, contra tenorem Aureæ Bullæ, Octavi Electoris ho-
 nore condecorârunt. Cum nemo sibi legem dicere possit,
 à quâ non liceat illi resilire, maximè ubi tranquillitas publica
 id exigit, aut finis universalis Reipublicæ derogationem parti-
 cularem syadet. Quis in posterum ordo servabitur degrada-

to Bavarò & in Palatinam seu Neoburgicam collatâ superiori & Electorali Bavaricâ tempus docebit.

26. Peractis functionibus, ipsimet quoque Electores ad suam quisque mensam soli confident, & Regio quoque prandio excipiuntur, si tamen Electorem aliquem abesse contigerit, Legatus ipsius, cujuscunque etiam sit dignitatis, vel Status, ad mensam absentis non admittitur. Quemadmodum etiam Electorum vices gerant Vicarii sive substituti tantum eorum, non Legati. Ita in electione Caroli V. pro Pincernâ fuit decisum, non pro Legato, ut testatur Hartmannus in descriptione Electionis. Ita fuit observatum Anno 1612. in electione Matthiæ, ubi Comes de *Hohen-Zollern* / non verò Electoris Brandenburgici Legatus Sub-Camerarii officium sustinuit. E Vicariis Vice-Pincerna auditur Comes de Limburg: Vice-Dapifer Comes de Walpurg: Vice-Mareschallus Comes de Pappenheim, Vice-Camerarius Comes de *Hohen-Zollern*.

27. Tota autem Curia Imperatoris dividitur in tres officiorum classes, nimirum in Electoralia sive Archiofficia, de quibus jam aliquid meminimus: deinde in Hereditaria, id est, certis familiis in perpetuum collata, ut supplicant Archiofficia absentium: Tandem in officia Aulæ, quibus quotidie utitur Cæsar pro libitu loci, temporis & personæ sub pari nomine officiorum, omisso solum ly *Archi*, & addito ly *Supremus*. Exempli gratiâ in Aulâ Cæsaris non dicitur Archi-Mareschalchus, sed supremus Aulæ Mareschalchus. Divisio ista officiorum fundatur in Aureâ Bullâ, ut paulò post constabit. Circa præcedentiam primorum seu Archiofficiarum, jam supra declaratum est ex constitutione Aureæ Bullæ. Secundi generis officia, sive dicta Hereditaria frequenter competunt cum postremis quotidianis sive Aulicis. Volunt siquidem isti supplere quandòque absentium Archiofficialium munia, licet hereditarii præsentis sint, eorumque regalia usurpare, ut multoties contigit. At verò constat ex

Aureâ Bulla *cunctis Curiaë officii præſſe Electores*. Ne igitur horum abſentia perſonalis, impediret muniorum functiones; Sapientiſſimè excogitavit Aurea Bulla eorum ſubſtitutos; eò quod etiam antea à Romanis Principibus ad hoc dati & dotati fuerint, qui non ſolum vice Electorum, muniis fungerentur, ſed etiam certa Regalia indè perciperent. Ita enim habet Aurea Bulla c. 27. Statuimus, ut peractis per Principes Electores ſæculares eorum officiis, ille de Falkenſtein Sub-Camerarius equum & pelvim Marchionis Brandenburgici pro ſe recipiat. Magiſter Coquinae de Nortenberg equum & ſcutellas Comitum Palatini. Vice-Pincerna de Limpurg equum & Scyphum Regis Bohemiæ. Vice-Mareſchallus de Pappenheim equum, baculum & menſuram Ducis Saxonie; & quidem ex præſcripto legis, ponderis duodecim Marcharum, cujus etiam eſſe debet argentea pelvis, quatuor ſcutellæ argenteæ, & Scyphus Pocillatoris argenteus. Si tamen, proſequitur Bulla, ipſi, id eſt ſubſtituti hæreditarii, in tali Imperiali ſeu Regali curiâ, præſentes exiſtant, & eorum quilibet in officio miniſtret. Si verò ipſi, vel eorum aliqui, à præfatâ Curiaë ſe duxerint abſentandos, extunc Imperialis vel Regalis Curiaë quotidiani Miniſtri, vice abſentium, putà quilibet in loco ejus abſentis, cui in vocabulo ſeu officio communicat, ſicut geret officium, ſic tollat & fructum. Eadem ratione proſpexit Aurea Bulla in receptione feudorum, ubi omnes Principes Imperii ſæculares & Eccleſiaſtici (exceptis Electoribus, qui nihil pendunt, ſed plenè exempti ſunt) quando in feuda ab Imperatore inveſtiuntur, ſexaginta tres Marchas Magiſtro Curiaë Imperialis vel Regalis pendere tenentur. De quibus decem Marchas ſibi, alias decem Cancellario, Magiſtris, Notariis, Dictatoribus tres, &c. Item dabit Magiſter Curiaë Pincernæ de Limpurg de præfatâ pecuniâ decem Marchas, Magiſtro Coquinae de Nortenberg decem Marchas, Vice-Mareſchallo de Pappenheim decem Marchas & Camerario de Falkenſtein decem Marchas, tali tamen conditione; ſi ipſi, &

eorum quilibet, in hujusmodi Curiis solemnibus praesentialiter adsunt, in suis officiis ministrando. Si verò ipsi vel aliqui eorum absentes fuerint, extunc Officiales Imperialis & Regalis Curiae, qui talibus praesunt officiis, eorum, quorum suppleant absentiam, singuli singulorum, sicut vicem, noménque & laborem sufferunt, sic lucrum & commoda reportabunt.

28. Nihilominus, licet tam clarè providerit Aurea Bulla ejusmodi praecedentiis, & formam solemnem, planèque immutabilem cum clausulâ annullatoriâ, *ut secus viribus non subsistant*, cap. 20. constituerit, res tamen in apertum dissidium inter Hæreditarios Officiales & quotidianos Aulicos Anno 1565. tam in exequiis Ferdinandi primi, quàm in Holsaticâ investiturâ, pluribusque deinceps erupit. Hæreditarii officiales fundatam sui Juris intentionem primò ex provisione clarâ Auræ Bullæ. Secundò ex vi dignitatis, quæ certis familiis adhæret perpetuæ & hæreditariæ. Tertiò, quod ejusmodi hæreditarii Vicariatus censeantur, ipsis Electoribus, quos illi repræsentant, incorporati, adstruebant. E contra Aulici Officiales, primò possessorium, & tot actus frequentatos ante & post contradictionem: Secundò ipsam Auream Bullam, quæ solum in casu Comitiorum loquitur, vel ubi Principes in personâ, non horum loco Ministri & Commissarii: nec in Comitibus, aut solemnibus Curiis, sed inter privatos parietes investuntur, allegant: adeoque sibi tanquam domesticis Cæsaris non solum functionem hanc, quæ eâ ratione, ut Bulla exprimit, non solemnizatur, sed etiam Regalia deberi pro viribus contendunt. Et, ni fallimur, eviderunt posteriores.

29. Extat recentius non quidem limitativum, sed declarativum conclusum Electorale super Auræ Bullâ de Anno 1653. ubi ipsi Electores circa praecedentiam & Sessionem inter se amicè contulerunt in sequentem modum: Primò quando Electores omnes praesentes sunt, & nulla latera faciunt, sed in unâ serie sedent, ut fit in Conclavi Electionis: hoc casu
primus

primus est Moguntinus, in secundo loco alternant Trevirensis & Colonienfis; Tertio loco Bavarus, quarto Dux Saxonia, quinto Brandenburgicus, sexto Palatinus: aliàs si Bohemix Rex adest, tunc primum post Ecclesiasticos Electores & ante omnes sæculares locum obtinet. Idem Ordo servatur inter Legatos, non præsentibus Electoribus. Ubi verò Electores latera faciunt, ut Aurea Bulla exprimit, sive sit Cæsar præsens, sive ejus Principalis Commissarius, tunc Trevirensis è diametro sedet Cæsaris, ut dictum est, ad dextram Moguntinus, Bavarus, si Bohemus non adest, & Brandenburgicus, ad sinistram Colonienfis, Saxo & Palatinus. Non præsentem autem Cæsarem vel ejus Commissario, eadem latera & ordo manent; nisi quod in sinistro latere alternent Colonienfis & Trevirensis, quod si verò interveniret Bohemus, tunc fortiretur Sessio inter Moguntinum & Bavarum. Hæc verò procedunt solum inter Electores solos præsentem, vel etiam inter Legatos eorum solos præsentem. Totum edocet figura præsens.

Brand. Bav. Mog. Imp. Col. Sax. Palat.
Trevir.

Quod si verò Electores omnes in personam non comparerent, sed partim eorum Legati intervererent, conclusum est, ut latera quidem eadem maneat, in quo tamen latere comparuerit Legatus, ibi præsentem Electores præcedant hunc, sit ille cujuscunque dignitatis, vel Status. Si autem juxta latera non, secundum Seriem sedeant, tunc postremi post Electores sedebunt Legati.

30. Secundò: Dantur Casus, ubi Electores nec in continuam ferie, nec per latera Sessiones capiunt, ut fit procedendo in Ecclesiam, vel equitando ad Curiam, vel ad aliam magnam solennitatem proficiscendo. In ejusmodi casibus conclusum fuit, ut, quando insignia Imperii præferuntur, & Electores omnes præsentem sunt, Trevirensis primus agmen ducat,

tum sequantur insignia, nempe Saxo medius cum Ense, latus dextrum cum pomo, & sinistrum cum sceptro stipante Bavaro & Brandenburgico: postque hos compareat Majestas Imperatoria inter duos Archiepiscopos Electores Moguntinum & Coloniensem: Imperatorem autem sequatur Bohemiæ Rex, ut figura habet:

Trevirensis
 Brandenburg. Saxo. Bavar.
 Colon. Imper. Mogunt.
 Rex Bohemiæ.

Ordinem hunc nonnihil mutavit Octavus Electoratus, decimumque est, ut præcedente Trevirensi solo, cum sequatur Bavarus cum pomo, medius inter Electorem Brandenburgicum cum Sceptro à dextris & Comitem Palatinum à sinistris. Post hos solus Saxo cum Ense, tum Imperator medius, inter duos Electores Ecclesiasticos; tandem Bohemiæ Rex. Figuram conspice:

Trevirensis
 Palatinus. Bavarus. Brandenburgicus.
 Saxo.
 Colon. Imper. Mogunt.
 Rex Bohemiæ.

31. Tertiò, si autem non præferantur omnia insignia Imperatori, sed solus Ensis, ut sæpè contingit, tunc processus fuit, ut hæc figura indicat:

Palatinus. Bavarus. Brandenburgicus.
 Trevirensis.
 Saxo cum Ense.
 Coloniensis, Imperator, Moguntinus,
 Rex Bohemiæ.

Ubi verò nulla insignia præferuntur, edocet processum hæc-
ce figura :

Palatinus. Brandenburgicus,

Saxo. Bavarus.

Trevirensis.

Colonien. Imperator. Moguntin.

Rex Bohemiæ.

32. Quartò: Quid si non omnes Electores compareant,
sed partim absentium Legati? tunc conclusum est, ut Legati
non prætendant loca suorum Principum, sed Electoribus præ-
sentibus honoratiora illis cedant, ut in figurâ videre est:

Legatus. Legatus.

Legatus. Elector præsens.

Trevirensis

Colon. Imperator. Mogunt.

Bohemiæ Rex.

Hic Ordo & methodus etiamnum durat, mutandus forè ac-
cedente nono Electoratu & degradato Bavaro, quod tempus
dabit. Jam verò adhuc ulterius præcedentiarum Jura dis-
quiramus.

33. Primò Jus præcedentiæ est partim personale, partim
reale: personale non est perpetuum, sed transit cum personâ:
Reale est perpetuum, & constanter immanet rei. Persona-
le personæ tantum dignitati, præ minus digna, locum & ses-
sionem digniorem tribuit. Reale verò à primo acquirente
vi receptionis in aliquod Regnum aut Provinciam, ut in Im-
perio, in matriculam: vel assumptionis ad scamnum aliquod
in publicis Comitibus, in Successores transmittitur, sicque suf-
ficit Antecessores immatriculatos & assumptos. Sic in Impe-
rio Ecclesiasticis dignitatibus, Episcopatibus & Prælaturis, li-
cet hæc per electionem tantum illis obveniant, Jus Status &
consequenter præcedentiæ adhæret. Sæcularibus autem non
ex electione, sed ex pacto devolvitur Jus Status & Præceden-

tia; providentiâ nimirum primi acquirentis & Successionis hæreditariæ, etiamsi etiam Status dividatur, nisi intercedat Jus primogenituræ.

34. Secundò omnes Immediati præcedunt omnes Mediatos, quia illi immediate vel tantum Imperatori, vel nemini, vel saltem in suo territorio nulli subjecti sunt; mediati autem omnes sunt subjecti Immediatis, & sæpè etiam mediatis, adeoque inferiores illis dignitate & præcedentiâ. Maximilianus I. Imp. divisit Sacrum Imperium Augustæ Anno 1500. in sex Circulos hæc præcedentiæ serie. Videlicet in Francicum, Bavaricum, Svecicum, Westphalicum, Belgicum, Saxonicum, Quibus Nepos præfati Cæsaris, Carolus V. adjunxit alios quatuor: Austriacum, Burgundicum, Electoralem Rhenanum & superiorem Saxonicum. In istis circulis sunt septem classes Statuum, qui hoc ordine Sessionem occupant: Prima est Electorum, secunda Archiepiscoporum, tertia Episcoporum, quarta Principum, quinta Prælatorum, sexta Comitum & Baronum, septima liberarum Imperii Civitatum.

35. Electoralis dignitas Regali, & Electores Regibus æquiparantur: non quidem quod verè Reges sint, sed iisdem dignitate pares. Ideò illi Regibus non titulum Majestatis, sed charitatis tribuunt, non obstante, quod Gustavus Adolphus Sveciæ Rex eâ de re acrem Epistolam Anno 1630. Electoribus scripserit. Imò in Comitibus & actibus ad Curiam & Imperium spectantibus præferuntur non solum omnibus Principibus, sed etiam Regibus. Ideò nec Angliæ Legatus, nec Nuntius Apostolicus coronationi Caroli V. Imperatoris interesse volebant, quibus palàm constabat, eos post Electores demùm locum obtinere. *Hartm. Maur. de coron. Caroli V. Anno 1471.* Legati Ducis Burgundiæ (qui sex Ducatum, & quindecim Comitatum aliarumque ditionum plurium, se Dominum esse gloriabatur) præ Electoribus locum prætendebant; Ast hi constanter asseverabant, se, è corpore Cæsaris cum sint, ne Regibus quidem, si qui adessent, cedere oportere.

tere. An autem in aliis Principum Christianorum Conventibus extra Imperium institutis Electores reliquis omnibus Principibus, veluti Archi-Ducibus Austriae, Magnis Ducibus Florentiae, aliisque absolutis suorum Statuum Principibus praeferendi sint? Problema est inter DD. negat Decius cum plurimis, & affirmat Arumæus cum non paucis. Nos existimamus standum Aureae Bullae, quae capite 6. ita habet. Decernimus, ut in celebratione Imperialis Curiae Principes Electores Ecclesiastici & saeculares immutabiliter teneant loca sua, eisque, vel eorum alicui in quibuscunque actibus ad Curiam spectantibus cundo, sedendo, vel stando, nullus Princeps alius, cujuscunque Status existat, ullatenus praeferatur: Eo signanter expresso, quod nominatim Rex Bohemiae in celebratione Curiarum hujusmodi, quemcunque Regem alium, quacunque dignitatis praerogativa fulgentem, quem quovis casu, seu causa venire, vel adesse forte contigerit, immutabiliter antecedit. Verba sunt expressa Caroli IV. in Aurea Bulla, quae si recte expendantur, vero verius patebit, ea duntaxat ad celebrationem Curiae Imperialis, & ad actus eò spectantes extendi; non ad alios actus ad Curiam Imperialem non pertinentes, quibus aliquando praeter Principes Imperii, etiam alios interesse contingit: Actus enim Curiae sunt de eorum functione & officio, quos nemo alius, praeter illos, exercere potest: non verò alii actus adiaphori & extra Curiam, ubi competentiae locus est. Nec etiam prudenter opinandum est, Carolum quartum, utpotè Authorem legis, hanc praerogativam frustra restrinxisse ad actus Curiales. Quomodo enim potuisset Electoribus hanc praerogativam indistinctè quoad omnes actus, & omnes Principes, quorum plurimi ipsum pro Superiore non agnovère, concessisse? Constat quoque ex eo, quod signanter de Rege Bohemiae exprimit, inquit: *In omnibus & singulis actibus antedictis, id est, Curialibus, quemcunque alium Regem antecedit.* De Curia enim poterat Imperator sancire tanquam de officio cujusque Electoris, non

autem de aliis actibus, ubi respectu aliorum Regum nequibat extra sphaeram suæ potestatis quidpiam præscribere. Concessum in uno specialiter, nequit extendi ad omnia generaliter. Exindè indubitatum fatemur, Electores in actibus ad Curiam Imperialem pertinentibus, reliquis omnibus Principibus, præferendos: nec credibile esse, alios Principes cum illis competere velle, ubi res illorum officii agitur, adeò, ut *Sixtinus de Regal. lib. 1. c. 4.* & *Reinking de Regim. Eccles. & sæcul. lib. 1. clas. 4. c. 3.* asseverantibus, etiam Imperatrici & Augustæ eâ in re præferantur, non autem in aliis actibus licet in Curiam modò extra functionem versantibus.

36. Unde distinctiùs verba Bullæ expendi, notarique debent, *aliud esse in Curiam versari, aliud functiones curiales exercere.* Non enim semper exercemus functiones curiales, & tamen versari possumus in Curiam. Igitur quoad functiones curiales omninò sunt omnibus Principibus præponendi Electores, quia illorum interest eas peragere; non tamen Regibus extra functiones, licet in Curiam versentur; sicut nec omnibus Principibus extra Curiam. Primi ratio est, quod Aurea Bulla, ubi c. 6. loquitur de Electorum prærogativâ in Curiam, nihil Regum meminerit, sed solummodò dixerit: *Nullus alius Princeps illis præferatur.* Secundi ratio est: quia Lex se non extendit extra Curiam, sed intra, & quidem ad actus Curiales: Ergo extra Curiam, & extra actus, functionesque Curiae, non præponendi, nisi in quantum Character dignitatis Electoralis, qui verè post Reges maximus, vel nullo inferior est, secum fert. Quodcunque enim privilegium, quod est restrictum ad locum, vel tempus, extra ea extendi non censemus: ita præcedentia Electorum à lege determinata ad actus & functiones Curiae, non intelligi, nec torqueri debet ad quoscunque actus extra Curiam. Verùm rem tantam decidere nec nostrum, nec facile est: Interea constat ex Thuano hist. lib. 8. in Concilio Tridentino post Legatos Pontificis præcipitum

cipuum dignitatis locum obtinuisse Legatos Electorum, quos verisimile est, totius Imperii nomine eo venisse.

37. Jam ad particulares controversias Præcedentiarum descendamus & quidem ab Ecclesiasticis Principibus tanquam dignioribus, ordiamur. Elector Moguntinus quasi semper digniorem locum obtinet, in omni congressu, processu præ cæteris Electoribus, ut jam dictum est. Gravem attamen controversiam illi movit Antistes Coloniensis Comitiis Ratisbonensibus in coronatione Ferdinandi IV. Anno 1653. cui nimirum Jus coronandi Neo-Regem Romanorum competere, si coronatio non Aquisgrani, sed extra Diocesim Coloniensem institueretur? Aurea Bulla c. 4. clarè decidit pro Coloniensi, eique tribuit expressis verbis dignitatem hanc & officium primum, diadema Regium, Regi Romanorum imponendi, quemadmodum concedit Moguntino facultatem convocandi ad conclave cæteros Electores, vel Trevirensi primo loco suffragandi, vel Bavaro primum, vel Saxoni Ensem, vel Brandenburgico Sceptrum præferendi. Si in uno Carolus quartus rectè sanxit, cur in altero perperam? Hocve Jus practica vit Coloniensis trecentis ante conditam Bullam Annis, nimirum Anno 1039. in coronatione Henrici III. ut testatur in historiâ Hirschfeldensis, qui eo tempore vixit.

38. Ab adverso Moguntinus sibi vendicabat hoc Jus ex eo, quod sit in possessione coronationis fungendæ, sibi que veluti Archi-Cancellario Germaniæ competat illa. Hirschfeldensem non favere adversario, sed sibi. Ait enim ille: Imperatoris filius coronatus est in Regem Aquisgrani ab Hermannò Coloniensi, vix & agrè super hoc impetrato consensû Ludolphi Archiepiscopi, ad quem propter Primatum Moguntinæ Sedis, consecratio Regis, & cætera negotiorum Regni dispositio potissimum pertinebat. Hæc ille. Verùm respondebat Coloniensis: Hæc fortè non ex fide scripsisse Authorem; vel si scripsisset, legem intercedere Regni fundamentalem, quæ contrarium disposuit ex consensu omnium

Ordinum Imperii, multa antiquata esse legibus, multa abolita. Deindè nullam possessionem esse ejus, quod alterius nomine factum est: quoties enim Moguntinus coronavit Regem, toties nomine Coloniensis factum, suppletumque fuit, quod is vel absens fuerit, vel non in Sacris, ideòque ad functionem inhabilis. Potissimi Publicistæ attribuunt hoc Jus Coloniensi ex clarissimo textu Bullæ, sed Moguntinus firmat se possessione, quæ in Jure præcedentiarum quamplurimum operatur. Intereà verum est, si contingat Archiepiscopum Coloniensem, ut sæpè factum, nondum infulis vel pallio provisum, haud ipsum, hanc coronationem, perficiendi Jus habere, sed ad Moguntinum id officium spectare, cooperantibus Coloniensi & Trevirensi: ut in coronatione Maximiliani II. Rudolphi II. & Matthiæ I. observatum fuisse testatur Gerlaccus Buxtorffius. E contra Lymnæus de lege publicâ lib. 2. c. 4. tradit: non tantum Aquisgrani, & in suâ Dioecesi, verum etiam in aliis Imperii Urbibus, ubicunque coronatio peragenda est, Jus hoc Coloniensi competere: etiam cis Alpes, ut alii ampliant. Idem Lymnæus concedit isti libertatem & optionem, si coronatio Regis ex aliquo capite impediatur Aquisgrani, præfigendi alium locum in suâ Provinciâ, ut in coronatione Friderici III. practicum est, qui non Aquisgrani, sed Bonnæ, coronatus fuit.

39. Trevirensis & Coloniensis competeabant aliquando de primo suffragio, nunc alternant, excepto actu Electionis, ubi ex dispositione legis primum votum competit Trevirensi, secundum Coloniensi, & sic deinceps, ultimum & conclusivum Moguntino, cujus est suffragia colligere & secundum hæc Electionem concludere. Bohemus olim in Septemviratu medius communiter inter paria definiebat. Competebat quoque Moguntinus cum Coloniensi, eò, quod iste prætenderet dextrum latus Cæsaris in suâ dioecesi, cum tamen hæc sit in illius Archi-Cancellariatu Germaniæ. Verùm soluta est controversia per Auream Bullam c. 3. & c. duo. 23.

q. 4. Quilibet enim putatur esse Rex in domo suâ, & major minori, Episcopus Episcopo præstare debet in suâ diocesi reverentiam, licet major sit isto, quæ autem Ratio universaliter non subsistat. Similiter Trevirensis Jure competiisse videbatur cum Coloniensi de dextro Cæsaris latere occupando in Galliâ & in Regno Arelatensi, ubi ille est Archi-Cancellarius, non iste. Verum Arumæus ad Auream Bullam existimat Trevirenses cessisse Coloniensi eâ conditione, ut ille indisputabiliter fixam semper habeat Sessionem ubique Cæsari diametraliter oppositam, quam alii duo Collegæ interdum alternare, & sæpè controvertere debent.

40. Acerrimum quoque litigium inter Coloniensem Archiepiscopum & Abbatem Fuldensem referunt Crusius libro II. *Annal. SVEV. parte 2. c. 14.* & Besoldus *de præcedent. 5. Sess. fol. 137.* Cum Henricus VI. Friderici I. filius Rex Romanorum Moguntia Anno 1148. designaretur, ipso die processionis, cum in Ecclesia sederet Imperator, à dextris habens Archiepiscopum Moguntinum, & à sinistris Coloniensem, Abbas Fuldensis turbavit tam celebrem cœtum, locum sibi deposcens, ex sinistro latere Imperatoris, quem Coloniensis occupârat, hic verò Abbati cedere inglorium duxit: Imperator autem interpellatus respondit: *Veteres approbamus, at tenemus Imperii nostri consuetudines, quocircâ major an minor, æquo nobis discrimine est.* Surrexit Archiepiscopus: *Quando, inquit, Serenissima Majestas, ita se voluntas vestra præbet, cedo Abbati Archiepiscopus, Monacho Princeps Elector.* Simul alii Principes abeuntem secuti. At habebat etiam Abbas suos defensores. Spectabat res ad magnum tumultum, etiam in Ecclesiâ sanguinem fundendo. Tot vacuatis sedibus turbatus Neo-Rex Henricus I. in collum se appendit Archiepiscopi, quàm sanctè rogans, ne festum diem à mœrore auspicaretur. Vix, & non aliter retentus fuit Coloniensis, quàm ut sedilia in pristinum reponerentur locum, addens memorabile hoc: *Si nostram Abbas turba verit sedem, ascen-*
dat

dat in Cœlum, ponat suam in Aquilonem, & similis Altissimo fiat. Quod Fuldenfis verò eum locum occupare tentarit se rectè egisse, quâ Augustæ, quæ Imperatoris radiis coruscet, Cancellarium arbitrabatur; sed ineptè. Non enim tunc verfabatur in functione Augustæ, sed Augusti erat festum & Curia, in quâ cum solemniter Henricus VI. inauguraretur in Regem Romanorum, Coloniensi competeat locus ex antiquo more, tunc enim nondum extabat Aurea Bulla, quæ ex post illi attribuit finistrum latus Cesaris, ac planè etiam dextrum, in suâ diœcesi, sicut & in Italiâ & Galliâ. Multi quoque putant, Coloniensi, non modò in Archiepiscopatu, sed & Episcopatibus, quibus præfider, hanc prærogativam competere: sed cum textus Aureæ Bullæ expressè restringat ad Archiepiscopatum, standum est textui. Maximè Juri consentaneam censet Rumelinus in *dissert. ad A. B.* eorum opinionem, qui hanc de præminentia litem, nec ex Familiarum antiquitate, nec ex Potentiæ ac divitiarum amplitudine, neque titulorum longâ serie, nec Nobiliorum Insignium usurpatione, sed ex veteri observantiâ, Possessionisque actibus & usu dirimendam ac definiendam esse arbitrantur; quibus nos etiam subscribimus, nisi expressè contrarium edoceat Aurea Bulla, tali quippè casu non videretur possessio, sed usurpatio.

41. Hæc de Electoribus Ecclesiasticis, digredimur ad sæculares; inter quos primus est Bohemiæ Rex, Præcedentiâ, Sessione & Voto: atque in actibus ad Curiam Imperialem spectantibus nulli cedit Regi, nec ipsi Imperatrici, *ut passim DD. & Aur. Bul.* Verum quidem est, ad coronationem Maximiliani I. vocatum non fuisse Regem Bohemiæ Uladislauum propter Fridericum Imperatorem, qui tunc cum illo dissidebat: Sed res propterea in apertum bellum exibat, nisi transcriptum & publicè deinceps cautum fuisset. Nec diffitemur etiam aliquoties postea non vocatos fuisse; sed tunc erant vel Rebelles Imperio, vel Schismatici. Regnum Bohemiæ pars est Germaniæ, & S. Imperii Electoratus, adeò, ut Rex Bohemiæ

Bohemiæ & Archi-Pincerna Imperii sint ita conjuncta, ut separari invicem nequeant, ut docet Reinking *de Reg. secul. classe 4. c. 7.* Est quoque Imperii feudum, ut constat ex investiturâ Ottocari factâ à Rudolpho I. & aliis Recessibus, præsertim Friderici III. sub quo neglecta fuit petitio Investituræ, sed graviter perstricta ab Imperatore. Multis tamen Rex Bohemiæ non est Status Imperii, ideóque ad solum conclave eligendi Regis Romanorum, non ad alios Electorales conventus vocandum esse censent. Et licet hoc illi Bulla Aurea concedat, sicut & omnibus aliis Electoribus, verumtamen per contrariam observantiam aliud esse introductum palàm est: Quod ideò factum conjecturant aliqui, quia plerumque Reges Bohemiæ sunt etiam Imperatores Romanorum: Verùm hâc ratione nobis non satisfacit, quia casus possibilis est, ut non sit. In comperto quippè est, Ferdinandum Primum fuisse Regem Bohemiæ, & hujus Fratrem Carolum V. Imperatorem. Igitur totum est in antiquam observantiam refundendum. Extant enim innumeri Recessus Imperii, & nullibi subscriptum vidimus Regem Bohemiæ. Id in Electorali Collegio Anno 1611. Norimbergæ negativè decisum est; nisi incidenter in tali Conventu Electorali, de Electione Regis Rom. agatur; tali casu Rex Bohemiæ omninò adesse debet. Sanè generaliter longè latèque & quasi per totum Orbem manifestum est, Regem Bohemiæ, nec non Comitem Palatinum Rheni vel hujus loco Bavariæ modò Ducem, Ducem Saxoniam, & Marchionem Brandeburgicum, *Virtute Regni & Principatuum suorum*, in electione Regis Romanorum, in Cæsarem promovendi, cum cæteris Principibus Ecclesiasticis Jus, vocem, & locum habere, & unâ cum ipsis censerî, & veros esse ac legitimos Sacri Imperii Principes Electores. Id constat multorum sæculorum usû, Auræ Bullæ præscripto, & tot inauguratorum Regum Romanorum habitâ & exercitatâ possessione. Quod verò ad alios Electorales Conventus, ubi non agitur vel de eligendo, aut deponendo Cæsare, non vocetur, & quod Cardinalis

dinalis Clefelius à Matthiâ Rege Bohemiæ ad Conventum Electoralem Norimbergensem ablegatus, locum non obtinuerit, reliquis Electoribus contrariam observantiam proximique allegantibus, nihil planè refert, quin Rex Bohemiæ dicatur verus Elector, cum primarium munus Electorum sit eligere Regem inaugurandum in Cæsarem; Reliqui Electorum conventus, si fiant, fiunt quâ à Statibus & Ordinibus Imperii. Ideò Lymnæus *in Prolog. ad capitul. Caroli V. sect. 4. n. 3.* nullas partes concedendas tradit Regi Bohemiæ in concipiendâ, vel Electo Rom. Regi, præscribendâ capitulatione: à fortiori neque in aliis, quæ multò minùs Electionem Regis contingunt.

42. Palatinus Rheni consequabatur Regem Bohemiæ, nunc verò Dux Bavariæ: Et erat Vicarius S. R. Imperii non solùm vi Aureæ Bullæ, verùm etiam ex constitutione Ludovici IV. Imperatoris de Anno 1339. in Comitibus Francofurtensibus, longè prius quàm exstabat Aurea Bulla. Privilegium illius recitat Goldastus *in constit. Imp. tom. 3. de Anno 1339.* longâ & approbatâ consuetudine inconcussè à majorum ordinatione hætenus observatâ, vacante Imperio, Jus administrandi Imperii, jura, feuda conferendi & negotia cætera disponendi Palatino Rheni debetur, de quo dubium nullum est. Sed erat tamen controversia inter domum Palatinam & Bavariam; an illa hoc Jure fruatur ratione Comitatus Palatinatus, an verò ratione Ducatus Bavariæ? Pluribus tamen visum ratione Palatinatus, quod ipsùm nomen indicat; quid enim Palatinus est, quàm Præfectus Palatii, & cui magis competit Vicariatus quàm Præfecto; cum ex historiâ constet, Palatinos, sive Majores, sive Præfectos palatii vicariam aliunde habuisse potestatem apud veteres Francos, & ubi de Palatinis Comitibus historiæ eorum temporum scribunt, nunquam eos Bavariæ Duces compellent. Vicariatum autem hunc exercet in partibus Rheni Sveviæ & Franconia, earumque Provinciarum, quæ Jure Franconico olim utebantur: Constat siquidem Teuto-

Teutonicum Imperium quasi universum partim Franconico, partim Saxonico Jure usum fuisse.

43. Porrò adhuc aliã prærogativã, ad jactantiam usque, gloriatur Palatinus Rheni : se nimirum esse **Judicem Cæsaris** : & adulatione planè quorundam, vel livore erga Austriacos Cæsares, absolutè, in causis omnibus non solum civilibus, sed etiam criminalibus; in causis, inquam, malè administrati Imperii, degradationis &c. ut pudeat planè calamum, Authorum (aliàs tam insignium) nomina referre, qui tam protervè ausi sunt, **Primæ in Mundo Potestati** insultare, eamque planè subdito Principi tam despoticè subjicere, Imò supra ipsam legem fundamentalem Sacri Imperii, quidpiam, tam ab omni ratione absorum statuere. Stemus igitur Aureæ Bullæ : quid illa dicit? nil præter hoc; quàm quod *Imperator vel Rex Romanorum, super causis, pro quibus impetitus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur coram Comite Palatino Rheni respondere: Illud tamen judicium Comes ipse Palatinus Rheni non alibi* (Ergo non in Comitibus, nec Conventibus Electoralibus, ubi agitur de depositione & de malè administrato Imperio) *præterquam in Imperiali Curia, ubi Imperator & Rex Romanorum præsens extiterit, poterit exercere.* Ubi ly poterit obligationem legalem non infert: poterit siquidem quis exercere, in quem Imperator vel Rex in causis suis compromitter, cum naturali rationi conveniat, ne quis in causã propriã Jus dicat. Cum autem olim Comes Palatinus, utpotè Palatii Judex, Aulam Cæsaris communiter sequebatur, æquum videbatur Imperatoribus & Regibus, ut suas causas, Palatii potius Præfecto, quàm cuiquam alii discutiendas ultrò & spontè permitterent, quod neutiquàm infra Majestatem est Imperantium, cum omnes Principes in causã propriã à judicando abstineant: adeoque honestate svadente, suas causas finant per alios discuti, sive illi sint arbitri, sive compromissarii,

farii, five Judices ordinarii. Sanè Gallia: Reges nunquam sibi in causâ propriâ Jus dicunt, sed per Parlamenti Lutetiani Præsidentem, ubi multoties causâ cecidère: Quemadmodum Anno 1266. condemnatus fuit Rex solvere decimas fructuum hostis sui Parocho cuidam, ut refert Lymnæus *in annot. ad Capitul. Caroli V. n. 69. in proœm.* Pariter An. 1346. Carolus VII. Rex Francia: ex Sententiâ Parlamenti Sylvam propè Lutetiam, quam sibi soli reservare cupierat, concedere debuit, ut caderetur in usum publicum, sic Regis cupiditæ cessère publicæ necessitati. Si Regibus Arragoniæ intercedat lis, habent tribunal, quod dicitur Justitia Arragonica, suadente id honestate non necessitate legum, quibus Principes soluti sunt. Habent etenim potestatem à DEO, humano non amplius obnoxiam Imperio. Ab Electoribus nulla potestas Imperii esse potest, quam ipsi non habent. Designatio tantum est publicæ voluntatis, cui DEUS infundit characterem potestatis. Hanc aliquando Imperator deponit, & suspendit quodammodo Majestatem, jubetque de suâ causâ Palatinum indicare. Idque etiam Jure Civili receptum est, ut si quis major vel æqualis subjiciat se Jurisdictioni alterius, possit ei, & adversum eum Jus dici, quod etiam in Principibus locum habet, five suorum Judicia subire malint, five aliena. Nemo proindè negat Palatino officium Judicis in Curiâ, sed si placuerit Imperatori vel Regi, cujus est prorogare auctoritatem Judici, & qui ex Bullâ Auræ in illius Curiâ Imperiali, non alibi judicare debet. Id expressè asseverat Aventinus *lib. 4. annal. Bojar fol. 297. Nil citra Imperatoris auctoritatem Palatino aut decernere, aut statuere licebat.* Et hoc pacto facultas judicandi data Palatino ab Auræ Bulla intelligenda est: Si verò se ultrò & auctoritate propriâ in ejusmodi immisceat, si Judicii sui, alibi diverticula quærat, si auctoritate Cæsaris id non agat, vanus erit, & haud procul perduellione conatus. Hoc res ipsa loquitur, quia supremus Dominus Cæsar est: Hoc persvadet ratio, ne præposterè

Dominus obsequatur subdito : Hoc lex divinæ inculcat : *Non haberes potestatem, nisi tibi data fuisset desuper. Omnis potestas à DEO. Estote subditi. &c.* Nec Exempla desunt : Cum enim prætextu quarundam causarum Palatinus Rheni, cum quibusdam Electoribus, Albertum primum Imperatorem, quasi ex munere sui Vicariatus (qui tamen nullum effectum habet vivo Cæsare, & merum nomen inane est) convenire voluit; non tantum Imperator se iudicio sistere recusavit, sed etiam pro conspiratione & rebellionem hoc duxit, illato ipsis Bello, donec tandem multis precibus victus importunos hos Judices clementiam Austriacam rursus complexus est; sed malo fato, pessimoque exitu Palatini Rudolphi, qui ultimus totam molem Belli sustinuit, ac importunitatis suæ culpam vix ingenti pecuniarum, aurique lytro à totali excidio; quod illi jam jam imminabat à Cæsare, præcipue verò Palatinæ Matris precibus redemit.

44. Archidapiferum Comitem Palatinum, nunc Bavarum, consequitur Ensisfer, sive S. R. I. Archi-Mareschalchus Dux Saxonie. Primus Urbem ingreditur cum suo equitatu in adventu Cæsaris. De quâ præcedentiâ mota fuit illi non modica lis à Principibus Juliensibus Anno 1520. in adventu Caroli V. Aquisgranum. Nolebant ferre Julienses, ut præiret Saxo cum Equitatu suo primus, allegantes: Aquisgranum esse sui territorii. Archi - Mareschalchus verò insistebat suo officio hæreditario, & inveterato mori. Res vergebat jam in apertam rupturam, nec his tam citò per Imperatorem & Electores componi valebat. Et ecce Juliae Dux ex improvise prærupit cum Equitatu in Urbem : Saxo autem, ne quidpiam de Jure suo deperderet, stitit pompam, tamdiu detinendo Regem, Regisque comitatum, donec justum intervallum temporis à præruptione æmuli elaberetur. Tunc primò instruxit Equitatum, deduxitque Regiam Pompam, quasi prærumpens Juliensis ad eam non spectasset.

Cæterum Elector Saxonie Vicariatum Imperii sibi vindicat

ubique soli Teutonici, quò Saxonicum Jus devenisse fertur. Pro Vicariatu Italiae competunt Pontifex, & Romanus populus, ut quidam existimant, nos ambigimus: Cur populus? si Senatùs populique Romani Authoritas à bis fermè millenis jam Annis suppressa est. Neque Papa: an velit iste minor esse Cæsare? Omnis enim Vicarius minor est suo Principali. Sunt igitur per Italiam Vicarii particulares, & suarum fermè Regionum, Duces Mediolanensis, Sabaudus & Mantuanus, quos tamen tempore Inter-Regni aliqui subesse existimant Jurisdictioni Palatini & Saxonis, tanquam Vicariis, non partium, sed totius Imperii Teutonici generalibus. Competebant aliquando Palatinus & Saxo de Judicio Camerali Spirensi, & videbatur hoc ad Palatini Vicariatum spectasse, cum Spira sub Jure Franconico sit. Interim res composita est Anno 1657. ubi Processus sub utriusque Vicarii nomine, & sigillo expediri cœperunt. Contendentibus autem de Jure, quis illud habeat, inter se Vicariis, ut contendebant Palatinus & Bavarus, neutri præstandum est homagium, sed promittendum ei, qui inventus fuerit legitimus. Idem dicendum, si de loco, sub cujus nempe territorio sit feudum? controversia oriatur.

Electo Brandenburgicus, sive Archi-Camerarius, & Primicerius, Præfectus est Camerae sive Sacri Cubiculi Imperatoris. Sextum habet Suffragium in Conclavi, & Ultimus in dextro latere confidet Cæsaris. Præfert in solemnitatibus Curiae Sceptrum; & hinc aliquando orta fuit contentio inter illum & Juliacensem in coronatione Caroli IV. Anno 1348. ut norat *Rebdorff. in Chronic.* Ubi iste gestabat Sceptrum Regale, sed ille vi involabat illud, conabaturque cripere ei de manu, protestans contra Juliacensem, velut usurpatorem Electoralis dignitatis, quæ non ipsi, sed sibi competeret, Sceptrumque ad officium suum spectaret. Ad rumorem accurrit Rex, sedavit dissidentes, & altercationem omnibus molestant per Principes extemplo desinivit hæc ratio: ut in actuali

actuali coronatione Regis Romanorum ad officium Marchionis Brandenburgensis spectaret Sceptrum Regale gestare ; in concessione autem feudorum ad Marchionis Juliacenſis pertineret munus. Nullus autem Electoratus plures habuit diverſarum familiarum poſſeſſores , quàm ſextus iſte Electoratus. Prima familia fuit Comitum Wettinenſium , è quâ fuère tres Electores ; Secunda Comitum Stadenſium , quæ numeravit quatuor : Tertia Comitum Aſcaniæ ſive Anhaladinorum , è quâ tredecim florùere Archi-Camerarii : Quarta Ducum Baviariæ de Wittelpach , è quâ prodire tres Septemviri : Sexta Comitum Zollereniſium & Burgraviorum Norimbergeniſium , quæ Collegium Electorale jam ſupra novem inſignivit Electoribus , ut videre eſt apud Lymnæum loco cit. de Jur. publ. lib. 3. c. 10. ſicque veriſſimum exitit vulgatum illud :

Mutavit Dominos Marchia ſepè ſuos.

45. Hucusque fermè ex Aurèâ tantùm Bullâ præcedentias diſcuſſimus : Jam ad particularium Sacri Romani Imperii Principum controverſias tranſeamus. Primi ſunt Archi-Duces Aſtriæ Regibus pares, & quemadmodum ſingularibus titulis ac privilegiis præ aliis Principibus decorati , ita præ omnibus Sacri Imperii Principibus tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus Sèſſionem in Comitiiſ Imperialibus obtinent, paribus cum Electoribus privilegiis gaudent , in quibusdam etiam majoribus, ut ſcribit Thom. Haſelbach. Ideòque poſt Electores in ſcamno Eccleſiaſticorum Principum primi ſedent : Quibus olim contradixit Salisburgeniſis Archiepiſcopus, utpotè Primàs Imperii, & à Goldaſto, planè Archiepiſcopo Magdeburgeniſi præpoſitus : Verùm deinceps compoſita eſt hæc controverſia ; ut alternent Aſtriaci Sèſſionem cum Archiepiſcopis Salisburgeniſibus. Hos conſequitur Dux Burgundiæ in eodem ſcamno tertio loco ſedens. Horum trium Legati etiam alios quoscuque Principes præſentes antecedunt. Poſt hos quarto loco ſedet Equitum Teutonico-

rum supremus Magister, qui etiam præcedit sui Legati præcedentiam præ aliis Principibus, post tres prænominatos. Verùm Comitibus Ratisbonensibus Anno 1641. negativam obtinuit. Disceptatum fuit de Sessione inter Episcopos Bambergensem, Herbipolensem, Wormatiensem, nunc autem alternativè primam post prænominatos occupant. Competebant quoque Basileensis & Brixienfis, Anno autem 1641. convenère de alternatione. Præcedunt hos Bambergensis, Herbipolensis, Wormatiensis, Eichstadiensis, Spirensis, (qui duo Anno 1654. in Comitibus Ratisbonæ graviter inter se disceptarunt) Argentinenfis, Constantiensis, Augustanus, Hildesheimensis, Paderbornensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Passaviensis, Tridentinus. Post Basileensem & Brixiensem alternant Monasteriensis, Osnabrugensis, & Leodiensis, eâ tamen ratione, ut semper medius maneat Osnabrugensis. Fuerunt olim in Imperio adhuc alii Episcopi, scilicet Verdensis, quem sub nomine Principatus possidet Rex Sveciæ, Halberstadiensem ibidem possidet Brandenburgicus nunc Prussiarum Rex, ut Principatum sæcularem. Verodunensis, Tullensis, Metensis translati sunt in Regem Galliarum, similiter Curiensis, Lubeccensis, Cameracensis, Luffortensis, Sitenfis, avulsi sunt à Sacro Imperio. Archiepiscopi Magdeburgensis ac Bremensis affectabant vocari ad Comitibus, sed ut Heterodoxi non admittuntur ab orthodoxis ad Scamnum Ecclesiasticum, sed transversalè. Abbates, qui sunt Principes & Status Sessionem habent post Episcopos in Scamno Ecclesiastico Principum, inter quos alternant Sessionem quotidie Abbas Murbach, Luders, cum Abbate Elwangen. Alii Prælati & Abbates, qui non sunt Principes, dividuntur in Scamna Svevicum & Rhenanum. Abbates Principes singuli Jus suffragandi habent, reliqui omnes unum tantum votum conficiunt. Abbas Fuldenfis est Princeps & Archi-Cancellarius Augustæ, & præcedentiam obtinet præ omnibus Abbatibus etiam in Burgundiâ, Regno Arelatenfi & totâ Galliâ, ut habet Goldastus & alii. Abbatissæ, quæ faciunt

faciunt Imperii Statum, Abbates sequuntur, verum per Legatos tantum comparent. Atque licet ex Abbatissis pleraque Principes sunt S. Imperii, tamen quoad locum & Sententiam, ut Reinking tradit *de Reg. Eccles. & Sæcul. lib. 1. classe. 4. c. 21.* pari cum reliquis Jure censentur.

46. Hæc de Senatu Ecclesiastico Imperii. Sæcularis autem continet Principes, Duces, Comites Palatinos, Marchiones, Landgravios & Burggravios, Comites item & Barones ac Civitates Liberas Imperii. Principem Tacitus dixit, qui est aliorum primus; ideo Principes omnes alios Status Imperii Sæculares præcedunt dignitate, loco, Sessione, & Voto. Principes autem alii sunt titulo Electorum, de quibus supra diximus: alii titulo Ducum, alii Comitum Palatinorum, Marchionum alii, Landgraviorum, Burggraviorum, qui tamen omnes Principes sunt. Nonnulli autem nec Duces agunt, nec Marchiones, nec Landgravios &c. tamen Principis titulo condecorantur, ut Principes Anhaltini; Multi etiam à certis Principatibus utuntur titulo Principis, uti Archiduces Austriæ dicuntur Principes Sveviæ: Marchiones Brandenburgici & Duces Pomeraniæ, Principes Rügenfes: Duces Megapolitani, Principes Wendenfes: Duces Sabaudia Principes Pedemontani &c. Principes isti rursus dividuntur in majores & minores: Majores feuda obtinent Ligia, solumque Imperatorem agnoscunt, salvâ tamen sui Principatus superioritate, & investuntur in illa per Vexillum & Sceptrum, quæ Principes minoris gentium prætere non valent. Duces verò tempore Caroli M. dicebantur, quibus duodecim Comites subessent, quod nunc non exigitur. Dividuntur autem in Archiduces & Magnos Duces. Illi solum sunt Austriaci, & licet jam aliqui Principes prætenderint hunc titulum, assecuti tamen non sunt illum, ut nimirum hæc prærogativa Archiducalis honoris maneat ab Alberto I. Austriaco usque hæc tempora solummodò apud Descendentes ex Augustâ Habsburgorum familia, quæ post usurpationem Ottocari, legitimo Investituræ

Jure possidet terras Austriacas, ut libera & exempta feuda Sacri Imperii. Magni Duces dicuntur Principes Florentini, item Magnus Dux Moscoviæ, Magnus Dux Tartarorum, quorum ille Cæsaris sive Zari honores affectat, iste Chami, sive Regis titulum exigit. Inter cæteros Duces, quæ tales, nulla est differentia, sed duntaxat Ordo in Sessionibus. Duces Imperii quatuor sunt: Brunsvicensis, Bavariæ, Sueviæ & Lotharingiæ, ut Panvinus tradit *de Comit. Imp. c. 15*. Marchiones item quatuor: Misnensis, Brandenburgensis, Moraviensis, & Badensis. Erant autem Marchiones Comites limitanei, qui finibus Imperii tuendis erant præfecti. Jam verò dicitur Marchio, qui est investitus in limitaneâ aliquâ Provinciâ, quæ communiter vocatur Marchia: & Marchionatus, qui olim erat Officium temporaneum, nunc transit in Dominium perpetuum in magnum præjudicium Cæsareæ amplitudinis. Landgravii quoque ad officium spectabant, erantque Judices alicujus Provinciæ; dignitas hodie non minor quàm Ducum: Sunt autem in Imperio quatuor: Thuringiæ, Hassiæ, Alfatæ, & Leuchtenbergii. Burggravii Custodes erant insignis atque munitæ cujusdam Urbis, ut modò sunt Magdeburgensis, Norimbergensis, Reineckensis, & Strombergensis. Existimatur autem iste Quaternarius Ordo institutus ab Ottone III. ad ostendendam amplitudinem S. R. Imperii, quod ex singulis Ordinibus quatuor Magnos Principes constituere valebat.

47. Porrò præfatorum Principum, Ducum, aliorumque, Sessiones in Comitibus, & circa has controversiæ, sic se habent, nec Saxo cum Bavaro, nec cum hoc Palatinus: nec Brunsvicensis cum Brandeburgo: nec Hassus cum Pomerano, nec alii cum aliis in omnibus fermè conveniant; Vide *Lymnæum in Jure publico. tomo 2. lib. 4. c. 9*. Bavarus attamen in Scamno sæculari Principum contradicentibus quidem Palatinis omnibus, & Ducibus Saxonæ propter immemorabilem, quâ potitur, possessionem, primam Sessionem & suffragium obtinet
eamque

eamque exercuit Anno 1655. & deinceps: & illum in Sessio-
 ne secuti sunt Palatinus Laurecensis, Simmerensis, Neoburgi-
 cus, Bipontinus, Veldenzenfis, sive Pirkenfeldensis. Ab his
 sedent Saxo Altenburgicus, & Saxo Wimariensis, duæ lineæ ab
 uno stipite, quæ invicem altereantur de præcedentiâ Sessio-
 nis: nam Philippus Junior ætate, sed à Fratre Seniore natus,
 movit quæstionem Joanni Ernesto Seniori ætate, sed à Fra-
 tre Juniore genito, quam autem Anno 1607. decidit Ru-
 dolphus Imperator pro Altenburgico. Hos sequuntur Saxo-
 Coburgensis, & Saxo-Eisenaccensis, deinde Brandenburgicus
 Culmbach, & Brandenburgicus Onolzbach: tum quinque
 Brunsvicenses; Wolfenbütel, Zell, Grubenhagen, Callenberg,
 Lüneburg: demum Gülich. Sequuntur quinque domus:
 Ante-Pomerania Stettin, inferior Pomerania, Wolgast, Hessen-
 Cassel, Hessen-Darmstat, Mechelburg-Swerin, quæ invicem
 competeant, postea Anno 1641. in alternationem consen-
 serunt. Domus Nassovica præterit præ Principibus Salm &
 aliis recentioribus præcedentiam. Præterimus alios Princi-
 pes, de quorum contentione circa præcedentiam non con-
 stat. Singuli autem Principes, qui Senatam ingrediuntur
 Jus unius suffragii, Comites verò & Barones, quorum, ut
 infra, multi sunt, omnes simul non nisi quatuor curiata suf-
 fragia habent. Sed redeamus ad præcedentias. Anno 1640.
 reassumpserunt Duces Saxonie Wimarienses causam præce-
 dentia contra lineam Altenburgicam Ducum Saxonie. An-
 no 1654. Abbatissa Quedlenburgensis tentavit præcedentiam
 in subscriptione Recessuum Imperii ante omnes alias Abbatif-
 sas, nec obscure probavit ex ipsis Recessibus Imperii. Anno
 1619. exorta est gravis prætensio præcedentia, à Nobilitate
 Imperii liberâ, adversus Civitates liberâs, & perduravit usque
 ad Annum 1646. ut scribit Lunderpius *tomo 1. fol. 890. Et*
tom. 6. fol. 110. Nobilitas Imperii non habet accessum ad Co-
 mitia, nisi sint Comites & Barones, qui Statum Imperii faciunt:
 Horum sunt quatuor scamna, Wetteravicum, in quo Comi-

rum & Baronum sunt viginti familiae: Svevicum comprehendit viginti tres Comites & Barones, inter quos Abbas S. Blasii ratione territorii Bondorfensis: Franconicum, quod constat octo familiis. Inferioris Saxoniae sive Westphalicum, quod viginti duos Comites numerat. Civitates autem Imperiales dividuntur in duo tantum scamna, Rhenanum & Svevicum. In Rhenano contendunt de praecedentiâ Colonia & Aquisgranum. Alternant Lubeca, Argentina, Wormatia. Civitas Imperialis illa, in qua Comiticia celebrantur, in Civitatum Senatu directorium tenet. Et licet Civitates inter se singulae sententiam dicant, habet tamen earum Collegium saltem Jus duplicis Voti, ut asserit Rumelinus *part. 2. dissert. 3.* licet aliqui dubitarint, Primò an Civitates Imperiales in Senatu Imperii sint? Secundò, an Votum consultativum habeant? Tertiò, an dissentiendo Principibus, discrepantem Sententiam propugnare audeant? Primum plusquam verum est: quia eò vocatae comparent. Secundum affirmant communiter fermè præter paucos omnes, quia eo fine non solum ad Comiticia vocantur, sed etiam antiquissimo & omnium memoriam excedente tempore, hoc Jure usæ sunt, & etiamnum utuntur. Tertium exemplo constat, quod Anno 1641. in Comiticiis Ratisbonensibus Civitates Imperii in materiâ contributionum nunquam consenserint Electoribus & Principibus ad 120. metas, sed ad 60. solummodò, nec in consensum persuaderi poterant, sed dissentiendo potius abierunt. Civitates tamen Imperiales non eo modo sunt Status Imperii, quo sunt Principes. Singuli Principes Statum faciunt, non singuli Cives, sed universitas & collectio omnium Civium, quos unus vel plures eorum Legati repræsentant, Statum Imperii conficit.

48. Undè facilè resolvitur prælibata quaestio præcedentiæ inter Nobiles Imperii, & Civitates liberas Imperii. Hæ siquidem Statum faciunt Imperii, non illi. Nam etiam Nobilitas immediata vulgò frene Reichs Ritterschafft/ non est
Sta-

Status, quia nec ejus membra, id est, Nobiles, comprehenduntur in matriculâ, nec vocantur ad Comititia; neque illic Sessione & Voto potiuntur. Sicut enim Matricula probat Studiosum, probat Militem, probat Civem: Ita etiam Matricula Imperii probare debet Statum. Nec obest, quod Nobiles immediati sint, id est, immediatè tantum Imperio subiecti per hoc enim non sunt Status. Aliud est esse Statum Imperii, aliud Imperio immediatè subiectum, hanc distinctionem recessus Imperii de Anno 1564. Wormatiæ emanatus expressè continet: *Und wollen Wir/ als Römischer Kayser/ gegen denen/ so nicht Stände des Reichs/ jedoch dem Heil. Römischen Reich immediatè unterworffen/te.* Omnis Status Imperii est immediatus, sed non omnis immediatus est Status. Enimvero Status Imperii ita describunt Publicistæ: Eos nimirum esse, qui cum Imperatore, Electoribus & Principibus cæterisque Ordinibus, in Comititiis & Conventibus solitis de Republicâ statuendi, Sessionem occupandi, dicendique Sententiam Jus habent. Hoc cum Nobiles non habeant, habeant autem Liberae Civitates: quis igitur his præcedentiam præ illis negare ausit. Multis profectò videtur in eo, quod à Comititiis exclusa sit immediata Nobilitas, magnum arcanum Status verti. Nam, cum hæc copiosa reperitur in Imperio, valeret pluralitate votorum obtinere in Comititiis, quod vellent, negotiùmque fortè aliquandò facerent Cæsari, Electoribus & Principibus, cum hi illam exæquere non possent suffragiorum numero. Nobis autem periculum hoc, vel cautela potius ista, non tanti esse videtur, quanti decus honòsque, qui exinde Sacro Imperio accederet, si cooptaretur in Statum immediata Nobilitas: Ne dicamus de hujus fidelitate & zelo, quem inde velut æstimatione sui, perciperet, incontaminatùmque semper servaret erga Cæsarem & Rempublicam. Videret duntaxat sui rationem haberi, quod satis illi esset ad explendum suum desiderium, dandùmque illi calcar & animum, omnia sua, vires &

vitam, exponendi pro gloriâ Imperii. Nec periculum ullum immineret à multitudi-
 ne illius; quemadmodum enim nec à Prælati-
 bus infra Principes, nec à Comitibus & Baronibus, nec
 à liberis Civitatibus acceptantur singulorum suffragia, sed
 unum alterumvè à totâ universitate; ita & identidem fieri
 posset à totâ Nobilitate, cui prima aliundè incunabula de-
 bent omnes Status Imperii. Hæc per transennam.

49. Extant adhuc aliæ præcedentiarum contentiones, qua-
 rum fermè uti notissima, ita celeberrima est Regum Hispa-
 niarum & Franciæ. Primùm cœperunt ex professo quasi in
 Curiâ Romanâ Anno 1558. sub Pio IV. Pontifice, postea sub
 Maximiliano II. in Aulâ Cæsareâ. In Curiâ Romanâ prætexebant
 Galli Jus primogenituræ spiritualis, quasi illi essent primo-
 geniti Ecclesiæ inter omnes Christianos Principes. Secundò
 titulum Christianissimi jam antiquitùs Franciæ Regibus ab
 Apostolicâ sede attributum. Sed stomachum movere deberet
 Curia Romanæ, si verum est, quod scribit Lymnæus *ad ca-
 pitulat. Cæsar. n. 22.* Nullum sibi inter Catholicos Reges no-
 tum esse, qui summo Pontifici tam arctos cancellos in Reg-
 no suo ponat, quàm Rex Galliarum? an autem per hoc
 Rex Galliarum primogenituram Ecclesiæ mereatur; an idèò
 Christianissimus ab eâ jactari; an propterea Hispano-Catho-
 lico præferri debeat? ipsa judicet Curia Romana. Id autem
 verum esse, quod Lymnæus dicit, ostendit abundè *Author
 libri de la Souveraineté du Roy lib. 4. c. 7.* ubi dicit: quando
 summus Pontifex Legatos in Galliam mittit, debent illi Lug-
 duni subsistere, nec ulterius proficisci, priusquàm Curia Par-
 lamenti Luteciani legerit illorum instructiones & mandata,
 cum in finem, ut si quid Autoritati Regis, aut privilegiis
 Ecclesiæ Gallicanæ contrarium illis contineatur, rejiciatur &
 refecetur. Et quemadmodum in introitû potestas Legati Par-
 lamento insinuari debet, ita in Receptû, quæ idem gessit vel
 expedivit, in Regno tanquam Legatus, articulatim tradi de-
 bent in manus cujusdam Consiliarii, unâ cum sigillo Lega-
 tionis,

tionis. Eadem scribit Servinus Gallus libro *es actes notables & playdoies*. Denique Legati Pontificis nullam in Galliâ habent potestatem, nisi quam illis concedit Rex, ut expertus est Cardinalis Ferrariensis offerens Bullam Pontificis Pii IV. Anno 1561. Nihilominus Curia Romana tunc non expendit, an melius sit, Catholicum, qualis est Hispanus, esse; & in effectu Christianissimum se exhibere, quàm Christianissimi titulo gloriari, & non omninò catholicè agere. Sed ne Franciæ coronam offenderet, non tam definivit controversiam, quàm attemperavit: Concessio enim, ut æquum est, Cæsaris Legato, dextro latere; indulgit, quod ipsum petebat, Rex Franciæ, nimirum Legato suo, sinistram latus, sive secundum post Imperatorem locum; Hispanum verò collocavit inter Cardinales Presbyteros medium & Diaconos loco paululum inferiore. Eadem controversia contigit in Concilio Tridentino occupante etenim Coronæ Franciæ Legato primum locum; Hispanus, ne illi cederet, relicto Seditium Ordine, se in diametrali lineâ, Pontificis Legato in faciem, collocavit, quemadmodum Trevirensis Elector sedere solet in Comitibus Imperii, facie appositus Cæsari, solus, & extra Ordinem. Res tamen iterum permissa decisioni Pontificis, qui ex reverentiâ vel respectu in Galliam, rursus temperare satagebat litem, suggesto Hispanis consilio, ut Rex imposterum semper Episcopum mitteret vel Patriarcham qui in ejusmodi sacris conciliis Legationis fungeretur Ministerio; tali casu præcedet iste, Regis Franciæ Legatum, veluti Episcopus Laicum. Si verò Francia Episcopum ablegaverit, mittat Hispania Laicum ex Proceribus, cui tunc Jure Sacerdotii, non Regni, cedit absque præjudicio coronæ. Placet facer astus. Eandem controversiam movit Gallus in Aulâ Cæsaris, tempore Maximiliani secundi, ubi autem repulsam habuit Gallus, & Primas deberi Hispano indicatum fuit. Eandem prætensionem repetiit Anno 1647. sed Cæsar decrevit pro Legatis Hispania, utvè tam Galli quàm Hispani omnes occasiones, ubi in contentionem præ-

prærogativæ præcedendi venire possent, sedulò evitarent, districtè præcepit. Cœterum Rex Franciæ præ reliquis Europæ Regibus hoc argumento, quod jam Anno Domini 409. fundamenta jacta sint Regni, præcedentiam prætendit. Verum quidem est, antiquum esse Regnum Franciæ, sed plura adhuc reperiuntur antiquiora, quale est Daniæ, quod à Gothis cœptum de Gog filio Japhet oriundis, adhuc ante tempora Abrahamæ; formatumque ævo Regis David, in verum Regnum, continuatúmque à Dan primo Rege per centum & septem Regios Successores, ut Lepodus Lindenbruch ex antiquis monumentis sollicitè congestit. Angli quoque, gens olim Christianissima, cui Germania Christi fidem debet, quorum Regnum quarto à Nativitate Domini cœpit sæculo esse Christianum aliàs sub Cunobiline ante Christum natum celebre adeoque vetustissimum, Hispanis de Præcedentiâ litem moverunt. Cum enim Anno 1598. Legati Angliæ sub Reginâ Elisabethâ, & Hispaniarum Regis sub Philippo II. de pace tractaturi convenissent, de Jure Sessionis discordantes, negotium pacis vix inchoare poterant; contendebant Angli, se antiquissimos esse Christianos, nemini subjectos, seque imperare sacris & profanis, Regno & Sacerdotio invicem conjuncto. Quod autem Hispani facilè refellebant, ex Apostasiâ non rectè sumi argumenta Majestatis: Regnum Hispaniæ Originem habuisse aliquot ante Christi Nativitatem sæculis: & cum Angli cedant Gallo, non habent, quod prætendant in Hispano, qui nunquam cessurus est Gallo. Competebat etiam Polonus cum Portugallo in Concilio Tridentino, competunt etiamnum inter se Galliæ, Italiæ Principes sacri & profani. Et quis demùm enarrabit omnes Mundi de præcedentiâ altercationes; si palàm videatur, non minus competentiæ, quàm contradictionis spiritum intrâsse Mundum? Væ autem vobis, qui diligitis primas Cathedras: cavete! ne vobis dicatur aliquando: **Amice! descende inferius:**

nimis parùm foret, si tantum diceretur: **Nescitis quid petatis?**

50. Ut verò Caput hoc perfectè compleamus, abs re haud erit, si observationes quasdam, ex quibus præcedentiarum controversiæ solvi valebunt, obiter suggesserimus.

Antiquitas familiarum prima est, quæ prælationis justam causam ostendit, modò inter competentes cætera paria sint. Antiquitas temporis præcedentiam infert tam in lege naturæ, quàm gentium, & civili, in Lege naturæ, ex momento quasi temporis obtinisset Esau primogenita, nisi illi fraudi fuisset Mater, sollicita nimium pro Jacob. Jure gentium ubique præferbantur majores natu minoribus. Jure Civili, qui potior est tempore potior est Jure. Familias ab antiquitate omnes mortalium æstimant: E contra recentes vel non tanti pendunt, vel livido eas supercilio aspiciunt, dolentque Fortunæ suæ æquabilitatem transgressas esse. Plato quidem dixit. Neminem Regem non ex servis esse oriundum, & neminem non Servum ex Regibus. Interim tamen fortunæ fuit citius fuisse Regem, & calamitatis rediisse rursus in antiquam Originem. Sed tu quares: an divitiæ unius præ alio imparitatem faciant, sicque antiquitatem elidant? minimè. Prærogativa enim Nobilitatis non ducitur ab opibus; aliàs Publicani & fœneratores nobilissimi mortalium forent, quia opulentissimi sunt. An autem potentia? hinc haremus: Hæc facti magis, quàm Juris viam graditur, si præsens est. Fuisse potentem, nihil addit. Esse, præcedentiam vi extorquet.

51. **Dignitas** est secunda observatio. In omnibus quippè anteponendos esse digniores, liquet *ex lege Nobiliores. C. de commerc.* Major dignitas præcedit minorem, Imperator Regem, Rex Principem, Princeps Comitem, & sic deinceps; Summus autem Pontifex, tanquam Ecclesiæ caput supremum, omnes omninò Principes, Imperatores, Reges præcellit. Eadèmq; præcedentia competit etiam ipsius Le-

gatis, quemadmodum etiam digniorum Principum, præ aliis Legatis minorum Principum. Similiter Dignitas officiorum, Legationum, functionum majorum vel minorum secundum cuiusque Regni consuetudinem spectatur in puncto præcedentiæ, quò major est administratio, eò sublimior est Administrans. Collatoris quoque Majestas major vel minor, dignificat plus vel minus titulos & gradus ab illâ acceptos. Ut S. Imperii Principes, Marchiones, Comites Jure præferuntur iis, qui hosce titulos & gradus à minoribus Principibus obtinuerunt. Multitudo tamen titulorum prælationem non infert cæteris paribus: si sit decies Comes, est tamen unus tantum Comes, nisi Comitatus ipsi Statum faciant exigantque sessionem & præcedentiæ: Licet aliqui existiment, quod Comes & Baro specialiter factus, simplici Comiti anteferatur, quod ridiculum est, quia Comes supponitur fuisse prius Baro. Qui sublimioribus Principibus subjecti sunt, honoratiores habentur, quàm illi, qui subsunt Principibus non ita sublimibus. Servus dignificatur à Domino. Episcopi exempti, hoc est Pontifici immediate subjecti, sedent altiùs in Concilio generali, quàm non exempti. Principes, & Comites, & Nobiles Imperii, qui immediate sunt, potiores sunt Principibus, Comitibus & Nobilibus Vassallis & mediatis. Et ab adverso, qui majori & augustiori loco, Urbi, aut Provinciæ, vel illustrioribus personis præest, major etiam digniorque censi debet. Sic Carolus V. gloriabatur, se præesse Regibus, Regem Hispanum hominibus, Regem Franciæ mancipiis. Paradoxum hoc libro secundo jam declaravimus.

52. Major minorque Potestas est tertia observatio præcedentiæ. Quò magis absolutus est Princeps, eò magis ad Majestatem accedit. Despoticam autem aut totaliter exlegem potestatem, Tyranidem, Dominatum abhinc removemus. Non enim hæc illustrent Majestatem, sed obscurant, virtusque semper præfulgere debet vitio. Quidquid

nimum est, excessum infert; quidquid in excessu est, vitium indigitat; medium tenuere Beati. Intensa nimis Potestas, ut arcus rumpitur; moderata perdurat. Numinis Omnipotentiam Majestatemque non tam suspicimus ex fulgure, tonitru & Elementorum convulsione, quam ex Serenitate Cœli, aëris temperie, Solis siderumque noctu diuque lucentium claritate.

53. *Vetustas Regni, Principatus, vel Status* est quarta declaratio Præcedentiæ. Bodinus *lib. 1. c. 4.* ait: Prout Respublica quæque antiquitate prior exitit, ita dignitate prior est. Sic Respublica Veneta præfulget omnibus Mundi Rebuspublicis, quæ jam Romanæ Reipublicæ sæcula, duratione suâ, post se reliquit. Eadem ratio est cum Imperiis, Regnis, Principatibus, Episcopatibus &c. Antiquitas personæ hic non tantum consideratur, quam Status: non antiquitate gentis clarior Princeps præfertur, sed qui vetustiorem eminentioremque Principatum consecutus est. Rudolphus I. ex Comite Habsburg nactus est Sacrum Romanum Imperium; inde factus est sublimior omnibus Regibus Mundi, ob quod Ottocarus, quod se relictum videret, & genua coram eo, qui sibi aliquando militavit, flectere deberet, livore & dolo ferme contabescebat.

54. Quinta definiendæ præcedentiæ observatio est ipsa **Possessio, Consuetudo & Usus.** Ex possessione, consuetudine, pacto, vel lege, optima pariter & tutissima desumitur decisio in materiâ Præcedentiæ, de quibus multum tradit *Lüdenspühr in mont. Polit. ad Auream Bullam.* Ita judicavit Ferdinandus I. in dirimenda lite Ducis Florentini & Ferrariensis, nimirum quod ita observatum fuisset in Aula Caroli V. Etenim in Comitibus Imperialibus novissimi actus, ut plurimum observantur, qui continuandæ possessionis fortissimum præbent argumentum: neque enim, quod possessione cuiuspiam competit, via facti tolli potest. Jure autem

licet competentes Principes sæpè experiri vellent, tot attamen semper emergunt obstacula, ut observavit Speidelius Verb. præcedentia, ut materia præcedentiarum vix unquam in Comitibus definitivè terminetur, sed de præsentibus potius sopiatur, nimirum vel inferendo recessui, id fieri, vel factum esse sine præjudicio Jurium utriusque partis: vel svadendo ad amicabilem compositionem, quæ deinde nunquam fit: vel altercando præcedentiam: vel paritatem obtrudendo: vel contententes à confessu arcendo, ne eorum uni plus indulgeatur: vel diem ducendo: vel extraordinariam sedem alterutri assignando: vel decernendo, ne sessionis vel loci habeatur ratio: vel in Orbem ad confessum admittendo, ut nulli bi appareat primus locus: vel ita sedes collocando, ut de præcedentia judicari nequeat: & plura similia, quæ si præsens vulnus abstergunt, dolori non medentur, cicatrice persistente de Comitibus in Comitia, ubi ideò contentionum, protestationum, nunquam finis est, sed tam cum exacerbatione animorum, quàm cum maximâ jacturâ agendorum negotiorum, acceptabilissimum Comitiorum tempus, diesque publicæ salutis furtim fraudantur. Quid de his competentiis senserit Carolus V. audiamus: Erat Bruxellis Controversia inter Marchionissas duas de Vergas & Brederope ita ob æqualitatem argumentorum dubia, adeò ut à supremo Consilio devolveretur decisio ad ipsum Imperatorem Carolum V. Hic autem, deprehensâ partium ambitione, edixit hanc sententiam: *ut inter eas, quæ magis stulta esset, præcederet.* O quàm benè judicatum! Partes autem, sive æmuli ipsi sapienter agunt, si, ne de Jure suo quidpiam amittant, se potius à Comitibus absentent: vel si Principes & præsentibus sunt, morbum simulent & per Legatum compareant, qui aliundè sine ullo præjudicio, ut jam decisum est, præsentibus Principibus cedere debet: vel si æmulus Legatum miserit, ipsi se præsentia liter sistant, & præ Legato æmuli, locum occupent, ut Carpozovius *ad l. Reg. c. 10. n. ult.* declaratum esse ait & nos jam

jam alibi diximus, ut Principes præsentés in personâ præcedant Legatos Principum absentium, licet hi sublimiores sint præsentibus. Multi autem se, vi, vel arte, intrudunt, & aucupantur subsellia, ut fecit Poloniæ Legatus, Portugalliæ Legato in Concilio Tridentino: ut similiter Galliæ Legatus Hispaniæ Legato ibidem. Præ omnibus denique observandum, connitendumque viriliter, ne quoquo modo cedamus loco: ne avito fastigio destituamur, velut pro aris & focis certemus. Prævisa tamen jacula minùs feriunt. Felix, qui hæc prævidit: Sapiens, qui à discrimine abstinuit: felicior, qui in tempore illud provertit: Sapientior, cui in arenâ consilium non deficit.



CAPUT VII.

De variis Principum Prætensionibus.

I. **E**Xpedivimus Præcedentias, accingimur ad Prætensionés, quas, sicut illas, oportet Legatum nôsse. Ab omnino observatum, opportunum Legato, rerum politicarum peritiam in subsidium accessisse: æstimarique eos, qui ad Principes peregrè mittuntur, si ea sapiant, quæ horum aliorumque Interesse quomodocunque contingunt. At arte, & experienciâ hoc sapient. Sed quantillum est, quod hoc brevissimo vitæ curriculo experimur? Ars igitur experientiam suppleat, & historiarum frequens, ut supra dictum est, Lectio Legati mentem illuminet. Exploret proinde in novissimis Scriptoribus instituta privilegia, Jura titulósque Regnorum, Aularum gerium penetret, Procerum seriem indaget, spésque Principum observet. Multi turbant se antiquâ historiâ, no-

vissimam Legato nosse expedit: non de Trojanis, non de Romanis ager, proxima in tapete sunt. Non solum aris, focusque patriis inhærendum; carbasa altius movenda, etiam aliena & longinqua rimanda, indeque præfagiendi rerum eventus, & sæpè alienâ infantiâ sapiendum. Subveniemus Laconico calamo parumper, & post actas præcedentias, prætensiones varias Principum discutiamus. Ambæ in Statu politico sunt scaturigines vel Matres discordiarum publicarum. Excœcat postrema intellectum ambitiosorum hominum, ut alienis intenti, suorum periculum agant, affectant dubia, quò amittant propria, quietem in continuâ colluctatione quærunt sui impotes. Cineas Philosophus & Orator incomparabilis (qui de pluribus Urbibus faciendâ suâ triumphavit, quàm ipse Pyrrhus Rex omni armorum suorum conatû) cum Italicum Bellum, summo ardore Pyrrhum prosequi videret, ita compellavit: Hem Regie Princeps, quis ex devictæ propè Italiæ victoriâ tibi futurus fructus? Rex respondit; Vicina Græcia. Quid deinde? rursus ille sciscitabatur: Africa & Carthago, dixit Rex. Probè, sed quid demum? ait Philosophus. Subrisit Rex, inquit: Vivemus quietiùs, latitiùs. Et quis tibi, reposuit Cineas, quietem turbat, latitiâque tollit, nisi tu ipse, qui tanta aucuparis, tibi aliisque molestus? Prætensiones aliâs speciem Juris habere videntur, sed re ipsâ sunt cupidissimorum hominum prætextus. Viden? sequere: brevi lichno lumen præfero.

2. Primum igitur Romam, sive in Theatrum, sive in Cœlum Europæ, deduco Legatum; ubi non solum sedes est potestatis divinæ in Christianitatem universam, de quâ nemo dubitat: Sed ingens etiam prætensionum politicarum farrago in præcipuas Europæ ditiones. Prætendit siquidem in omnes temporales Potestates & Coronas Jus Domini universalis, eò quod Vicarius Christi sit in terris duplici pollens gladio, spirituali videlicet, & temporali. Hoc jure Alexander

der sextus novi Orbis Regna & Imperia velut in feudum concessit, & divisit inter Reges Castellanicum & Lusitanum.

3. Paulus quintus sacris interdixit Vencos Patres; quod statuisent, in Ecclesiasticos bona immobilia conferri, indeque statum saecularem imminui, deinceps non amplius posse; nec licere in posterum ulli sine Senatus-Consulto aedes sacras & religiosas exaedificare. Quae res ferme non censuris tantum, sed armis decidi debebat, nisi interventu aliorum Principum, positam utrinque hostilitate sublatam & controversiam, nec quidpiam antiqui Juris detractum fuit armato Leoni.

Exemplis deinde constat innumeris, quibus confirmatur Sacrae Sedis in Reges & Regna potestas, cum intercedat discrimen salutis aeternae. Sic Leo Isauricus Imperio dejectus Gregorii II. decreto, quia Iconoclastarum haeresi infectus, dogma propagabat exemplo & vi. Sic Gregorius VII. Sacris interdixit Henrico IV. Imperatori, subditosque solvit obsequii vinculo. Sic excommunicati Philippus Gallorum, Joannes Anglorum Reges. Sic Otto Imperator. Sic fidei sacramento soluti olim ab Innocentio IV. Friderici I. Imperatoris subditi. Sic Petrus Arragoniae Rex a Martino IV. Regno dejectus, ob infamiam horrendae laniationis, quae a Vesperis Sicilianis nuncupatur. Sic Clotarius Rex Gallorum ob scelera immania, profuso in Ecclesiam sanguine innocenti, patrata, luit poenas arbitrio Pontificis. Sic Justinianus II. Sic Philippicus Imperatores a Sergio & Constantino summis Pontificibus puniti. Sic Euphemius Patriarcha Constantinopolitanus Anastasio Imperatori negavit obsequium, donec Concilio Chalcedonensi subscripsisset. Ex ejusmodi, quae fide historica constant, Exemplis, probant Pontifices suam in Reges & Regna Potestatem.

Huic praetensioni contradixerunt Galliae Status sub Ludovico XIII. & exempla usurpationi potius Pontificum attribuerunt, ut scribit Gramondus hist. Galliae lib. I. nimirum *Summos Pontifices saepe hominum induisse fragilia, & in ipsos*

ipfos Reges peccasse. Extant quoque sub Ludovico XIV. propositiones, quas Rex contra Innocentium undecimum Sanctissimum Pontificem in Regno decidi iussit, quæ præfatam Pontificum prætensionem totaliter enervant. Theologorum attamen communis est Opinio, Jus esse Sacræ Sedi in Reges & Regna, ubi necessitas & salus animarum exigit, usque ad eorum degradationem. Quod Jus non tam prætensio Domini temporalis est, quàm Potestatis coactivæ in suas oves errantes, & morbidas.

4. In specie quòque *prætendunt Pontifices Jure sibi deberi homagium* à Regnis Neapolis, utriusque Siciliae, Aragoniae, Sardiniae, Jerusalem, Angliæ, Hiberniæ, & Hungariæ.

Sanè, ratione Regni Neapolitani & utriusque Siciliae vix controversi potest, nam Hispaniæ Rex palàm se indè facetur Ecclesiæ Vasallum. At ratione Aragoniæ major difficultas est: Hujus Regni Dominium prætendit Papa non solum ex investiturâ datâ Petro secundo Aragoniæ Regi, Romæ ab Innocentio tertio, Anno 1206. verùm etiam ex præstatione aliquot pondo auri, quæ Rex in singulos annos Ecclesiæ promisit; sed non servavit. Sicut enim (ut Pontificii existimabant) census Jure civili Dominium, ita Jure publico Jurisdictionem invehere videtur: quod tamen oppidò fallit; census enim ille vel ex pacto speciali vel largitione ultroneâ, vel ex veneratione Religionis promitti poterat, quæ causæ Dominium in Reges & Regna non inducunt. Cœterùm Aragonii aliter diluunt Pontificium illud argumentum, agentes: Regnum Aragonium, quod Rex liberum accepit, non potuisse in feudum cedi Ecclesiæ, non obstante Coronatione Romæ impetratâ: Libertatem Regni esse legem fundamentalem, quam Regi convellere fas non est: Reges administratores esse Regnorum, non dissipatores eorum Jurium. Jure quippè Regni interdicitur Regibus abalienatio Regalium absque Statuum consensû.

5. Prætendit quoque Sedes Pontificia Regnum Jerosolym-

lymitanum Jure accessorii: Illud enim à Friderico Primo per matrimonium Violantæ Regiæ filiæ, & Hæredis coronæ Hierosolymitanæ, Siciliae conjunctum, ideóque accessorium, quod sequitur naturam Principalis quoad Dominium. Constat etiam Anno 1289. Carolum, Caroli I. filium, de utroque Regno coronatum fuisse à Nicolao IV. Verùm Coronatio non infert Dominium in coronante, sed declarat in coronato, quanti Reges à propriis Vasallis coronantur, quanti ab Episcopis, quorum nemo prætendit per hoc superioritatem in Reges.

6. Titulo investituræ exigunt Dominium Sardinia Pontifices. Hæc enim Saracenis crepta, per investituram in Pisanos est collata à Calixto II. & à Gregorio IX. quod se Friderico II. adversus Pontificem conjunxissent, rursus recepta, & Jacobo Regi Aragoniæ à Bonifacio VIII. per investituram Romæ consignata.

7. In Regnum quoque Hungariæ prætendit superioritatem: Et hinc dicitur Apostolicum, quia Stephanus Primus, Regis Nomen à Pontifice accepit, ut ex historiâ liquet. Verùm nomen accipere Regis, non est se subicere alterius Dominio. Stephanus fuit Vir Apostolicus vitâ & moribus, & ideò meruit à Sede Apostolicâ Apostolici nomen Regis: non tamen ideò quoad temporalitatem se declaravit Vasallum Ecclesiæ, licet spiritualis fuerit filius & Apostolicus Minister.

8. De Regnis Angliæ & Hiberniæ extat Bulla in Archivis, etiam Vaticano, quod Rex Joannes consensu Procerum Regni homagium Ecclesiæ juraverit, & Innocentii tertii palam se Vasallum dixerit. Id usque ad Henricum VIII. perdurasse creditur, qui excusso hoc jugo planè à fide Apostata factus, seipsum Angliæ gessit Pontificem acerrimus etiam in suis Successoribus hostis Ecclesiæ Romanæ.

Illud autem magis in considerationem venit, quod Sacra Sedes se rebus Imperii immiscere gestiât, utpotè illâ as-

severante quod illud Juris Pontificii sic & Pontificibus immediate subiaceat. Fundamenta ejus allegabimus incorruptâ fide. Primò probat ex eo, quod Gregorius V. numerum Electorum, quibus eligendorum Caesarum facultatem concessit, instituerit; quodve Electorum Authoritas à S. Romanâ Ecclesiâ dependeat. Quæ ut magis comprobet, affert pro secundo in medium; pro diversis temporum occasionibus Electores à diversis Pontificibus eligendi privilegio spoliatos esse, quemadmodum olim Joannes 22^{us}. in Schismate Ludovici & Friderici, ubi Aquila biceps fuit, id fecisse scribitur. Sed & Leo X. Ducem Saxonie privavit: Clemens autem VII. Electionem Caroli V. validam fuisse, etiam absque ejusdem Ducis suffragio, sustentavit atque asseruit. Tertiò quod, statim atque Rex Romanorum vel Imperator electus est, Electores à Pontifice confirmationem petant, sapiusque, cum Papâ consensum non præstitisset, ad novam electionem eventum sit. Quartò quod Rex Romanorum vel Imperator electus statim soleat in manum Pontificis juramentum fidelitatis, obedientiæ & reverentiæ transmittere. Adhæc dicit quintò: Pontificem privare posse, ac deponere Imperatorem electum & confirmatum, quemadmodum hæc Sacra Sedes usâ est autoritate adversus Fridericum I. Ludovicum Bavarum &c. Sextò tempore Pauli IV. quando Carolus V. Ferdinando fratri renunciavit Imperium in manus Electorum, à doctissimis Viris multum agitata fuit quæstio: An Imperator potuerit hoc facere præterito Pontifice in manus Electorum, cum isti illo inferiores sint; fuitque decisum tunc in consistorio, Imperium non potuisse sic resignari, haberique pro derelicto, ac Pontificiæ dispositioni reservari. Fundantur præfata prætensiones in quodam libro Nicolai Aragonii & altero Celsi Camerarii, ubi ad hanc rem Bullæ innumeræ adstruuntur.

Mitiùs de hæc Pontificum prætensione differunt alii, ideoque verisimilius: ajunt enim, ante Constantinum Magnum

num semper fuisse unum indivisum Imperium Romanum, ab illo autem tunc divisum, quando ille Constantinopolim, ex Bisantio, secundam Romam, creavit, ibique alterum Senatium cum Consule sibi constituit, cœptumque postea dici Orientis illud, hoc Occidentis Imperium. Ab Excessu autem Constantini reipsâ divisum fuit, cum ejus filii, Orientale Constantius, Occidentale Constantinus & Constans hæreditate accepissent. Postremis his vitâ functis, rediit Imperium totum perseveravitque in Constantio: sic in Successore Juliano, & post hunc, Joviano, qui Soli totum Imperium, unicumque regebant. Valentinianus & Valens illos consecuti, aliique successivè usque ad Augustulum, Imperatores, divisum rursus tenuerunt Imperium, unus nimirum Orientis, alter Occidentis.

Expulso autem ab Odoacre, Augustulo, Barbari occupârunt Occidentale, nec ullus Imperatorum amplius, usque ad Justinianum, qui Belisarii & Narsetis ope Gothos & Vandalos oppresserat, rexit utrumque Imperium. Justinianus autem plus colebat Græciam, Orientique assueverat magis quàm Occidenti, quem ille administrabat per Exarchos, sicque continuatum per tria fermè sæcula; Occidente præsertim Italiâ totaliter expositâ Longobardis, ferisque aliis gentibus, ut pro derelictò videretur Occidens. Tunc in opem vocatus è Franconiâ, ditione Germanicâ, Carolus à Papa & aliis desolatis quâ quâ populis, quorum extemplò se Vindicem præstitit, & liberatorem se egit Italiæ, Sacræque Sedis in pristinum domicilium restauratoris. Exhinc mille encomiis celebris, rerumque gestarum famâ, Sacræ Sedi Apostolicæ, apprimè charus meruit, postquam jam Francorum, id est, Germanorum Rex esset à Leone III. Anno Christi 801. ipso Natalis die, Imperator appellari, ungi, & coronari. Superiora constant plusquàm liquidò ex historiâ: Ultima, quia inter tot controversa vel malè interpretata sunt, majore fide indigent. An autem fidem majorem alibi quæremus, quàm

apud eos, qui avo Caroli, & tempori hujus solennitatis convixerant; & vel solennia hæc oculares testes inspexerant, vel ex ore Caroli, utpotè cum unus, nempe Paulus Diaconus Casari familiaris & domesticus, alter, nimirum Eginhardus à secretiori consilio & Cancellarius fuisset, audierant? Paulus Diaconus lib. 25. Rerum Romanarum ita scribit: Coeterum Leo, vicem Carolo recompensans, in Imperatorem coronavit eum, id est Carolum, in templo S. Petri Apostoli perungens oleo à capite usque ad pedes, & circumdans Imperatoriâ veste. Eginhardus in vitâ Caroli sic fatur: Carolus Augusti nomen primò in tantum averfatus est, ut affirmaret, se eò die quamvis præcipua solemnitas esset (erat enim Natalis Domini) Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Historia autem Francorum, licet incerto sit Authore, ita ad Annum salutis 801. commemorat: Ipse, id est Carolus, cum die sanctissimo Natalis Domini ad Missarum solemniam, Basilicam, Beati Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram Altari, ubi ad Orationem se inclinaverat, assisteret, Leo Papa Coronam capiti ejus apposuit, cuncto Romanorum populo acclamante, Carolo Augusto à DEO coronato, magno & Pacifico Imperatori Romanorù Vica, & Victoria. Exindè profectò nec Imperio, nec Imperatoribus ulla irrogata est injuria, aut Dominii potestatisque præjudicium. *Suo enim consilio*, ut ait Eginhardus, & procul dubio inspiratione divinâ (nec ullo modo procurante Carolo) id egit Papa, & confecit Authoritate suâ, ut (quemadmodum historia Francorum memorat) *proclamaret illum populus Imperatorem; beneficium* (ut Paulus Diaconus ait) *recompensans beneficium*. Fuit nimirum beneficium Pontificis in Regem coronatio Imperatoris, sicuti erat beneficium Regis in Pontificem Restitutio in propriam Sedem, quod beneficium Pontifex Adrianus in superius commemoratâ Epistolâ ad Fridericum Imperatorem *Bonum factum non feudum* intelligi debere declaravit, ut citatus Radevicus habet. Ac proindè sicuti per hoc,

hoc, quod Rex Carolus restituerit Leonem in Sacram Sedem, non fecit illum sibi Vasallum, ita nec Pontifex recompensans beneficium, declarando Carolum Imperatorem, sibi illum subiecit ut Vasallum. Quod autem dicatur Imperator (sicuti omnes alii Reges) subiectus esse Pontifici, intelligendum est non titulo Domini, sed gratitudinis, Filiationis spiritualis, Reverentiæ in Vicarium Christi, & denique, quia est membrum Ecclesiæ, & Ovis in Ovili Christi, sicut omnis alius Christianus.

Hinc Cardinalis Bellarminus *tomo 2. lib. I. c. 3.* quem alias, Heterodoxi impiè dilacerant, ita declarat hanc Ecclesiæ Doctrinam: *Ecclesia non dicit Augustum precario regnare; quin contra potius affirmat, Regnum illum habere ex electione Principum suorum, à se autem nomen Imperatoris. Ex electione, inquit Papa, Principum suorum habet nomen Regis, ex confirmatione nostra habet nomen Imperatoris.* Ideò per hoc in sequelam trahi non potest, quod Imperator non habeat Regiam potestatem à DEO, cum à Pontifice solum Imperatoris nomen habeat: neque ideò est Vasallus Ecclesiæ, ut quidam Romani adulescentes & etiam Galli, quibus Imperii dignitas festuca est in oculis, jactitabant, ut paulò ante dictum est: Neque hoc in præjudicium cedit Sacro Imperio, quod ita à supremo Christianorum capite recompensatus sit Carolus. Quis enim ita insanit, ut dicat, per hoc, quod acceperit nomen Augusti Carolus, ut ideò sit factus Vasallus Pontificis, aut ut beneficium acceptum inferat debitum obsequium? neque exhinc quispiam arguet, Carolum Imperium non armis ac virtute suâ meruisse, aut non ab omnibus latè populis & gentibus Occidentis, qui absque vero Rectore, post Augustulum hinc inde à Barbaris discruciantur, exoptatum fuisse? Quanti ad Regna evaserant ex pessimorum & seditiosorum hominum consilio, auxilio, citra ullum tamen præjudicium Regnorum & Regnantium? an igitur solummodo turpe, omnibusque præjudiciis obnoxium erit, beneficio

& Authoritate Sedis Apostolicæ, quæ tunc in Occidente multum valebat, Imperatorem esse, à Papâ coronari, à Christi Vicario in thronum evchi? Imò hoc dignitas Imperialis exigebat, ut cum illa sit Summa in Mundo, à Maximo Mundi Antistite coronaretur. An majorem ideò potestatem habebit Rex Franciæ, quod inauguretur ab Episcopo Rhemensi, quàm Cæsar, qui à Pontifice Orbis Maximo? Imperatoris Majestas tanta est, quantam nullus Monarcha in Christiano Orbe habet, cum sub ejus Majestate degant coronati Vertices, ac Potentiæ principalissimæ, quæ ab ejus Majestate participant suam Majestatem in suis territoriis. Indignum proinde non est, hanc tantam & supereffluentem Majestatem à Vicario Christi confirmari eâ nimirum comitate, ac Leo Carolum M. constituit. Et hinc inanes reipsâ conatus sunt Heterodoxorum, qui arreptâ occasione ex potestate Pontificiâ in Imperium, Sacro-Sanctam fidem Catholicam infamare gestiunt, & erronea quæque instillant animis Principum sæcularium, atque de Sanctissimâ Sede iniquissima quæque judicia formant. Enimverò hæc potestas in Imperium alia non est, quàm in alia quævis Regna Christianitatis, nimirum Potestas quædam *secundum quid*, id est, *in necessitate Salutis animarum curandâ*, nam Imperator, Reges & Principes sunt oves, & de ovili Ecclesiæ.

Porro hoc in Carolum Magnum à Pontifice translatum Imperatoris nomen & Diadema continuavit jure hæreditario in posteris per septem non interruptos Successores, Ludovicum, Lotharium, Carolum Calvum, Ludovicum Balbum, Carolum Crassum, & Arnulphum; qui omnes à diversis Pontificibus in Imperium inaugurati, pro veris Occidentis Imperatoribus in omni historiâ agniti fuere. Duos autem sequentes, nempe Arnulphi filium, item Conradum, ex alio Conrado Arnulphi nepotem, cum quibus desit Imperiale genus Carolinum, prætendunt Pontifices non fuisse Imperatores, quia non fuerunt à Sacrà Sede confirmati nec coronati;

nati; Erant tamen Reges Germaniæ. Hinc acriùs quæritur: Quâ ratione igitur, extinctâ Carolinâ stirpe, interruptâque Imperatorum serie rursus in Germaniam translatum est Imperium Occidentale? Sunt quidam Politici, (sed historiæ fortassis non ita periti) præter Heterodoxos omnes, qui putant, invito Romano Pontifice per Henricum primum ex Patre Saxonem, ex matre Franconem devenisse Imperium ad Germanos, quia iste à Pontifice, nec unctus, nec coronatus fuit, rexit tamen, ut alii Imperatores, Imperium. Quibus stantibus videtur illis, non à Papâ in Germanos, præsertim Saxones, translatum fuisse Imperium: quod è contra mordicè prætendunt Pontifices, ajuntque, præfatum Henricum Saxonem non Imperatorem, sed Regem fuisse Germaniæ. Et probant primò ex libro primo gestorum Saxoniorum Vitichindi coævi Henrici, qui ita scribit: Cum ei (id est Henrico) offerretur unctio cum Diademate à Summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat: non sprevit, nec tamen suscepit, satis, inquit, mihi est, ut præ meis majoribus Rex dicar & designer divinâ annuente gratiâ & Vestrâ pietate: penes meliores verò nobis, unctio & diadema sit: tanto honore, nos indignos arbitramur. Huic concordat etiam Kranzius, *de rebus Saxonibus cap. 2.* Ideò distingvunt Pontifices Imperium Caroli Magni & ejus Successorum, quod hæreditarium fuit, ab Imperio moderno, quod electivum est: Etenim hoc non in Henrico præfato, sed ejus filio Ottone I. auspiciis Joannis XII. incepit, postquam per multos Annos Occidentale Imperium cessavisset. Neque satis dicunt illud asseri, ante Ottonem, electionis Jus in Germaniâ fuisse: nam electio illa Regum Germaniæ erat, nullo adjuncto titulo Imperii: ut alii solent eligi Reges. Imò toto eo tempore, quo ritus eligendi in Germaniâ observabatur, in Regno Galliæ, in quo posteri Caroli Magni continuò regnâvere, titulus Imperii nunquam usurpatus est, cessavitque penitus hæc dignitas in toto Occidente usque ad Ottonem, qui à

Ponâ-

Pontifice primus Occidentis Imperator creatus fuit, id quod Historiæ omnes commemorant Rhegino Abbas lib. 2. Chronici Luitprandus lib. 6. de rebus in Europam gestis: expressissimè autem Lambertus Schaffnaburgensis inquit: Otto Rex perrexit Romam, eumque Joannes Papa gratanter suscipiens honorificè super Cathedram Augustalem posuit, & benedictione atque consecratione suâ Imperatorem fecit. Brevius Marianus Scotus in Chronico: Otto, inquit, Romam veniens Imperator efficitur à Joanne Papâ. Huic Successor designatus Otto secundus ejus filius: post ejus mortem cum Germani Germanum Imperatorem, Itali verò Italum exoptarent, Papa illorum temporum, qui fuit Benedictus VII. tertio Ottoni Imperium contulit: cujus quamquam tumultuaria fuisset Electio, tamen à voluntate Pontificis vires atque vigorem suscepit. Ottonis tertii tempore rexit Ecclesiam Gregorius V. qui natione Germanus & Patriâ Saxo fuit. Is igitur suam patriam nationemque insigni aliquâ dignitate ornaturus sanxit, ut penes solos Germanos Jus esset eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator & Augustus appellaretur. S. Thomas Aquinas lib. 3. de Regim. Princ. c. 19. id ipsum asseverat: Otto Imperium tenuit usque ad tertiam generationem, quorum quilibet vocatus est Otto. Et extunc per Gregorium V. genere similiter Teutonicum provisâ est Electio, ut per 7. Principes Alemanniæ fiat. Aliàs, nisi Imperii institutio deferatur Authoritati Pontificiæ; non videtur ratio esse, cur electus Germaniæ Rex sit magis Imperator, quàm quispiam alius Rex, sive Italiæ, sive Galliæ, sive Hispaniæ? Neque obstat, quod Carolus Magnus (nam hoc de Ottonibus opponi non potest) ante coronationem Longobardos ab Italiâ profligaverit: per hoc enim, si meruit Imperium, non tamen illud Jure Belli occupavit: aliàs omnes Reges, qui unam Provinciam Romanam occuparent, dici possent Bello occupasse Imperium, quod dicere, longè ab æquo alienum est. Unde nec Carolus licet

licet Longobardorum fuerit victor & Italiae triumphator, sibi tamen ante coronationem non arrogavit Imperatoris nomen, ut testatur Abbas Urspergensis, dicitque Carolum rexisse quâ Regem triginta tribus annis, & imperâsse quatuordecim. Ejus verba sunt: Carolus Magnus, Rex Francorum, Romanorum Imperator consecratus est anno Regni sui 33. Imperii Primo. Duo adhuc restant ad fundandam Pontificum præensionem. Primò: an Carolus M. dono aut cessione ante coronationem acceperit Romanum Imperium? Secundo: an Papa illud transferendi in Germanos potestatem habuerit? Illud Historicorum nemo affirmavit, sed contrarium, Eginhardus in vitâ Caroli, cujus Cancellarius fuit, nimirum, quod Carolus invidiam suscepti Nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus, super hoc indignantibus, magnâ tulit patientiâ. Quod autem post coronationem in id consenserint, Augustumque compellaverint, effecerunt multæ ultrò citròque missæ legationes, & ut Kranzius scribit: *magnâ superavit pecuniâ.*

Secundum prætendunt Pontifices ex eò, quod sicut cœleste Regnum præstet terrestri, ita Potestas sæcularis subalterna esse debeat Potestati Ecclesiasticæ ex fine & causâ spirituali & supernaturali: nimirum, ne Reges & Regna Christianorum, Christi Regnum impediunt. Quo casû potest & debet Papa congruentia media adhibere, cum ipsius Potestas quoad spiritualia sit universalis, à DEO ipsi sine exceptione ullâ data, super omnes DEI filios, inter quos, quis dubitet, Reges etiam esse, Imperatores, Principes, dicente Apostolo ad Rom. 12. *Unum enim sumus corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*

Et hæc sunt præensiones Pontificiæ, quas multi nimium exaggerant, quia mentem Ecclesiæ non intelligunt, & eorum Principum oculis Pontifices abominabiles reddere conantur livore procul dubio & odio Sacræ Sedis ducti: Cum tamen eæ tantum obsint Imperio, quantum cuicumque alteri Chri-

ftianorum Principum Regno. Quidquid enim prætendit Pontifex, prætendit ut Vicarius Christi, utve Pastor spiritualis animarum. Aut igitur non simus Christiani, aut pareamus. Secus si imperat Pontifex, non imperat ut Pontifex, sed ut Homo Errori obnoxius.

9. A Christianitatis matrice Romanâ Apostolicâ Sede ad primogenitum ejus, Franciæ Regem, provehor. Is Regnum Castiliæ prætendit, cò quod mater Ludovici Sancti successerit Henrico Fratri suo in Regno Castiliæ. Sibi quoque in Regnum Portugalliæ Jus arrogat: Alphonso siquidem duo obtigere Filii Sanchetus & Alphonfus: Illum incapacitas propria throno dejecit; hunc elevavit favor Procerum. Rex igitur factus Alphonfus duxit Mathildem, & ex hâc habuit Robertum, unde Bulionenses Principes; & ab his Jus per Magdalenam Medicæam obvenit Cathariæ Medicæ, Franciæ nuper Regum Genitrici. Interea historia testatur, ab Alphonso repudiatam fuisse Mathildem, & ex Beatrice suscepisse Dionysium Filium ab Urbano IV. legitimatum, unde successivè Reges Portugalliæ prognati. Arragoniam similiter aucupatur, propter Investituram concessam à Martino quarto Pontifice Carolo Valesio Philippi Regis Franciæ filio; excluso, & diris devoto Petro Arragonio propter immanes illas Vesperas Sicilianas, & cruentam stragem Gallicæ ibi gentis.

10. In Italiâ prætendit Regnum Neapolitanum ex triplici capite. Imò Jure Belli expulso indè per Ludovicum XII. Carolo Friderici secundi spurio. Secundò ex Institutione testamentariâ Comitis de Maine. Tertio: ex Adoptione Reginæ Johannæ factâ Duci Andegavensi.

11. Mediolanensem Ducatum affectat ex nuptiis contractis olim inter Ducem Aurelianensem & Valentinam, ultimam ex Galeazio Duce Mediolanensi prolem. Habuit etenim Filium Joannem, Philippam & Valentinam. Ille sine prole decessit; Philippa præmorta Valentiæ; Hæc Jure Sangvinis quidem proxima; Imperii feudum non tam ab Imperato-

re accepit, quàm invasit. Ideò Carolus V. Caducitate pronunciatâ ab Ordinibus Imperii super præfato Ducatu, liberâ dispositione, quâ Imperator, & feudi ad se devoluti Dominus, Philippo secundo in feudum consignavit.

12. Exsolvit hunc ictum Gallus Hispanis, cum deinceps Henricus quartus Italiae claves Sabaudis surriperet. Nullo enim Jure, nisi dominandi libidine & in æmulationem Hispaniæ Potentiæ, armis hostiliter occupavit Ducatum de Saluzo, clavim nimirum Italiae; eovè sive minis, sive pollicitationibus speciosis, & solitis, apud Gallos Reges, blanditiis adegit Sabaudum, ut secum Jure transigeret, & in commutationem Ducatus, certum, Galliae vicinum, territorium acciperet. Ab eodem deinde Nizzam prætendit Jure territorii utpote sitam in Provençâ: Sicque sensim Allobrogum Regulum circumvenit Gallus, ut illum magis captivum habeat, quàm liberum S. Imperii Principem. Interea in tantum inescant Galliae illecebræ, matrimonia, speciosa promissa, & spes imaginariarum Successionum optimum Principem, ut propè non videat suam calamitatem, neque sentiat compedes antiquæ suæ libertatis. Verum Sabaudus nunc conversus in se, non ampliùs audit Syrenes Franciæ, suo periculo expertus ex sopore Gallico aliud non percipi, quàm somnia & umbras. Egregii profectò Syllanæ Politicæ Imitatores Galli: Si alicujus Potentia sit dissolvenda, erit hoc paulatim, & sensim faciendum: nec universa simul auferenda, prætereaque omni contumeliâ abstinendum. Quo opiato dementârunt Galli Mantuanum? quâ arte circumvenerunt Lotharingum? quâ alios olim vicinos Principes? palâm ex historiâ liquet: Et nihominus super tam caduca fundamenta suas stabiliunt Galli prætensiones; imò jam multas univerunt Coronæ Provincias; cui tantum in illas jus, quantum olim Neroni, qui dicebat ejusdem Regibus rationis esse, sive jure, sive injuriâ acquisita.

13. Denique Gallus hoc ævo prætendit Monarchiam uni-

versalem in Europam, pro quâ, ab Henrici IV. tempore supra sæculum conficiatur cum Hispano & Domo Austriacâ, dubio usque huc utrinque eventu, nisi auspicio hujus novi sæculi septingentesimi virus teterrimum, quod tanto tempore recondebat animo, palàm evomisset, occupatis in utroque mundo Hispaniæ Regnis & Provinciis omnibus. Altiùs rem repeto: sed breviter.

14. Ab Anno 1630. satagebat Gallia tam occultis machinationibus, quàm aperto Marte (ubique tamen strenuè & extremo conatu) ut domum Austriacam, & Germaniæ Principum libertatem opprimere, seque in Germaniâ, nobilissimâ hæc Europæ parte stabilire, vel aliquo modo pedem figere posset. Hinc tot remoræ apud Electiones Cæsarum; Suggestiones Capitulationum; liga Rhenana; & centum talia, quæ durum erat concoquere Domui Austriacæ. Plurimum autem adlaborabat, ut hanc Domum Augustissimam divideret, & Hispaniam à Germaniâ separaret, & illam mediis quibuscunque sive bonis sive malis sibi adscisceret. Quod ab eo tempore & ante, per matrimonia ultrò citròque contracta, collocatis in Galliæ Reginas Hispaniæ Infantibus, & vicissim in Hispanos ex Regio Galliæ gynæcæo Virginibus: Interim tamen Gallus Hispanos per continua bella, vel per se, vel per alios fatigabat, ut parum admodùm videretur hymen contulisse Pacis. Et hoc, eò fortè fine, ut aliquando, emendicatam illam per matrimonia Juris speciem, tantò faciliùs in inermem, vel enervatam Hispaniam exequi valeret, quod fermè eventus tulit: Umbras deindè suggerebat Italiæ Principibus, & singularia quædam prætendebat Romæ; non sine præjudicio Sacræ Sedis. Christianissimum se inde jactitabat, quod Solo & Patriâ Galliæ, pelleret proprios Cives ob Religionem extorres, ac bonis avitis exutos; cùm interea in Imperio, Belgio, & Hungariâ post & ante foveret omnis sortis Sectarios adversus Austriacos. Anglis & Hollandis submittebat pomum Eridis, ut se invicem colliderent, nec obsistere valerent

divisi Gallico Dominatui. Auram captabat apud Potentias septentrionales sub prætectu periclitantis. Germaniæ libertatis, re ipsa Protestantium Religionis, jactis ubique diffidentia femi nibus, ut sic suspectum redderet zelum fidei & pietatem Austriacorum. Quid amplius? Turcam ipsum Hæreditarium Christiani Nominis hostem, in ruinam Austriæ (vel Christianitatis potiùs,) armabat consilio, & ope, sibique, hostem communem fidelium, perpetuo fœdere, colligabat in Amicum, adversus caput Christiani Imperii. An non hæc, non unius Austriæ, sed Europæ fermè universæ destruendæ machinamenta? Suspendimus nostrum relicto Prudentioribus Judicio.

15. Et reverà vastum hoc Systema effectu suo non planè frustrabatur. Vidimus enim à Gallis desolatam, expilatam, cujus se Protectorem jactabat, Germaniam; adjectâ sibi armorum jure Burgundiâ, Alfatia, Argentinâ, & aliis Germaniæ ditionibus: Gallizatam per Matrimonia Hispaniam, corruptis in eorummet futuram perniciem, Regni Grandibus & Aulæ Ministris; collisos invicem Anglos & Hollandos, hinc illinc diù interruptis commerciis: Sveciam, Germaniæ, exuviis Bremâ & Pomeraniâ gloriosam. Italiam mutilatam Pontificem humiliatum. Ottomannum in Austriacis visceribus non semel, Barbarorum more, tyrrannizantem. Nihilominus tamen toto spatio hoc 70. Annorum non assequi Gallia valuit, quod in Europam prætendebat, Monarchicum videlicet arbitrium; donec elapso sæculo vitâ elaboretur Carolus secundus ex Austriacorum Cesarum avitâ stirpe non minus sterilis quàm infelix surculus, is namque ex Gallorum asserto testatus decessit, relicto hærede universali Duce Andegavensi, Nepote Galliæ Regis, & Primogeniti Dauphini filio, in omnibus Regnis & Provinciis totius Hispaniæ Dominatûs. Et hinc fundant Galli suam prætensionem, vel invasionem potiùs ditionum omnium hispanicarum utriusque Orbis, quæ fermè immensæ sunt, maximè, si, quod Gallis

solitum est, dependentiæ illorum Regnorum & Provinciarum considerentur. Nihil illis ex hoc principio deerit, quin totam Europam magnamque partem Africa absorbeant. Ictum feralem expecta Hollandia, Anglia, Italia, Portugallia, Sacrum Imperium, nisi unanimiter & strenuè restiteritis vestrique conatus ponant, modum Orexi Gallicæ; quæ quidem insatiabilis est, penes tamen nescia *parta tueri*.

16. Ajunt igitur Galli, Testamentum condere esse meræ & liberæ facultatis à Jure gentium, ne dominia sint in incerto, introductum; & à lege civili planè permillum, si etiam Testator inducatur blandis verbis ad testandum vel legandum. lult.c.fi quis. Maximè ubi intercedit ratio, sicut hîc intercessit, maximè *Status*. Nam nisi testamentum condidisset in favorem Gallia, undequaque exponebatur Hispania hostilibus *armis*. Jam enim imminebat Tallardus cum triginta millium exercitu; & interea dum res ageretur, subsistebat in Cataloniâ: Confinita fautoribus & amicis Gallia jam prius consignata: Magna Hispania Grandium pars (hi Primates censentur Regni) cum Cardinali Portocarero, destinato Regnorum omnium Præfide, & Primo Regente, auro gallico, promissis & blanditiis corrupta. Adeo ex ipsâ Ratione Status intererat quietem reliquissè subditis, quâ plus Carolus vitâ excedens dare non poterat.

17. Accedit aliud Gallis fundamentum, nimirum propinquitas sanguinis, quæ omni Jure remotiores excludit. Ajunt etenim rursus illi: seponamus testamenti jura, & supponamus Carolum decessisse intestatum, quid inde juris accrescere potest Austriacis, cum ipsè Rex Gallia, filius & Nepotes proximitate sanguinis prævaleant Cæsari ac ejus filiis, Regi videlicet Romanorum & Carolo Archiduci tunc, nunc Regi Hispaniarum. Vixit quidem Ludovicus XIII. cum Anna Austriaca Philippi tertii filiâ viginti annis sine prole, sed tandem foecundata genuit Ludovicum XIV. moderni Dauphini Patrem & Andegavensis Avum. Ludovicus autem XIV. susce-

fulcepit ex Mariâ Theresiâ , Philippi IV. majore filiâ & Infante Hispaniæ Dauphinum Primogenitum, qui Andegavensem (modernum proclamatum Regem sub nomine Philippi V.) genuit, & Hispaniæ dedit. Is enim jure uterino prædecessori Carolo conjunctus (quia hujus ex sorore Nepos est) prævalet proximitate Austriacis tam Josepho Regi Romanorum, quàm Carolo Archiduci, quorum descensus non ex Hispanâ, sed ex Neoburgicâ est. Prævalet ipsi Imperatori Leopoldo, qui ex Maria Austriacâ Philippi tertii filiâ descendit quidem, at Philippus V. ejusque genitor Delphinus, ex Filiâ Philippi IV. adeoque Carolo II. qui filius fuit Philippi Ejusdem, & Frater Mariæ Theresiæ, proximior consanguinitatis, adeoque etiam successionis Jure.

Et hæc præter, præfatas, maxima modo Galliæ in Hispaniæ ditiones prætensio est. Imò non prætendit amplius, sed ut rem suam possidet per Philippum V. Andegavensem, totum Hispaniæ Imperium, ultrò in obsequium Galliæ recentibus Hispaniæ Magnatibus. Quod hætenus insolitum & olim ob gentis antipathiam ridiculum fuisset. Interea Eventum à Superis expectamus. Felicitabunt isti (nulli dubitamus) veri Hispaniarum Hæredis Caroli III. Regis Catholici justos conatus.

18. Insuper (quod planè intolerandum est) prætendunt Galli, Jure, an prætextu *Legis Salicæ* omnia, quæ Regi in hæreditatem cedunt, & externa quæque, quocunque Jure illi obveniant, Coronæ Franciæ indissolubiler incorporari, uniri, & Juris Gallici fieri, sublato omni Jure tertii, relictionis, & cujuscunque municipalis consuetudinis.

Nemo quidem diffiteretur, quod Lex Salica *Gallorum Jus gentium*, ut Baldus *in lege si plures*, firmissimum Regni Gallici fundamentum, ut Bodinus, *privilegium & consuetudo Coronæ Franciæ*, ut Martha, *certissimum Franciæ Palladium* sit, ut Thuanus & illi asseverant: Sed malè extenditur hæc, & extra significationem rei. Illa quippe nec in omnes Gallicæ Coronæ

Coronæ Regiones, minus ad externa Regna, Successiones & hæreditates, quæ Gallici Juris non sunt, nec in terrâ Salicâ reperiuntur, extendi valet. Aliàs lex hæc sic extensâ omnia Imperia, Regna, ditiones, mundumque totum sensim & successivè absorberet, quod nulla unquam Monarchia, nec ipsa Romana Respublica contendebat, avertant Superi tantam voraginem tantamque Charybdin. Enimverò Lex Salica, quæ ante Coronam & Regnum Galliæ multis centenis annis in vigore, & ante Caroli tempora, præter modernorum Gallorum affectatum zelum, inviolabilis erat, condita fuit à Franconibus, qui tractum illum inter flumina Rhenum & Salam ad Mœnum usque inhabitabant, neque aliud comprehendebat, quàm Regionem præfatam, ac interjacentem prænominatis fluminibus Rheno & Salæ. Hæcque Terra Salica propriè dicitur, quam deinde etiam *Dominicatum* (ut Coccius insinuat in Dagoberto cap. 5.) dixere Veteres: quasi propriè, solique terræ illius Domino inserviens. Sala quippe dictio Franca est, quæ aulam, id est, *Saal* significat, ubi jura dabat Princeps loci. Hinc etiam dicitur Salicus Codex vel *Saal Buch*; quo Principum Procerumque reditus inferuntur.

Habeat igitur suum pretium Lex Salica in loco, ubi prognata est, nec exerat se in alienum solum, ubi ejus memoria non habetur, & quod fortè ante Gallias vel à suâ duntaxat origine provisum est legibus suis fundamentalibus, legi Salicæ oppositis. Paucis: Lex Salica plus valere non potest, quàm cum lata fuit (intellige respectu externorum) Ejus tenor non comprehendit hæreditates obventuras, sed terram tantùm Salicam, quam paulò antè attigimus, quæve sola suo Domino soli inserviebat & mancipabatur. Quâ ratione igitur & autoritate illam extendunt Galli in alia Regna & ditiones? an ideò, quia hæc ab illis per summam injuriam occupata, illa justificabit, & Gallici Juris faciet?

19. Hispaniæ quoque, ut olim erat ante præfatam Gallicam

licam usurpationem, præfensiones magnæ fuere. Ac imprimis in Cataloniam & Ruffilionensem Comitatum, quæ Rex Franciæ jure Belli, de cujus Justitiâ dubitatur, sibi ufurpavit. Regnum quoquè Portugalliæ prætendebat Philippus secundus per Ifabellam matrem, quæ descendebat ex sanguine Emanuelis Regis, & soror erat Henrici ultimi Regis Lusitani. Sed æmulam habuit Catharinam Eduardi Henrici præmortui filiam, quæ Jure repræsentationis exigebat Regnum Portugalliæ, quod Eduardo Patri suo, veròque Hæredi masculino, & ex Emanuele Rege descendenti omni jure debebatur. Verùm Philippus secundus ex jure materno, ut ex proximitate gradûs excludentis, fratris Eduardi filiam Catharinam, cum soror fratris filiâ gradu propinquior sit, ac neptis, filiæ cedere debeat, præsertim in Regnis & feudis, ubi ætas & primogenitura spectatur, Regnum Portugalliæ non tam sibi arrogabat, quam tempestivâ armorum irruptione vendicabat. Vis hæc non longum ævum meruit. Nepos enim Philippi secundi, id est, Philippus quartus, ob insolentiam suorum Ministrorum, publicè ab Optimatibus & Clero Regni Portugalliæ ejuratus, expulsis vel trucidatis Hispanis, & in Regem assumpto Duce Bregantino, qui à Catharinâ Eduardi filiâ, adeoque legitimâ Hærede descendebat. Eodem modo prætendebat Philippus II. Ducatum Britanniæ, quem jam prius quatuor Reges, Franciscus Primus per Claudiam ex Annâ ultimi Ducis Filiâ, & Hærede descendente, sibi que maritatam, uti & tres filii Reges sibi invicem succedentes, nimirum Franciscus secundus, Carolus nonus & Henricus tertius possidebant. Contra quos allegabat Philippus secundus Jus filiæ suæ Matrem repræsentantis. Cui reponebant Galli, Ducatum Britanniæ coronæ Galliæ per Franciscum Primum incorporatum fuisse, cujus Hæres nemo extraneus esse potest. Egregia ars absorbendi omnes Principatus Europæ!

20. Imperator & Imperium Germaniæ à Gallis præten-
dit Ducatum Burgundiæ, quem aliàs, hi tanquam Galliæ seu-

dum ob mortem Caroli ultimi Ducis ad Regem Galliarum devolutum, sibi Jure deberi existimant. Rationem subjungunt, quod feuda à Coronâ dependentia ejusdem rationis sint, cujus ipsa Corona est. Cùm verò ex Lege Salica Corona Franciæ excludat foeminas à successione, idem censendum est in feudis Coronæ, quale est Ducatus Burgundiæ, quem Carolus sine prole masculâ decedens reliquit orbem, & caducum Franciæ.

At Imperiales hoc merè assertum Gallicum historicâ veritate diluunt. Nam anno Christi 1020. Burgundiæ Regnum, ut Rex possedit Rudolphus, Gener Burchardi Ducis Svevorum, ob Bertham sibi matrimonio junctam: & idem focer Conradi Imperatoris, qui, cum sine prole moreretur, successit ei Henricus filius Conradi Imperatoris. Ubi tunc fuere Galli, quod non prætenderint Ducatum suum, ut illi ferunt, & feudum Coronæ Franciæ? Constabat tunc Burgundiæ Regnum ex variis territoriis & populationibus, videlicet, Sequanis, Allobrogibus, Delphinatibus, & eousque, ubi Rhodanus mari mediterraneo conjungitur. Regnum verò hoc lapsu temporis in varios Dominos distractum, cœperat Regni nomen perdere, ac ipsi Reges, Burgundiæ possessores, cum se Imperio Germaniæ dederent & unirent, Regio nomini renuntiârunt: reservatis sibi amplis privilegiis & immunitate à præstationibus ordinariis Imperii inter Primos Imperii Principes sessione & eminentia conspicui.

21. Et si concessio Privilegii ex parte petentis obsequium, & ex parte concedentis superioritatem jure inferre præsumatur: Quis nesciat Carolum ultimum Burgundiæ Ducem amplissimis Provinciis dotatum, nervoque Belli in omnem partem provisum, ac aliàs gloriosissimum & splendidum Principem, ad Fridericum Imperatorem venisse, ac multis pollicitationibus flagitasse, ut rursus veteri nomine Regis Burgundiæ ex plenitudine Imperatoriæ potestatis condecoraretur? Proben Galli tunc Ducatum Burgundiæ fuisse feudum Franciæ, cum

cum exclusione foemineæ successione: Imò verò præsumptio Juris est in contrarium: Cum enim Ducatus & Comitatus Burgundiæ semper conjunctus, imò hîc alterius membrum indivisum fuerit, necesse est, corpus hoc unam eandemque rationem feudi habuisse: ac proinde sicut Comitatus, quod admittunt ipsi Galli, non excludit à successione foeminas, ita nec à Ducatu excludi eas posse censendum est, quia connexa ex ipsâ connexionem eandem sortiuntur naturam. Divisionem illam inanem excogitavit deinceps, post infelix fatum Caroli, Gallorum dominandi libido, & Vatinianum in Austriacos odium & æmulatio, ubi nimirum prævidebant unicam Caroli Ducis superstitem filiam Mariam, tantarum Provinciarum, quæ Regnum quodvis exæquant, hæredem, Maximiliano Romanorum Regi, à quo descendunt Reges Hispani, matrimonio jungendam.

Usurpat proinde Gallia Burgundiam, quæ omni Jure membrum est Imperii Germanici, & ad Hispanos Jure successione spectat.

22. Recenter post excessum Caroli Hispaniarum ultimi Regis (licet olim sub Ottonibus, Henricis, Fridericis, Conradis, aliisque Imperatoribus extra litem erat;) prætendit irrefragabili jure Imperator & Imperium, Ducatum Mediolanensem à Gallo armis occupatum. Est enim Mediolanum & semper fuit indisputabile Imperii feudum, quod quidem Carolus quintus anno 1554. Philippo II. assignavit, ea tamen conditione, ut semper & in perpetuum maneret Mediolanum Sacri Romani Imperii feudum, atque sub hâc tantum qualitate ab Hispano possideri, ac quoties deficeret linea Masculina Hispanica, toties ad Imperium devolvi deberet. Atque hoc pacto Ferdinandus primus cum Imperii Ordinibus consensit, & Philippum secundum juxtâ morem investivit. Jam verò cum post fata Caroli nulla mascula proles residua sit, quis ille tam protervæ frontis erit, qui Imperio neget jus in Ducatum Mediolanensem ex ipsâ naturâ feudi, quæ est, ut

deficiente Vasallo sine prole masculâ, feudum ad Dominum revertatur.

27. Ex eâdem ratione præten dit Provincias Belgicas, quæ anno 1300. à Burgundo sub Conrado primo Imperatore Imperio Germanico, ut liberum membrum & feudum sacri Romani Imperii unitæ fuerunt. Similiter dicendum de Regno Arelaten si, quæ omnia usurpat Gallus, & sine respectu justî, æqui & honesti jus omne suum in gladio reponit: adeò nihil extra antiquam Galliam possidet, quod non vel fraude & circumventionibus, vel iniquis armis occupâset. Denique quidquid olim Imperii fuit, & deinceps Imperio vel subtrah tum vel ab Imperatoribus distractum divenditumque vel exterorum armis occupatum est, in id omne moderni Imperatores & Imperium justam prætensionem habent. Regalia quippè Imperii, inter quæ ditiones, provinciæ & jura territorialia præcipuè censentur, ex ipsâ Lege fundamentali Imperii abalienari nec debent, neque possunt. Idem tenendum de iis, quæ Imperio injustis armis adempta, vel sub- & obreptitiè in variis pacificationibus, uti in Monasteriensi anno 1648. in Neomagensi 1679. & in ultimis induciis anno 1684. variis artibus & prætextibus extracticata sunt. Necessitas succumbentis Imperii metusque majoris discriminis, nihil ad justam possessionem confert in vasoribus: mala enim fides, & titulus violentus vitia sunt possessionis. Deum immortalem! an Ludovico decimoquarto obtinuisse non sat erat Brisacum cum toto Landtgraviatu Alsatiæ, ac rursus decem inibi Imperii Urbes, ac tandem Argentinam nobilissimam Imperii Urbem cum suo territorio in ultimis ad viginti annos productis jurèque jurando à Gallo confirmatis induciis, ut seposito hoc, neglectaque omni humanâ fide, nihilominus anno 1688., quarto nimirum post inducias sacrosanctè juratas Anno, cum Imperator Turcico Bello detineretur, rursus hostilibus armis Imperium invaserit, ac primarias ac nobilissimas Imperii Urbes ad incitas redegerit, & latroci-

niis suis, injuriisque in sacra & profana tyrannorum omnem morem exsuperaverit, ut liber, *Frankösische Tyranny im Reich*/satis comprehendit. Jus profecto in armis non est, sed arma à jure justificare oportet. Jus metam ponit armis, non insana orexis dominandi.

24. Domus Austriaca olim varias prætensiones habuit tam in Regnum Bohemiæ ejusque adjacentes provincias, quàm, & præcipuè quidem, in Regnum Hungariæ: Verùm cum tractu temporis utrumque in hæreditatem Austriacam transiit, cessant avitæ illæ prætensiones, mutatæ in justam & legitimam possessionem, quam DEUS in finem usque mundi optimæ genti benignissimè sospitet. Porrò adhuc tamen prætendit jure hæreditatis & successionis Regnum Neapolitanum & utramque Siciliam. Mira hæc prætensio multis videtur, sed veritate historicâ nititur, posteaquam enim ab excessû Wilhelmi secundi Regis Neapolitani, Siculi, & Apuli, Proceres præfatorum Regnorum, Rogerii Regis filium extra legitimum thorum procreatum, in Regem elegissent, obstiit Pontifex Cœlestinus tertius tam ineptæ electioni, eamque irritam declaravit, datâ Rogerii legitimâ filiâ Constantiâ Henrico VI. Friderici Cæsaris I. Filio, in sponsam & conthoralem, unâ cum prædictis Regnis Neapolis, & Siciliæ, eo tamen pacto, ut novi hi conjuges possiderent memorata Regna tanquam feudum Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ. Successit his Fridericus secundus Cæsar, Friderico Henricus VII. huic Conradus II. Imperator, omnes Sveviæ Duces, Conradum toxico sustulit è vivis illegitimus ejus frater Manfredus, & utramque Siciliam vi occupavit. Interea Conradinus ultimi Sveviæ Ducis & Imperatoris Conradi filius legitimus, jam adultior factus, ut usurpatores paternæ hæreditatis, Andegavensem nimirum Gallum, & Manfredum spurium è Regnis suis pelleret; vocatus ab utriusque Regni Proceribus & factione Gibellinâ; venit quidem cum exercitu, sed infeliciter pugnavit, traditus ab incurio piscatore, & captus à Carolo

Andegavenſi, unà cum Friderico ultimo Duce Auſtriæ. Et quia Carolo reſcriptum, conſultúmque Româ fuerat norum illud: *Mors Conradini, vita Caroli, vita Conradini mors Caroli*: impiſſimo fato occumbere debuit Conradinus cum Friderico Auſtriaco à carnificis manû. Sed inde nihil Juris accrevit Andegavenſi, in Sveviæ Ducum hæreditatem, niſi quod tyrannis ſolet metus, vermis, & animi laniena. Itaque ſublato Conradino ultimo Sveviæ Ducum ſureulo, cujus hæreditarii Status ad Imperium devoluti à Rudolpho I. tunc Imperatore, filio ſuo Rudolpho ſecundo, per ſolitam inveſtituram, & ex conſenſu Ordinum Imperii rursùs conſignati. Rudolphum ſecutus eſt Albertus primus Imperator, qui Eliſabetham Carintham, cujus Mater Conradini ſoror erat, in matrimonium duxit, & cum illâ Fridericum tertium Germaniæ quoque Imperatorem procreavit. Et hinc, ex proximitate videlicet ſanguinis, fundant Auſtriaci ſuam prætenſionem ac jus indiſputabile in Regnum Neapolitanum & utrâque Siciliam.

25. Verùm ſicuti ſæpè ſæpiùs Jus non deficit, deficiunt autem non rarò vires, & occaſiones recuperandi deperdita: ita in hac prætenſione juſtiſſimâ remorati & retardati ſunt Principes Auſtriaci, tam per Bella interna, quàm externa, quin minùs remotiora querere ac revindicare potuerint. Albertus quippè primus præmaturo parricidio obiit: Fridericus ejus filius perpetuâ viciffitudine, cum Ludovico Bavaro pro Imperii Coronâ, ſuggerentibus utrinque Romanis, odii flammâs, ne videlicet ex pace horum Principum, ob hæreditatem Svevicam immineret aliquod Bellum Italiæ, decertavit. Albertus ſecundus vix rexit uno anno, præmaturè extinctus, Fridericus IV. cum adverſâ ſorte continuò colluctatus, undique hoſtes Albertum fratrem, Bohemos, Hungaros, & Auſtriæ nobilitatem habuit: qui licet atate Imperii omnes Imperatores exſuperaverit, ſuperare nequirit adverſam fortunam, niſi quod ſurviverit omnibus ſuis inimicis. Exindè enim compoſi-

posita: magis res Austriacæ, Bohemiâ revindicatâ, Hungariâ à Matthiâ Rege Maximiliano promissâ, finem sui Imperii, uti & vitæ clausit gloriosum. Maximilianus ejus filius ex matrimonio Mariæ Burgundicæ ob accessionem tantarum provinciarum, primùm potentissimus Princeps, sed deinceps ex præmature obitu Mariæ, cum de Philippi filii sui Archiducis tutelâ cum Statibus Provinciarum disceptaret, afflictissimus.

Nam planè (quod audire indignum est) ex suggestione Gallicâ à propriis subditis, & Bruggensibus Civibus carceri teterrimo mancipatus, arctè, ut malefactor, custoditus; diùque detentus fuit. Nihilominus tamen jam assertus in libertatem, cum Romam pro Coronâ Imperiali pergeret, egregio exercitu instructus, attentâset hæreditatem Svevicam in transitû recuperare, nisi prævidisset Philippum primum Archiducem filium suum ex Mariâ Burgundâ, brevi matrimonio jungendum Johannæ, Ferdinandi Catholici filiæ, per quam ambo Regno Neapolis & Sicilia hymenæi potiùs gratiâ, quàm Martis inclementiâ, Austriacæ Potentiæ accederent. Philippo successit, ut in aliis omnibus, ita in præfatis Regnis, ex Svevicâ nimirum hæreditate prætensis primogenitus filius, Carolus quintus, totius Austriacæ potentia Hæres, & Germaniæ Imperator Gloriosissimus. Is post exantlatos pro DEO, Religione, Republicâ, ac Domo etiam suâ ingentes labores, & obtento secundi, post primum Carolum germanum, & Occidentis Imperatorem, MAGNI Cæsaris nomine, cum de abdicatione Imperii ac Regnorum, Provinciarumque, medigaretur, hanc inter Domum Austriacam quoad Imperium & Regna fecit ex æquo divisionem: non quidem quod hanc augustissimam separasset Domum, quæ semper una fuit, & est, & à Maximiliano per Mariam Burgundam, nunquam interruptâ serie profluit, sed dominia solùm, quæ Caroli tempore tanta fuere, ut nunquam huic Domui Sol occideret. Unde Fratri suo Ferdinando primo anno 1527. Austriacas ditiones in Imperio, Archiducatum Austriæ cum hæreditariis Provin-

cius,

ciis, Styriâ, Carinthiâ, Carnioliâ, Comitatu Goritienfi, ac tractu usque ad mare Adriaticum; Bohemiâ item Regnum cum Moraviâ & Silesiâ; totum denique Regnum Hungaricum, cum Transylvaniâ, Croatiâ, Sclavoniâ & Partibus Dalmatiâ; atque anno 1531. ipsam Coronam Sacri Romani Imperii resignavit, ejusque descendentes, quorum nunc superstites sunt Leopoldus Imperator, Josephus Rex Romanorum, & Archidux Carolus destinatus post excessum Caroli Hispaniarum Rex, attribuit. Filio autem suo Philippo secundo, Hispaniâ Regna, item Regna Italiâ, Statum Mediolanensem, ut feudum Imperii, ex speciali Ordinum Imperii concessione; Insulas maris Mediterranei, Belgium, hæreditatem nimirum amplissimam Mariâ Burgundâ; ditiones & Regna Africa, Indias, novumque Orbem sola sibi relicta claustrali cellula, cum paucis hominibus, ac levissimo in singulos residua vitæ annos Appannagio, cessit, & publicè extradidit. Sicque Habsburgo Austriaca Domus quoad possessionem Dominiorum divisa fuit in duas dominationes, eo tamen pacto, ut inter eas inseparabilis maneret confraternitas sanguinis Austriaci & avitæ prosapiæ identitas; ac sibi invicem succedendi jus: quod *pactum gentilitium*, & dominatricis domus propriè *ratio Status*, & Lex fundamentalis, tam præsentis quam posteris, eò quod unusquisque in conservationem sui, suæque Gentis conspirare præsumatur: adstringens jure meritissimo aliorumque Principum Exemplo, ac Juris publici interpretum calculo dici valet. Hoc pacto annullatæ fuerunt *leges tauri*, ferentes exteram successionem, & introductum fuit hoc Vinculum gentilitium ex justâ ratione talionis, & æquissimum odium Legis Salicæ. Quis enim iniquitatem non videat? Si ex Lege Salicâ non concederetur Austriacis per fœminas Gallicas successio vel in unum palmum terræ coronæ Galliæ unitum: Gallis verò è contra aperta staret janua, per fœminas Infantes Hispaniâ, absorbendi integra Regna & Status? Ideò post præfatum pactum gentilitium & Austriacæ Domus Legem

gem fundamentalem, quoties Infantes Hispaniæ transibant per nuptias in Galliam, toties oportebat, & necessè erat, ut juratò renuntiarent pro se & suis descendentiis (quod in jure declaratur in infinitum, nisi expressè excipiatur terminus, quousque) successioni Hispanica. Quo ipso per iterata ejusmodi facta, & jam pluries juratò datas renuntiationes, Leges tauri abolitæ, ac factò ipso introductum pactum gentilitium, cum ab Infantibus aliò, & præsertim in Austriacos Principes elocatis nunquam exigebantur ejusmodi, ut à Galliâ juratæ renuntiationes, utriusque exempla sunt notoria, quæ referre supervacaneum est.

26. Ac proindè moderni Austriaci ex hoc fundamento jure prætendunt post excessum Caroli secundi successionem in omnia Regna, & Dominia Hispanica, non obstante quacunque proximitate legali sanguinis ex parte Galliæ Principum, vel testamenti confectioe ex parte Caroli improlis & Regum ultimi. Officit enimverò his omnibus præfatum vinculum confraternitatis, sive pactum gentilitium, instauratum primitus à Carolo quinto consentientibus undequaque Principibus Austriacis, quorum tunc non unus, ut nunc ultimus Carolus, sed supra novem provecætæ ætatis Principes existerant: Deinde repetitum & renovatum à Philippo quarto cum Leopoldo primo Cæsare, cum ille prævideret improlem futurum Carolum filium, nec longæ vitæ, nec multæ frugis. Negent (si sine rubore possunt) ipsi Hispaniæ Ministri, an non multoties, etiam ipse Carolus, integris adhuc viribus & mente, declaraverit, & fraternâ sinceritate Leopoldo Cæsari scripserit testatumque fecerit, Archiduces Austriae suos legitimos Successores futuros. Quid? si ipse Ludovicus decimus quartus sapius contestatus, Carolum non posse sibi successorem designare: licet tunc iste integrâ mente & viribus polleret: utiquè metuebat Ludovicus illud, quod jam inter Leopoldum & Carolum sub tapete erat. Vel, ut alii rebantur, incapacem existimabat condendi testamenti. Postea-

(Y)

quam

quam verò Carolus agonizans, ac turbatâ mente æternitatem magis quàm Sæculum volvebat; tunc Gallicâ & Cardinalis Portocarero autoritate sufficiens fuit ad designandum Successorem, ad instituendum Hæredem, ad condendum testamentum; quod tot statisticis & violentis dispositionibus, tantoque astu, & calliditate refertum est, ut desuper magna ingenia sat habeant, quod studeant. Quis igitur prudens credet, ut Carolus, quod notissimum est, ex naturâ simplex, ac Ludovici decimi quarti calculo, olim, dum ille adhuc sanus viveret, ineptus, nunc verò, post tam paucum intervallum tanti, tamque studiosè per omnes gyros statisticos concepti testamenti, sive codicilli, conditor, & author esse potuerit? Excogitatum hoc Gallicum, sub- & obrepticium subornati Cardinalis inventum fuit: apud Europæos verò Principes merum & inane est commentum. Nam ejusmodi nimix diligentix ac superfluxæ, & insolitæ cautelæ, quas testator nec in vitâ unquam, minùs cum morte colluctans, capere potuit, suspectum & invalidum reddunt testamentum, illudque potius concipientis quàm testantis esse, ipsa non solum ratio persuadet, sed etiam jura ipsa passim declarant. Omitto, quod multi testantur, & Europa passim loquitur instrumentum hoc falsum, corruptum, metu, dolo, precibus insolitis, comminatione æternæ damnationis, denegatione Sacramentorum sub & ob-reptitiè à moribundo in materiâ tanti momenti, tantæque consequentiæ, quæ annis & mensibus liberâ ac sanâ mente expendi debebat, extractatum: ac in hoc solo me firmo, quod omnium Jurisprudentum suffragio, adversus vinculum confraternitatis, & pactum gentilitium tam augustæ, & dominatricis Domus, familiæque tot Regibus & Imperatoribus conspicuæ, ultimus familiæ nihil derogare audeat, aut jure possit. Quanta etiam injuria enormisque læsio modernis Austriacis Principibus obtingeret, si ex præfato gentilitio pacto, omnia sua Regna & Principatus, eventualiter Hispaniæ Principibus quoad Successionem uno & dimidio

dio sæculo obligata habuissent: & è contra illi nunc, cum ultimus emoritur, excluderentur à successione Hispaniæ Regnorum & Provinciarum? Nulla hoc æquitas patitur: Circumventio potius est Gallica & turpis machinatio Cardinalis. Exstat arbor Consanguinitatis masculinæ lineæ Austriacæ recta, quæ prævalet fororiis Nepotibus per juratam Matris renuntiationem exclusis: & hinc à Gallis prætenfa major proximitas Ludovici XIV. Nepotum, nihil officit modernis Austriacis tam ob pactum gentilitium, jure talionis, in odium Legis Salicæ factum, quàm ob renuntiationem Mariæ Theresiæ, Regisque Gallorum, jure jurando firmatam, quæ secundum jura ob læsionem etiam enormissimam non solum retractari nequit, verùm etiã omnem dolum, circumventionem, aut mentis restrictionem tam quoad promittentem, quàm ejus representantem omninò excludit. Et quia ejusmodi Renuntiationes in collocandis in Austriacos Principes, ut sæpè factum est, Infantibus Reges Hispaniarum ab illis non exigebant; Claro clariùs est, id propter pactum gentilitium, quo reciproca admittebatur inter illos in Regna & ditiones successio, factum fuisse. Quæ amplius Gallis fides? quæ Religio, quod jus gentium? Si apud illos ipsum sacro-sanctum jusjurandum tam vanè exploditur atque pacta, promissa, stipulationes, quæ gluten & vinculum sunt societatis humanæ, tam facillè violantur.

27. Neque obganniat quispiam, Philippum primum Maximiliani filium eodem modo, ut nunc præsumunt Galli, per Johannam Ferdinandi Catholici filiam Hispaniæ Regna occupasse. Hoc enim verò neutiquam veritati conforme est: nam tunc existerat actu Johanna infans Hispaniarum & unica Regnorum hæres, cui Regina mater & Rex Pater quæsivit sponsum, & Regnis suis successorem: Ubi obsecro in casu Andegavensis ulla in Hispaniã infans, aut Hæres, cui jungi posset modernus usurpator? Ubi constat de aliquo pacto gentilitio, quod Johannæ Pater aut Mater habuisset cum

suis Patruis aut Agnatis? nec remoram habuit Ferdinandus
 in Philippo primo, uti Hispaniæ Reges moderni habuere in
 Galliâ, nimirum Legem Salicam, quæ excludebat Hispanos à
 successione Galliarum. Hæc illa sunt, quæ fundant adducti
 Exempli causam, in favorem Austriacorum Principum, & ne-
 quaquam Galliarum, redduntque modernorum Austriacorum in
 Hispaniæ Regna ac Dominia justissimam prætensionem, ac
 exinde ad oculum remonstrant toti Europæ iniquam usurpa-
 tionem Ducis Andegavensis contra pacta, datam à genitori-
 bus fidem, & jusjurandum. Armorum vis, quâ se intrusit
 Gallus, non fundat jus successione. Testamentum, quod ve-
 rus testator nec concepit, nec intellexit, utique nec condi-
 dit; præsertim omissio hærede notorio, quem in vitâ de-
 signabat, non solum suspectum, sed etiam ob tot dolosas
 circumstantias, ac partialitates apertas, lividæque in Austria-
 cos animo suggestas; omnino nullum est. Jactata illa à
 Gallis in Andegavensi Principe præ modernis Austriacis pro-
 ximitas sanguinis non solum per juratam Mariæ Theresiæ
 & Ludovici XIV. renuntiationem, verum etiam per pactum
 Familiæ deficiente stirpe masculinâ, inter Fratres Carolum V.
 & Ferdinandum primum, totamque Domum Austriacam de
 futurâ sibi invicem in Regnis & ditionibus successione Jure
 Confraternitatis confectum eliditur, adeo, ut secundum Ju-
 ra Transactio, confraternitatis etiam Instrumentis noviter re-
 pertis non rescindatur.

l. 19. c. de
 trans-
 act.

28. Et ut rem hanc, in quâ maxima difficultas verti-
 tur, neque Galli capere volunt verbum hoc, ad Juris Cæsa-
 rei amissim expendamus, nequaquam diffitemur, inter pri-
 vatos Fraternitatem etiam juratam de succedendo non tribue-
 re jus successione, cum non sit neque naturalis, neque civilis,
 ut ex lege constat.

l. hære-
 ditas. c.
 de pac-
 tis.

l. Jura
 sangui-
 nis. ff. de
 reg. Jur.

Attamen si fiat in mutuo & vicissitudinario pacto, puta
 si inter duos vel plures conveniatur, quod alterutro sine li-
 beris mortuo ad superstitem bona perveniant (quemadmo-
 dum

dum fecere Carolus V. & Ferdinandus primus, consentientibus omnibus tunc in vivis existentibus Principibus Austriacis; Et deinde Philippus IV. & Leopoldus primus, postquam elocasset Mariam Theresiam Ludovico XIV. cum perpetua renuntiatione in Regna Hispaniæ, & Margaritam Leopoldo, Casari (sed absque omni simili renuntiatione) tale pactum omninò valere tradunt communiter Jurisprudentes : Quia mutuum & reciprocum est tollens sinistram illam, ait Gailius, suspicionem desiderandi mortem alterius. Imò mutua illa conventio non est pactum futuræ successione, quia bona non promittuntur ut futura successio, sed ut obligatio conditionata, si alteruter sine liberis præmoriatur, quæ obligatio eveniente conditione, ad tempus conventionis retrahitur : Sic enimvero Bona in pactum deducta statim ex obligatione & ex causâ Donationis inter vivos debentur; (hinc non poterat disponere sive testari Carolus de ejusmodi, quæ jam debebantur Principibus Austriacis) sed exactio, prosequitur doctissimus Gailius, ob conditionem appositam ad tempus mortis, differtur & suspenditur. Sicque dum viveret Carolus, erat Dominus Monarchiæ Hispanicæ; sed cum decederet improlis mox debebatur illa Austriacis Principibus ex pacto vicissitudinario & conditionato Caroli V. & Ferdinandi primi; conditione nimirum ex ejus obitu sine prole purificatâ: Ejusmodi pacta, ajunt citati in margine Doctores, ita stabilia esse, ut revocari nequeant, ne ob ingratitudinem quidem, quia vim permutationis habent, & in iis incertitudinis ratio, dubiusque eventus, qui ad vim hujus pacti multum facit, consideratur. Ideò Principes Austriaci tam Germani, quàm Hispani semper Jus succedendi, sibi invicem competens, ut erat Carolinum & Ferdinandæum, habebant; pari planè commodo & incommodo, ob conditionem purificationi obnoxiam, & incertitudinem, dubiûmque eventum, quæ nimirum linea ex his duabus, an Germanica an Hispanica præmoriatur alteri sine prole? Id poterat succedere Leopoldo

Decius
consil.
63. n. 4.
Boër. de
cif. 355.
n. 2. & 3.
Zaf. 10.
2. consil.
1. num. 1.
cû seqq.
Gail. ib.
2. obser.
126.
1. necess.
sa. 10. §.
1. ff. de
peric. &
comod.
reivend.
ditæ.

Gail.
ibidem

do (& profectò parùm abfuit: quia primæ duæ Imperatrices steriles erant,) quod deinceps accidit Carolo, cafumque hunc fapientiffimè prævidit Philippus quartus, ideò tam cautè processit cum Gallo in elocatione Theresiæ, ubi Leopoldo & ejus Successoribus sinceriffima fide destinabat fua Regna.

Verùm à Privatorum pactis tranfeamus ad pacta, quæ Juris publici interpretes gentilitia vocant Familiarum illustrium & Principum, & fortiùs infiftamus argumento in confufionem Gallicæ ufurpationis.

29. Ac primò quidem pacta mutux fucceffionis, licet per fimplicem promiffionem fiant, in cafu deficientium liberorum mafculorum inter Principes, Comites & Barones Imperii ufu firmatæ funt, excedente hominum memoriã confuetudine. Undè, ait Gail: Etsi omnia pacta futuræ fucceffionis regulariter utroque Jure, tanquam contra Bonos mores, & votum captandæ mortis inducentia, prohibita fint, ita ut ne jurata quidem valeant (cum diftinctione tamen, ut prius dictum eft) hoc tamen in Perfonis illuftribus non habet locum, fed inter eas valent pacta & ftatuta Familiarum, five in Perfonam promittentis, five fuper Bonis poft mortem relinquendis concipiuntur. In Perfonis enim illuftribus omnis finiftra præfumptio, vel fufpicio ftuendæ procurandæ mortis alienæ, ceflat: cùmque ejusmodi pacta gentilitia, ad pacem, tranquillitatem publicam, defenfionem Subditorum, quorum intereft, ne alienis, ignotis & naturâ contrariis (quales Galli in Hispanos, & Hispani in Gallos funt) Dominis fubjiciantur: Item ad confervationem agnationis, & profapix, omnium maximè fpectant; ideòque merito favore in Jure digna funt; & productâ à multis centenis annis confuetudine, ac reclamante nemine, Juri fcripto derogare queunt, ut Zafius & Socinus Junior cum aliis D.D. in terminis terminantibus confu-

luerunt.

Adde: quod Gailius cum cæteris docet, ejusmodi pacta genti-

Gail. lib.
1. obfer.
127.

Zaf. val.
2. confil.
5.
Socinus.
vol. 1.
confil.

gentilitia Familiarum à Principibus, pacis publicæ, utilitatis, posteritatis, & dignitatis gratiâ facta vim legis obtinere. Rationem subjungit: Quia Principes absoluti omnimodam Jurisdictionem habent; legesque in suis territoriis condere possunt. Quis ille tam effrons, qui hanc potestatem neget Carolo quinto Imperatori, & Ferdinando primo Regi Romanorum totique Austriacæ domus, quæ Prima Dominatrix fuit in Europâ? at si habuere: quis igitur pacto gentilitio Austriaco quoad Regna & Dominia Austriaca, nulli uspiam alienæ Potentiæ subiecta, robur, vimque legis fundamentalis suæ Domus negabit?

30. Alii quidem minores Principes, licet absoluti quoad sua territoria, requirunt attamen Imperatoris consensum; cum pactis de Jure ordinario, ut supra insinuatum est, hæreditas dari non possit, ideoque ut Imperator tanquam Legibus superior, contra Leges, hæreditatem per pactum deferre prohibentes, dispensare valeat. Imperatoris namque est (notent Galli) declarare, restringere, atque limitare leges. Tali proinde casu ejusmodi pacta ab Imperatore confirmata tantò robustiora sunt, tam ad actionem, quàm ad exceptionem secundum Jura, quæ ad propositum allegat Vincentius de Franchis decisione 57. Ubi ait: pacta aliàs de hæreditate Viventis ipso Jure illicita corroborari mutuo paciscentium consensu & confirmatione superioris Ordinarii. Quæ verò ipse Imperator, quæ Principes Regiis unius Domus, & absoluti invicem statuunt, (ut in præsentì gentilitio Austriacæ pacto in Domo Hispanicâ) nullâ corroboracione alienâ aut confirmacione indiget; quia Imperatori nemo scripsit Leges, ipse est viva lex, solutus legibus, præsertim illis coarctivis, quibus privati subjacent. Pacta de Unione Ducatum, Provinciarum, ac Regnorum, ut Austriaca Domus fecit, nihil à lege diversum contrahunt, quia sub legem non cadunt, ut Privatorum Pacta & Uniones.

31. Neque primum hoc Austriacæ Domus Exemplum
est,

est, ut antiquiora non inquiram, palàm est; pactum Marchionum Brandeburgicorum cum Ducibus Pomeraniæ & Megapolitanis de mutuâ successione olim contractum. Pariter Hermannus Landtgravius Hassiæ Anno 1373. (quasi tribus sæculis ante Austriacos) gentilitium Vinculum iniit cum Fridrico, Balthasare & Wilhelmo Landtgraviis Thuringiæ, ut nimirum altera Familia alteri, deficientibus masculis, Lineæ Masculinæ succederet; quod illi fœdus gentilitium Anno 1435. inter Ludovicum & Landtgravios Thuringiæ jam ad Electoratam evedtos renovatum est, & in Fraternitatem Anno 1457. adoptati Marchiones Brandeburgenses. Adeò nihil novum est in decus & conservationem magnarum Familiarum, quarum in Europa verè maxima & Imperatoria est Austriaca (quod Gallicus livor concoquere non potest) pacta statuere gentilitia, eâ prorsus Authoritate, quâ olim Galli sanxerant Legem Salicam, cujus vi & titulo nemini nec palmum terræ Gallicæ concedunt; ipsi verò totum Orbem absorbere conituntur, & inhibere aliis satagunt, quod ipsi Primi fecerunt. Invisa Hispanis Lex Salica Talionem pati, & retorqueri debuit pacto inter Austriacos gentilitio. Hoc illud temperamentum est, quod Gallia dominandi ardorem mitigat. Hic ille obex, per quem se jungitur & retinetur Gallia ab Hispaniâ, sicuti per Legem Salicam Hispania à Galliâ.

32. Porrò duo effectus sunt pacti gentilitii, unus est, quod Principes præfato pacto uniti, & Socii hujus Successorii Juris ad mutua invicem auxilia, tuendosque Status & Regna teneantur. Hoc egregiè invicem præstiterunt utraque linea tam Hispanica quàm Germanica. Ut palàm est, & experta non rarè ante Henricum quartum cum suo damno Gallia. Ac vel ideò ingens necessitas fuit hujus inter Austriacos fœderis fraterni: cum enim à primis statim Annis Henrici quarti usque ad hæc tempora, (adeò ut Ludovicus XIV. vix ita pridem veritus non sit dicere: inter proximum decennium sibi animo esse Henrici quarti ingentem illam machinam, videlicet

delicet totalem proſcriptionem Auſtriacæ gentis ex omnibus Regnis & Provinciis in effectum deducendi) Gallia Monarchiam univerſalem & Arbitrium in omnes Europæos Principes meditaretur , & cum id ſine ruinâ Domûs Auſtriacæ haud contingere poſſet ; neceſſe & expediens proſectò fuit Auſtriacis, ſe invicem arctiùs uniendo , mutuamque ſocietatem non ſolùm utriuſque fortunæ ineundæ, verùm etiam per ejuſmodi pactum ſpem faciendæ mutux ſucceſſionis; quæ calcar fuit & multum ſtimuli addebat ad mutua invicem præſtanda auxilia.

33. Alter effectus eſt, quod pactum iſtud ex naturâ ſuâ involvat prohibitionem alienationis Bonorum præfato pacto ſubjectorum. Cauſa enim finalis pacti gentilitii eſt, ut Dominia & ditiones in familiâ conſerventur , quo altera alteri ſuccedere poſſit. Hinc una Linea ſive pars familiæ citrà injuriam alterius nequit abalienare ſive per venditionem , ſive per donationem , ſive per testamentariam diſpoſitionem avita Familiæ Bona, Dominia & Regna. Nam ejuſmodi conventiones illuſtrium familiarum, ut Beſoldus notat , in ſe conti-
de pact.
lluſt.
Famil.
c. 5.

de pact. illuſt. Famil. c. 5.

corruit commentitium illud Caroli ultimi testamentum, quo ille Regna Hiſpaniæ pacto gentilitio ſubjecta, contra Jus & æquum, ac in necem propriæ familiæ tranſtulit, in alienam domum. Et hæc prolixiùs dicta, quia hoc tempore maximè ventilantur, ſufficiant de prætenſione modernorum Auſtriæ Principum in univerſa Hiſpaniæ Regna & Dominia.

34. Cœterùm ſunt & aliæ prætenſiones minorum Principum, ut Sabaudia Ducis in Civitatem Genevram eò quod ſit Vicarius Imperii, ut nimirum apud illum, veluti Vicarium, Imperii appellationes à Genevræ Civibus interpoſita terminarentur. Hinc ſe olim Duces Sabaudia in urbe palatium habuiſſe, monetam cuſiſſe, delicta remiſiſſe gloriantur. Pro hac ſuperioritate diu bellatum : donec urbs illa ſe Imperio ſubtraxerit, & Helvetiorum Reipublicæ univerit, nunc facta

in asyllum omnibus apostatis, & verus nidus hæreticæ pravitatis. Prætendit quoque Ducatum Montferratensem contra Ducem Mantuæ, quem Mantuano adjudicaverat Carolus quintus. Tandem verò instrumento Pacis Gallico quaestio reassumpta & composita, ita ut nobilissimus iste Ducatus cum omnibus juribus & pertinentiis Sabauda remanserit. Prætensionem quoque facit in Regnum Cypri per filiam quondam Principis Achajæ in matrimonium acceptam à Philippo Sabauda. Hinc etiamnum Duces Sabaudia in suis insignibus quatuor has literas F. E. R. T. exprimunt, id est: *Fortitudo ejus Rhodum tenuit.*

35. Lotharingus prætendit Regnum Hierosolymitanum: item Comitatum Sarewerdanum, ut feudum Episcopatus Metensis, & per mortem Johannis Jacobi Comitis, ob defectum masculæ prolis sibi debitum. Negant autem Comitès Sarepontani præfatum Comitatum esse feudum tantum masculinum, sed etiam colo obnoxium. Interim Franciscus secundus Lotharingus prædictum Comitatum Sarewerdanum armis occupaverat.

36. Memorabilis erat aliquot Principum Imperii prætensio in Ducatum Juliacensem, Clivensem & Bergensem. Controversia autem tota in hoc fermè consistebat: Erat Wilhelmus Dux ultimus præfatorum Ducatum: qui quidem improlis vivere desiit, sed quatuor sorores, quarum mariti Principes pro substantiâ Wilhelmi Ducis demortui competebant, reliquit. Prima fuit Maria Eleonora Friderico Brandenburgico nupta: Hujus promogenitam duxit Johannes Sigismundus Elector Brandenburgicus, ex quâ filium habuit Georgium Wilhelmum, post fata Patris pariter Electorem. Secunda Soror erat Anna in Conjugem ducta à Ludovico Neoburgico, Comite Palatino Rheni, cum quâ procreavit Filium Wolfgangum Wilhelmum. Tertia soror Magdalena nupsit Johanni Comiti Palatino Bipontino. Quarta demùm Soror Sybilla Carolo Marchioni Burgaviæ Matrimonio conjuncta fuit.

Brandenburgicus insistebat primogenituræ, cui Wilhelmi ditiones subiacebant ex unione Ducatus Juliacensis & Clivensis, ejus pactum cum subditis initum, & scripto confectum allegabat & producebat Elector Brandenburgicus ex primogenitâ Sorore Maria Eleonora prognatus. Probabat quoque cum pactis dotalibus, in quibus ipse Wilhelmus ultimus Dux expressè declaravit primogenitam suam sororem Mariam solam suarum ditionum hæredem, eâ tamen conditione, ut, cœteris sororibus exclusis, singulis 20000. aureorû non solum exsolvere deberet, verum etiam si primogenita Maria absque hæredibus decederet, secundo-genita, & sic deinceps, tali casu, tertio- & quarto-genita ad successionem vocaretur. Valida quidem hæc Brandenburgici Electoris argumenta multis apparebant, verum cœteræ sorores earumque mariti Principes negabant Primogenituram, neque hanc sequi debere ex productâ cum subditis ditionum unione, cum aliud sit per successionem à Principe Regiones coadunari, aliud Jus primogenituræ in coadunatis per successionem regionibus induci. Pacta item dotalia Jus primogenituræ in præjudicium cœterarum sororum introducere, & jus quæsitum illis tollere non poterant, maxime cum pacta illa ab Imperatore confirmata, quod in instituendâ primogeniturâ ex Imperii antiquâ consuetudine necesse fuisset, non appareant. Validæ hæc prætensiones metum ciebant, ne vel Brandenburgicus, vel Neoburgicus, prætensiones dictas ferro deciderent, occuparéntque vi præfatas Regiones. Ideò Imperator, usque dum controversia aut Jure dirimeretur, aut amicabiliter componeretur, in sequestrum præfatos litigiosos Ducatus, immisso in Juliacensem militum præsidio, posuit. Nunc verò controversia hæc pro compositâ habetur.

37. Sunt etiam in septentrione prætensiones variæ inter Reges Polonum, Svecum, Moschovitam, de quibus hi inter se colluctantur, ferro magis, quàm Jure, alternante jam pro hoc,

jam pro illo, Belli Eventu, ut nihil desuper certum statuere liceat.

Rex Daniæ, ut Princeps Holsatiæ, Urbem Hamburgum prætendebat, eò quod in Holsatico territorio sita sit: Sed tuebatur se Civitas Imperii matriculâ, in quâ inter Civitates Imperiales computabatur. Res nunc ex integro composita est. Angli prætendunt Regnum Franciæ per Caroli VI. filiam, quæ fratre demortuo hæres remanserat, ac priùs Eduardo Rege Angliæ nupserat. Sed Galli legem Salicam opponunt, per quam Francia in colum non transit. Prætendunt quoque ab Hollandis propter piscationem Halecum in Oceano Anglicano certum quoddam vectigal ex eo, quod sint Domini Maris Anglicani, talésque agnoscantur ab Exteris in Mari Anglicano demissione velorum; ac illi custodiam illius inde à Normannorum tempore habeant.

Hollandi respondent, contra naturam esse, mare Dominio subicere, quod propter continuum fluxum, & refluxum nullos limites patiatur, qui usucapi, aut in possessionem accipi possent.

Jure deindè Imperiali Romano (quod municipes Hollandiæ, præter ea, quæ Juris specialis Hollandici & patrii sunt, sequuntur in omnibus) apertè declaratur & statuitur mare esse juris Gentium, nulli municipale, sed omnibus commune: ex Vulgari adagio: Maris & aëris usus omnibus est communis.

Quid prohibetis aquas? Usus communis aquarum est.
expostulavit aliquando ipse Naso.

38. Porrò quoad ipsum mare vertuntur non modicæ controversiæ, & in illud Principum contra alios Principes prætensiones. Adferam quædam pro memoriâ.

Mare generali nomine est congregatio aquarum, quæ in Oceano universum Orbem circumambiente substantialiter consistit. Ex hoc cætera particularia Maria profluunt, alluuntque varia Regna & Provincias, quibus in illa sibi Jus & Dominium

minium competere existimant Municipales & Indigenæ illorum Regnorum.

39. Maria autem ex Oceano in continentem profluentia fermè sunt: Mediterraneum, Germanicum, Hibernicum, Balearicum, Gaditanum, Thracicum, Tyrrhenum, Ligusticum, Anglicum, Adriaticum, Siculum, Euxinum, Ægeum, Helleponticum, Magnum, Rubrum, Ægyptium, Phœnicium, Scythicum & Pamphiliū.

40. Et in ejusmodi maria divisa, prætensiones suas ponunt, quisque videlicet in suum, Reges & Principes.

Illud ex æquò & vero certum, ac Rationi, Jurique Gentium, ac scripto consentaneum est: Mare quoad proprietatem nullius: quoad usum omnium commune: Quoad Jurisdictionem verò esse potestatis civilis, videlicet Principum ibi imperantium. Ad Reges enim Potestas omnium pertinet. Hæc autem distinctio Juri Naturæ & Gentium non repugnat, & corroborat Jus Civile, à quo Jurisdictiones & Dominia. Et ad lib. 1. instit. tit. 1. de ver. div. §. flumina, expressè tenet Linius: Mari lege publicâ, vel constitutione Principis servitutem imponi posse, & Jus proprium Maris alicui privatim applicari, ac titulo aliquo illius acquiri Dominium. Argumento à contrario sensu *legis venditor in digestis. Communia Prædiorum.*

Addo: Nonne Imperatores olim Romani non minus maris ac terræ Domini erant, ut subtilissimè ex ipsâ lege Rhodiâ deduxit Godofredus tractatu de Dominio Maris, ut vel l. 9. ff. de leg. Rhodiâ. indè nihil officere valeat, quin etiam moderna Regna ac Provincia ab Imperio Romano separata, eorūque absoluti Principes Imperantes suorum Marium Dominium habeant. Cur mare, cum nullius sit in bonis ex lege naturali; nequiret ex Jure Gentium concedi primo occupanti? an non licitum est ædificare in mari vel littore? quisvè dubitat non effici in continentū suum, ex quo pilas jactavit, per legem ergò. § fin. ff. de acquirendo rerum Dominio, adeò ut nec requiratur

perfectio operis per legem secundam §. aduersus. ff. ne quid in loco publico.

41. Hinc Venetorum veneranda Respublica edificauit dominatricem suam Urbem in mari, quod est Juris Gentium, ac ideò non solum prætendit in seipsâ libertatem, nulli unquam extraneo Principi subiectam, verum etiam Dominium Maris, cui insidet. Adriaticum autem hoc dicitur, vel vulgò Golfo di Venezia. Respublica hæc sita fuit olim media inter utrumque Imperium Orientis & Occidentis. Unde inter hos Imperatores Nicephorum & Carolum Magnum pacto foedere expressè cautum fuit: ut Veneti inter utrumque Imperium positi, liberi atque immunes, & ab utroque securi viverent, ac sine molestiâ, res suas in agro Italico possiderent.

Signo-
nius lib.
4. de
Regno
Italiz.

42. Fundant verò Veneti Patres hoc in mare Dominium (ad plausum magis, quàm quod necesse illis esset) cura Gregorii Pontificis, hujus nominis Decimi, desuper emanato decreto, ac per anulum aureum, quo illis Alexander tertius, Mare Adriaticum, veluti desponsauit, ac non aliter, quàm uxorem viro, sic mare istud illorum subiecit Imperio.

tertia.
ff. de
acq. rer.
Dom.

43. Illa verò mihi Ratio solidior est, quod historicâ veritate constet, Venetam Rempublicam indè à primâ institutione suæ Urbis, Maris adjacentis possessionem, Jure Belli, contra Infideles, & barbaras gentes, per longissima tempora, pro ejusdem securitate & libertate multoties suscepti, patriâ virtute sibi vendicasse; Sicque rem, quæ nullius erat, Jure gentium, occupando, obtinuisse. Hoc enim pacto pleraque Regna & Dominatûs à primâ statim Mundi constitutione cepisse, creuisse, & fermè substituisse certum est.

44. Accedit, quod Imperator Orientis, irruentibus in Italiam Barbaris & Hunnis, ac Regiones præfato mari conterminas, totaliter vastantibus, ut se ipsos etiam Veneti in Lacunas illas securitatis gratia recipere debuerint, mare illud quasi deseruerit, neque amplius protegere valuerit; adeoque

d. l. 1.

Veneti dictum mare tanquam pro derelicto habitum, sui juris

fecerunt.

fecerunt. Ultraque Ratio solida, & de Jure est, titulumque indigitat possessionis. Attamen si præscriptionem allegabunt Veneti Patres temporis immemoriam, de cujus principio nemini constat; tunc nec planè tenebuntur, titulum acquisitionis probare. Ejusmodi enim præscriptio non requirit titulum, sed ipsa in se habet vim tituli, infertque Dominium Juris & de Jure, neque in contrarium datur probatio, quia immemorialis sive præscriptio, sive consuetudo, sive possessio, pro indubiâ veritate habetur; nisi in continenti talium Jurium interruptio ostendatur. Quod quidem attentant Reipublicæ Æmuli, ajuntque classem Neapolitanam, sæpè sæpius, invitis Venetis navigasse Adriaticum, quemadmodum etiam vicinas inibi Civitates Bononiam, Ravennam, Anconam Usurpationi Venetæ contradixisse, ac etiam armis disceptasse.

45. Ad primum reponunt Veneti, illud vel vi, vel precario contigisse: uterque autem modus possessionem & præscriptionem immemoriam nequaquam interrompere, minus tollere potest.

Ad secundum: Protestatio sive contradictio Juri Gentium non officit, neque post immemoriam præscriptionem opposita quidpiam operatur. Multis eentenis ante Gregorii X. & Alexandri III. concessionem, atque ante oppositam æmularum Urbium disceptationem delapsis annis occupaverant & ex hoc Jure occupationis, obtinuerant Veneti Dominium maris Adriatici. Istud verò adhuc magis adversariorum evertit argumentum, quod Veneti æmulorum in hoc mari vim vi semper repulerint, adeoque Jure Belli etiam Jus suum vetus mantenuerint.

46. Ac proinde vetus hæc, & Romanæ olim Reipublicæ, ac aliarum totius Orbis, transcendent Annos gloriosissima Venetorum Respublica; non solum Jure gentium, privilegio Pontificum, præscriptione temporis, sed etiam ipsâ consuetudine & usu suæ potestatis, in facie totius Europæ, quotannis sibi publicè mare Adriaticum inter festivos applausus,

per injectionem annuli, desponsando; sat evidenter sibi comprobatur illius Dominium. Testes fermè semper Imperatoris, Regum, ac Principum aliorum, Pontificiique Legati sunt præsentes, nec protestantes, minùs contradicentes. Horum præsentia & scientia multum addit ponderis ad evidentiam Juris Veneti: maximè verò post pactum cum Archiducibus Austriae & Imperatore factum, cujus autem conditiones ex parte Reipublicae vix ex integro observatae hoc ultimo Caesaris cum Gallis Bello: neque illa securitas, quâ pacti leges & conditiones exigebant, à Venetis procurata.

47. Consimilem prætensionem habuere Hispani & Lusitani in Oceanum, Mare Indicum, & ubi navigationes sunt in novum Orbem. Aiebant enim, sibi Jus esse Domini in eos Indos, ad quos illi primi navigarunt, quos primi invenerunt, cum quibus primi commercia & amicitiam contraxerunt. Laboris id atque periculi ingentis fuit; indèque se hanc immunitatem prae omnibus gentibus jure meruisse.

Subjungunt: Novi Orbis donationem se habere privilegio Pontificis Alexandri sexti. Qui tam Maria, & navigationes, atque Regna illa, Evangelii Luce destituta, à veteri Mundo incognita, ab Europaeis Principibus pro desertis & derelictis habita, inter illos Reges Castellani & Lusitani aequè forte divisit.

Adstruunt etiam Jus Belli, quo Antipodes, Indiarumque populi ab Hispanis & Portugallensibus subjugati, ac eorum Juris facti, veri nempe subditi & vasalli.

Jus quoque allegant Gentium, quo illi maria nunquam visa, nec navigata ab aliis, soli occupaverunt.

48. Tandem praescriptione absorbere conantur illa Maria, quae, licet immensa, tanta tamen non sunt, quanta est auri, argenti, ac lucri cupiditas eorum, qui contra Jus Gentium, imò naturae, communicationem hominum ex mundo volunt sublatam, hominibusque ad homines aditum pracludunt,

Hinc alii Europæ Principes ac gentes, Angli præcipuè, Hollandi, ac Galli solemnissimè huic à Castellanis & Lusitanis prætenso Juri contradicunt, ac remonstrant:

49. Primò, Inventionem non esse sufficientem titulum ad Jus Domini. Inventio quippè nihil Juris tribuit, nisi in ea, quæ ante inventionem nullius fuerant. Indiæ autem ac novi Orbis Regiones obtemperabant Dominio suorum Regum, Principum, quos Hispani ex titulo inventionis nequibant privare suis Dominiis, imò demereri illos verebantur propter datum jus hospitalitatis, propter invicem concessa commercia, campumque apertum tanti lucri. Inventionem, ut legitimum titulum inferat, oportet esse conjunctam possessioni, ubi res apprehenditur revera & physicè, & non imaginariè, ut forte Hispani aliqui vel ex simplicitate, vel ex nimia lucri cupiditate malè arbitrantur, hoc ipso: quod ad Barbaros & infideles homines partèsque incognitas veniant sibi licitum esse ibi dominari. Neque enim infidelitas, neque Barbaries, neque gentis obscuritas causa sufficiens & æqua est privandi Dominio possessores. Fides nequaquam tollit Jus naturale, aut humanum, ex quo proveniunt dominia rerum. Quod, cum ita ex Doctrinâ ipsâ Theologorum est, ut alibi allegavimus, nihil Juris Hispani habent ex inventione terrarum in ipsa earum Regna & ditiones. Neque credo, quod æmulæ gentes eò anhelent tantoperè, nisi fortè Belli causâ, cum hostes sibi invicem sunt. Quippè non desunt in Indiis & apud antipodes loca adhuc ignota & ab Hispanis non provisâ, quovè remigare etiâ aliis gentibus fas est, videlicet per liberrimum illum vastissimumque, ab Hispanis non inventum, Oceanum. Ubi erant novissimi hi inventores, quando jã canebat Horatius:

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Quod aliud mare tunc esse poterat, quàm hoc, quod jam Hispani & Lusitani sibi ipsi arrogant. Ex Scripturâ etiâ palàm est: tempore Salomonis Israëlitæ commercia habuisse cum Æthiopicis ac remotissimis Indiæ partibus, tantumq; in templum Do-

mini inpenſum aurum argentumque, reſque alias pretioſas inde ab Indiæ populis, longis per Maria navigationibus Hieroſolymam uſque, perlatas fuiſſe.

50. Sed neque ſecundò Donatio Pontificia officit; quæ fieri non poterat in præjudicium tot gentium, quibus non ſolum navigationes, ſed etiam mercatura competit ex libertate illâ naturali, quâ licet cuiſvis genti adire alteram, ut vel ſuccurrat alterius egeſtati, vel ſua provideat inopiæ. Erat enim hoc jam à principio creationis, providentiæ diviniæ arcanum, non omnibus omnia ſuppeditare gentibus, quibus indigent; ad hoc, ut una provideret alteri, & hæc provideretur ab altera, ſicque in humano genere conſervaretur mutua ſocietas, & occaſio foret ſibi invicem benefaciendi.

51. Diviſionem inter Caſtellanum & Luſitanum Reges, fecit Pontifex, ut arbiter inter duos litigantes, & non ut Dominus illorum Regnorum & marium; quod Jus ipſi non competere abſolutè, jam alibi diximus; neque aliquod prætereſſe poteſt in infideles & Barbaros, cum ſint extra ovile, neque ad Eccleſiam pertinent.

52. Tertiò Jure Belli quidem ſe dicunt poſſidere Antipodes, ſed quale Jus illud? cur Bellum in illos inſtructum? cur Dominiis ſuis dejecti legitimi ſuarum ditionum poſſeſſores? cur liberrima gens ſubacta ab advenis & peregrinis? hoc non nominant Hiſpani, neque Luſitani. Et rectè: quod enim Jus illi ſecum adferre poterant occupandi aliena, non derelieta, ſed à tot ſæculis ſuis Regibus & Dominis proviſa. Quid Hiſpaniæ Juris in Indias, aut Luſitaniæ in Americam? aut quid perperam egère Indiani in Hiſpanos, aut Americani in Luſitanos, ut per tot maria & pericula armis & ferro perfequerentur commentitium ſuum Jus. Hoſpitiſm vobis dedere illi; mercatum admidiſſe: Quid amplius fatagitis? forte venas auri non aperuere? hinc dolor, hinc lachrymæ, hinc vobis Belli Jus? Hæc ſervitutis cauſa, quod veſtris atrociniis ſe ſub initium appoſuerint, cò, quod vos, velut Piraticam exer-

ſentes,

centes, ignotos, peregrinos, & hostilia machinantes homines ex portibus ejicere primitus conati sunt. Quid acturos existimabimus vos, si sic Infideles & Barbari illi vestra aggredierentur promontoria? Si sic vos in servitutem redigerent? Si sic hostiliter ignoti homines, armis nunquam visis, vos ex inopinato invaderent? Esset ne illorum justum in vos Dominium? aut justa Belli ratio? aut legitima occupatio? Expendite hæc, & erubescite.

53. Verùm, cum aliter non possunt, ad Religionis speciem recurrunt. Sunt infideles, ajunt, sunt Barbari, sunt idololatræ: sunt indigni tam opulentis Regnis, tantisque artis & naturæ emolumentis, quibus caret Christianitas. Subigere oportet DEO vero refractarios, ut ad sensum redeant, seque ad Ovile Christi conferant.

Commentum, prætextus his Religio, non animarum quarunt lucra, sed venarum auri & argenti. Id Hispani historici scribunt passim. Id gentis ejusdem Theologi, ut Victoria, Castrensis & alii. Subjungo his verba ipsa Cajetani. Quidam infideles (tales existierunt Indiani & Americani) nec de Jure, nec de facto subsunt secundum temporalem Jurisdictionem Principibus Christianis; ut inveniuntur Pagani, qui nunquam Imperio Romano subditi fuerunt, terras habitantes, in quibus Christianum nunquam fuit nomen. Horum namque Domini, quamvis infideles, legitimi Domini sunt, sive Regali sive Politico Regimine gubernantur, nec sunt propter infidelitatem Dominio privandi, cum Dominium sit ex Jure positivo, & infidelitas ex divino Jure, quod non tollit Jus positivum. Et de his nullam scio legem quoad temporalia. Contra hos nullus Rex, nullus Imperator, nec Ecclesia Romana potest movere Bellum ad occupandas terras eorum, aut subjiciendos illos temporaliter: quia nulla subest justa causa Belli (notent Hispani) cum JESUS Christus Rex Regum, cui data est potestas in Cælo & in terrâ, miserat ad capien-

ad Sum.
D. Tho-
mæ. 2. 2.
q. 4. c. 666
ar. 8.

dam possessionem Mundi non homines armatæ militiæ, sed sanctos prædicatores, sicut Oves inter Lupos.

54. Unde nec in Testamento Veteri, ubi post excessum ex Ægypto armatâ manu erat capienda possessio, terræ infidelium, inductum, lego, Bellum, alicui genti propter hoc, quod non erat fidelis: sed quia volebat dare transitum, vel quia Israelitas offenderat, ut Madianitæ, vel ut hi recuperarent ea, quæ divinâ largitate sibi concessa fuere. Poterat enim DEUS ex altissimo suo Dominio populo suo quædam subdere. Unde gravissimè peccat quis, qui fidem Christi JESU per hanc viam ampliare contendit: neque enim foret legitimus Dominus illorum, (novent hoc Castellani & Lusitani) sed magnum latrocinium committeret, & teneretur ad restitutionem, utpotè injustus debellator, aut occupator.

55. Mittendi potius essent ad hoc Prædicatores boni viri, qui Verbo & Exemplo convertant eos ad DEUM, & non qui eos opprimant, spolient, subjiciant & duplo gehennæ filios faciant, quod sæpè sæpius Pontifici & Regibus Hispaniæ gravissimis verbis viri Religiosi & Apostolici, in illis locis comorantes, rescripserunt, & oblatis libellis, distinctisque relationibus protestati sunt: Hispanorum & Lusitanorum ibi attentata plus obesse conversioni animarum, quàm prodesse.

Adeò nullum, Jure Belli, in Indias & antipodes, eaque maria; Hispanis Dominium; nullum titulo Religionis justum Bellum esse potuit; nisi deinceps, aut propter commercia exortæ aliæ causæ, aut propter persecutionem fidelium, & ibi Evangelizantium: Quia Principes Christiani etiam armis tueri tenentur libertatem Christianæ fidei. Exinde autem nullum illis oritur Jus adversus tertios prohibendi maria & navigationes, quæ omni Jure libera sunt.

56. Illud etiam Jus Gentium, quod pro se allegant, Castellani & Lusitani, occupationem eorum minimè in Oceano fundat. Quæ enim illa occupatio, nisi ex navigatione omnium

omnium primâ ab illis jactatâ? quod vel falsum est, quia historicâ fide liquet, Reges Salomonem, Josaphat, & Osiam commercia habuisse cum Indis & Æthiopibus, Alexandrum usque in Arabicum sinum navigasse. Ab Arabico sinu testatur Plinius in Indias, Indicique Oceani Insulas, & auream lib. 6. usque Cheronesum, quæ Japonia est, Romanis navigari c. 2 3. solitum fuisse, iterque eò describit citatus Plinius, additque Legationes ab Indiâ populis, item ex Taprobane Insula ad Augustum & Claudium emissas fuisse. At si Plinii fides suspecta Hispanis, amplius assero: Navigationem ignotorum marium etiam primam, non inferre occupationem, quæ Juris esset, sequeretur aliàs, quod ille, qui totum Mundum circumactus fuisset (ut jam plures fecisse constat) totius Oceani Dominus existeret. Tantum dat Navigatio Juris in mari, quantum in fluctibus post se permittit. S. Ambrosius acriter perstringit inanem hanc marium usucapionem libro 5. c. 30. in Hexaem. Principes sibi spatia maris vendicant Jure mancipii, pisciumque Jura sicut Vernaculorum conditione, sibi subiecta commemorant. Ille, inquit, sinus meus est; ille alterius. Dividunt sibi Elementa potentes. Et profectò, quis ea, quæ ex naturâ suâ ita constituta sunt, ut illis quisque uti potest, & omnibus ad usum sufficiunt, sibi soli audeat addicere, & cum damno omnium usurpare? Cicero disertè ait: Earum rerum, Offic. 1. quæ ad communem Usum natura genuit, servandam esse communitatem. Quia in nullius Dominium pervenire debent, quæ natura omnibus dedit, omniumque usui sufficiunt. Ex ipsâ namquè nominis Etymologiâ patet: Quæ communia omnibus, propria sunt nullius: & si forent propria, desinerent esse communia, & quod ratio Juris Naturæ immutabilis sit. Inter prima Justitiæ munera, ajebat Cicero, est, communia pro communibus uti. Non omnia in Jus proprium transcribi & occupari possunt, nimirum ea, quæ in nullius potestate sunt, vel censentur communia.

57. Unde hæc observanda distinctio inter communia, quæ

occupari queunt, & occupari nequeunt, nimirum: Quæ nullius sunt, & communi omnium usui attributa; talia occupari nequeunt, quia esset contra dispositionem naturæ, quæ omnibus & non uni, vel aliquibus providere voluit ob necessitatem illorum inevitabilem. Ea, quæ nullius sunt, & unius alicujus usui esse possunt, citra præjudicium commune omnium; occupari possunt Jure Gentium. Sic aërem, qui ad prioris speciei communia spectat, nemo legitimè occupat; aves autem in aëre volitantes, quia nullius sunt, & usui particulari esse possunt; tutò jaculatur aut capit, sui que Juris facit.

Præmissâ hâc distinctione; quid tam commune, quàm Mare esse potest, ait Cicero. Mare in earum rerum numero est, quæ proprii Juris fieri non possunt. Flumen populus occupare potest, ut inclusum finibus suis, mare non potest. Hinc à littoribus & fluminibus ad occupationem maris nulla paritas est, quia mare includi non potest. Ad occupationem in mobilibus requiritur apprehensio, in immobilibus limitatio, terminatio &c. quas Oceanus, vastissima illa aquarum congregatio, non admittit. Quod particularia quædam maria inter terras, & limites comprehensâ prætendant aliqui Principes, non tantum est, quia in quibusdam locis lacus latiores sunt, quàm talia maria. At Oceanum inhibere, qui totum Orbem circumluit, (estque sub nubibus velut Elementum aliquod, ut suprâ dixit D. Ambrosius: & quidem immenso spatio inter medium utriusque Orbi) hoc idem fermè est, quam maximum naturæ, universis gentibus in usum, & in communicationem civilem, concessum donum, surripere omnibus gentibus, quod populo privato, ut Hispani vel Lusitani sunt, nequaquam competit, cum nec natura noverca sit, nec publici usus ratio ejusmodi occupationem permittat. Quæ enim unquam Ratio esse valet, ut aliæ gentes, alii populi, aliive Reges & Principes nequirent commercia in Indicis Regionibus exercere, & colonias, ubi Hispani

non incolunt, Jure gentium nequaquam violato, deducere, ac vastum illum Oceanum navigare, cum maris & aëris usus omnibus sit communis, neque naturâ, neque Jure Gentium restrictus ad Hispanos & Lusitanos. His sanè, nisi subsit vel hostilitatis, vel alia ratio; ob quam isti ab Oceano, partibusque Indiarum & novi Orbis Anglorum, Battavorum, ac Gal-lorum repellunt gentes, prætensum illud ex occupatione Do-minium nihil opitulatur; quia nullum est. Et ut concorde-mus Doctores, notandum studiosè, quod illi, qui mare re-bantur posse subjici Dominio particulari, de illis intellexe-rint Principibus & Rebuspublicis, quæ proximos illi Mari portus, ditiones, classes (ex quibus possessio & Jurisdictio oriri potest) atque circumjacentia littora in suâ potestate ha-bent. Istud verò nec Hispani, nec Lusitani in vero illo, ac vastissimo Oceano, aut exiguum quid, possident, quod ad tantam vastitatem & amplitudinem nihil juris, quod aliæ gen-tes non habent, conferre valet.

§8. Tandem & ultimò contra allegatam præscriptionem & consuetudinem immemoriam, quam Hispani & Lusitani licet probare non possint, hoc satis unum est, quod opponi potest: Ea, quæ sunt in se in præscriptibilia, legis dispositio-ne nunquam præscribi: Neque consuetudinem, quæ Juris est positivæ, legi naturali vel positivæ in perpetuum lata ab-rogare posse. Mare autem perpetuâ naturæ & gentium le-ge omnibus quoad usum commune est.

§9. Quod autem nec Hispani, nec Lusitani immemoria-lem præscriptionem & consuetudinem probare queant, exin-dè liquet clarissimè, quod illi tempore Joannis Lusitani, id est Anno 1477. primum in Oceanum inquirere, & quasi priori a-vo turbare cœperint navigationes aliorum populorum, sapè etiam illi ipsi tam ab aliis, quàm invicem mutuâ (Lusita-niæ videlicet & Hispaniæ) hostilitate turbati: constat proinde de tempore, ergo non immemoriam. Ut enim memoriam

exsuperet hominum, non solum viventes non meminisse, sed nec à suis majoribus audivisse debent.

60. Verùm quid de hâc maris sive præscriptione, sive consuetudine ex fundamento Juris & Theologiæ tenendum, lubet Hispanum Theologum Alphonsum Castrensem desuper scribentem, æquo animo percipere, qui libro de Potestate legis pœnalis, secundo, capite 14. ait, suspectam planè esse eorum sententiam (quæ tamen in centuplum probabilius defendi potest, quam Hispanorum & Lusitanorum prætensio) existimantium Genuenses aut etiam Venetos posse non injuriâ prohibere alios navigare per Golfum aut pelagus sui maris, quasi æquora ipsa præscripserint id, quod non solum est contra leges: sed etiam contra ipsum Jus naturæ, aut gentium primævum, quod mutari nequit. Hoc constat, quod non solum maria, aut æquora communia erant, sed etiam reliquæ omnes res immobiles. Et licet ab eo Jure postea recessum fuerit ex parte, puta, quoad Dominium & proprietatem terrarum, quarum Dominium Jure naturæ commune, distinctum & divisum, sicque ab illâ communione segregatum fuit: tamen diversum fuit, & est in Dominio maris, quod ab origine Mundi, ad hodiernum usque diem est, fuitque semper in communi, nullâ ex parte immutatum, ut est notum. Et quamvis ex Lusitanis magnam turbam sæpe audiverim in hâc esse opinionem, ut eorum Rex præscripserit navigationem Indici ejusdemque vastissimi Maris, ita ut reliquis gentibus æquora illa transfretare non liceat, & ex nostrismet Hispanis vulgus in eadem opinione ferè esse videtur, ut per vastissimum immensumque Põntum ad Indorum Regiones, reliquis mortalium navigare, præterquam Hispanis Jus minimè sit, quasi id jus ab eis præscriptum fuerit; tamen istorum omnium insanæ sunt opiniones non minus, quàm eorum, qui quoad Genuenses & Venetos in eodem ferè Dominio esse adstruunt; quas sententias ineptire, vel ex eo dilucidius apparet, quod istarum nationum singulæ contra seipsas neque-

nequeunt præscribere : hoc est, non Respublica Venetiarum contra semetipsam : non Respublica Genuensium contra semetipsam non Regnum Hispanicum contra semetipsum : non Regnum Lusitanicum contra semetipsum. Esse enim debet differentia inter agentem & patientem. Contra reliquas verò nationes longè minus præscribere possunt, quia Jus præscriptionum est merè civile. Ergò tale Jus cessat, cum agitur inter Principes, vel populos superiorem non agnoscentes in temporalibus. Jura enim merè Civilia cujuscunque Regionis, quoad exteros populos, nationes, vel etiam homines singulos, non magis sunt in consideratione, quàm si tale Jus nunquam fuisset : & ad Jus commune gentium primævum, vel secundarium recurrendum est, eoque utendum, quo Jure, talem maris præscriptionem, & usurpationem admissam non fuisse satis constat.

61. Eadem Authoris mens est ratione consuetudinis. Utròque enim casu, ait ille, ut apparet, eadem est ratio. Quia per Jura & rationes super allatas ejusmodi consuetudo esset contra naturalem æquitatem, ideòque nec rationabilis, neque honesta, imò in manifestam læsionem proximi, cum videatur ex livore procedere, repugnatque Charitati Christianæ volenti, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Adeòque si talis lex positiva injusta foret, multo id magis detacità censeri debet. Denique iniqua nunquam præscribi, nec consuetudine, nec usu, aut alio quovis prætextu induci valent.

62. Paucis cum Ulpiano in l. Venditor. ff. omnium prædiorum, omnia exprimo: Mari, quod naturà omnibus patet, servitus imponi privatà Lege non potest.

Adeò in utramque partem nobilissima hæc quæstio ventilatur, & utrimque suum probabilitatis fundamentum

emicat. Ut mirum non sit, quod propterea jam sæpiùs arma assumpta, & reassumpta, corúmque Justitia ac bona causa, ex ipsâ tam affirmativæ quàm negativæ probabilitate, & necdum per Jurisprudentes sat decisâ quæstione publicis Instrumentis & Manifestis mundo sæpiùs exhibita.

63. Attemperari attamen hæc valeret, si tria in mari æquo oculo spectaremus. Proprietatem nimirum, quam maris nemo habet. Usus illius, qui omnibus communis est. Jurisdictionem, quæ quidem ad Principes pertinere videtur; eâ tamen ratione, ne ex illâ officiant communi, de Jure naturæ, navigantium libertati; sive prohibendo (nisi hostibus) transitum, sive imponendo gabellas iis, qui portus eorum non subeunt, nec apud illos mercantur aut funerantur: præsertim verò in Oceano, qui nec apprehendi, nec limitibus constringi ob suam immensam vastitatem, & indefinitum tractum, adeoque nec occupari, aut possideri potest, uti cœtera maria particularia, quæ natura ipsa in sinus & freta formavit & distinxit.

Hinc Scriptores Oceanum appellant mare apertum, ac latè patens omnibus: alii Mare Mundi, ut vel indè innuerent hoc mare, quia apertum est, esse omnium Navigationi liberum. Et sicut totum Mundum nemo unus possidet, nec possedit unquam præter Adamum: ita Mare Mundi à duabus solum nationibus, Hispanâ & Lusitanâ propter aliquos paucos portus (nam plures numerantur Turcarum Imperatoris & Regis de Marocco) possideri non potest neque debet salvâ libertate naturali ac omnium gentium.

Dignitas hujus quæstionis de maris Dominio præter morem nostrum fecit prolixiorum calamum. Fatigavit etiam alios quæstio hæc, qui distinxerunt maria in libera, & subjecta: in aperta & clausa: sed tantâ utrinque probabilitate; ut in problema transierit, & decidi fermè armis magis debeat,

debeat, quàm Jurisprudentum calculo. Hinc ætate hæc postremâ apud omnes fermè Principes, qui maria accolunt, quædam Ratio Status arcanumque est: Maris proprietatem tenacissimè tueri, cum à Dominio Maris, Dominium terræ dependeat.

Ejusmodi prætensiones nôsse apprime Legato expedit, sicut & Pacificationes majores, ac fœdera Principum; quæ nunc præterimus, quia ejusmodi distinctis libris tractabimus. Sic finit (DEO laudes) Liber de Legationibus.





ARCANORUM STATUS

LIBER V.

IRIS

POLITICA.

SIVE DE

JURE CONFOEDERA-
TIONUM.

CAPUT I.

De Fœdere in genere.

I.



Fœdus Politici appellant Principum duorum, vel plurium, vel etiam populorum, vel urbium; pactum publicum, in sui invicem conservationem, justè ac legitime initum. Fœderum ratio ab ipso condito, auctoque Orbe apud omnes fermè gentes celebratur, tracto ab ipsis Superis ortu, qui aliquando fœdus pepigerunt cum

cum hominibus productâ , in reconciliationis testimonium , cœlesti iride. Peracto enim diluvio statuerat DEUS pactum cum Noë, & filiis ejus, ne amplius periret omnis caro aquarum exundatione, inquiens: Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: cùmque cœlum obduxero nubibus, recordabor fœderis mei. 6ⁿ. e.
9'

2. A lege naturæ ad scriptam digredior: in hâc Moyses, ut Exodus habet, sanguine victimarum resperfit populum, sicque sancivit legem inter DEUM & populum: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus. Adeò nihil fœderum more antiquius, neque successivis temporibus, aliud securitatis publicæ fortius vinculum, aut tutius humanæ Societatis præsidium fuit, quàm amicorum confœderatio & mutuò jurata Sociorum fides, qui huic adversatur, agit contra naturam legemque humanam & divinam. Sic enim ab ipso initio Mundi constituit DEUS, ut unius manus, imbecillis sit pugna.

Latrocinii infesta itinera, non nisi fœderatâ sociorum comitivâ ingredimur: Quid autem Regna, nisi magna latrocinia, dixit Augustinus. Hæc sive comparare, sive tueri, sive aggredi, sive eorum propulsare pericula, si opus est, opus hoc ipso etiam amicis erit, qui sociata auxilia ferant adversis conatibus. Omnes gentes (ut testatur Livius & Dion Cassius, nova vetusque historia) cum de Imperio certârunt, ante omnia socios suæ fortunæ quærebant. Nec Romulus, nec Cyrus, nec ipse, qui à DEO speciali curâ regebatur populus Israel, sine sociorum suppetiis crevit aut suum stabiliit imperium.

3. Post Græcorum Imperii luctuosa vestigia, se conservavit in maximis periculis Romanum Imperium fœderatorum ope. Illi quippe propugnacula erant, quæ prius tentari & capi debebant, quàm illud impeteretur. Et quæ nunc florent Europæ Regna, stant potius amicorum fœdere, quàm propriis viribus: ita nimirum providente Numine, ne, cum

unus alterius ope egeat, unquam depereat humanitas & necessitudo illa civilis, quæ ab interitû genus humanum præservat. Dum singuli oppugnantur, universi succumbunt; dum vero singulorum pericula conjunctis omnium vel plurium viribus propulsantur, universi subsistunt. Prioris exemplum fuere divisæ olim Græciæ urbes à Philippo Macedone, sensim & per intervalla subactæ. Et postea ejusdem Græciæ Principes, rursus inter se divisi (ultimi Constantini videlicet tempore) Ottomannis in prædam cessere. Adeo genti illi disjungi semper fatale fuit, ut primævo suo damno edocta nescierit unquam tamen conjungi, & futuris providere malis. Posterioris exemplum etiam intueri licet in confœderatâ Bataviâ, nec minùs in unitâ Helvetiâ. Batavia rarò diffentit propter unitatem Religionis; Helvetia sæpè, propter illius disparitatem; nunquam tamen ita, ut illicò conjuncta se externis potentiis opponere non valeat.

4. Fœdera sancta sunt apud eos homines, apud quos juxta divinam Religionem fides humana colitur. Nihil fœderum, pactorum ac promissorum omnium religione antiquius habitum. Qui, ruptò fœdere, injuriam inferunt, Numinis sunt contemptores. Undè fœdera pacisci, ac juramento ea firmare tam antiquorum more, quàm postea, ad Jus divinum spectare videtur. Perceptione corporis & sanguinis Domini confirmata fuit pax inter Henricum IV. Imperatorem & Paschalem Romanum Pontificem. Ipsi Turcæ & Barbari si cum Christianis fœdera ineunt; ea Jurejurando stabiliant. Græci, qui cum Cyro adversus Persas fœdus percusserant, mactato tauro, lupo, apro & ariete, in quorum sanguine intingentes Græci ensẽ, Barbari autem hastam; jurabant neutri alteros se deserturos, sed belli fore indivisos socios. Barbari verò insuper spondebant, se sine fraude Græcos ducturos esse. Romani fœdus firmabant porcâ saxo contusâ, cum imprecationibus, ut sic cæderentur, qui fœdere rupto à promissâ fide discederent. Jurejurando se obstrinxerunt

runt Græci omnes, cum adversus copias Xerxis dimicaturi essent in hæc verba: Vitam libertate pluris non faciam, neque deferam Imperatores neque vivos, neque mortuos. &c. Scythæ hoc modo fœdus sanciebant: Infuso in grandem calicem frætibilem vino, commiscebant eorum sanguinem, qui ferirent fœdus, percipientes cultello aut incidentes gladio aliquantulum corporis, deindè in calice tingebant sagittas, securim, jaculum: hæc simul atque fecissent, se se multis verbis devovère diris, postea epoto vino, non modò ab iis, qui fœdus faciebant, sed etiam à comitibus illorum, qui erant majoris dignitatis.


Divinus Vates intonat: Qui dissolvit pactum, nunquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus, quoniam in loco Regis, qui constituit eum Regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. Ita divina Nemesis persequitur fœdifragos, quia perjuros. Expendit hoc serio animo Josue, ubi Gabæonitis datam fidem vel frangere vel observare deliberabat, inquit: Juravimus eis in nomine DEI Israël, & idcirco non possumus eò contingere. Fœdera fundantur firmanturque præter Jurisjurandi religionem, etiam in ipsâ fide humanâ, quæ sanctissimum humani pectoris bonum est. Nullâ necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Illa omnem deliberationem excludit: illis abrogatione omnis humana societas tollitur: illam qui in consilio habet, etiam hosti est æquus: malo (dicebat Seneca) mihi successum deesse, quam fidem: Hujus nullum unquam tempus violationem, aut prætexta necessitas excusat: quia Jurejurando interposito & fœderibus ictis ipsum DEUM sponsorem conventionum facit: ideò violata illa, cuicumque fuerit data, tandem à sponsore & teste DEO mulctatur.

5. Nulla res firmius constringit fœdera, nulla plùs firmat ac stabilie Confœderatorum voluntates, & societatem,
nulla

nulla vehementius continet Rempublicam, quàm si promissorum exacta fides servari videatur. Fidem verò non sola verborum formula exornat, sed fidem res sequi debet. Ubi res non sequitur, verba minimùm valent. Quicquid contra promissà fit, solum id, aut perjurio latebra, aut aperta violatio sanctissimi depositi est, quæ nullis calliditatis humanæ recessibus, nullo excusationum, nullo falsarum rationum velamine obtegi potest. Unâ fide res hominum stant; sublata corrunt. Silius Vates commonet:

*Audite, O gentes! non rumpite fœdera Pacis;
nec Regnis præferte fidem.*

6. Sed O raram per hæc tempora fidem! Ubi primùm fortuna titubat, mox corruiat fides fœderum. Nemo vult esse calamitosorum socius, nemo egentium amicus, nemo cœsorum confœderatus. Quamprimùm quæstus imminuitur, aut commercia infringuntur, in partes seceditur, & Confœderati deseruntur citra omnem datæ fidei synderesin. Ubi de Regno agitur, aut commodis Regnantium; nihil minùs pensatur quàm fides: mox hæc nive citius solvitur poena levior in aëra rapitur: & infringitur ut levis canna. Quanta ejusmodi abrogatæ fidei, violatorum fœderum, circumventorumque Principum, quæ hoc ultimo ævo in Europâ nostrâ contigisse scimus, si liceret, referri possent. Verùm sicut succumbit fides, ita veritas succumbere debet. Fides, ait Tacitus, integra nunquam manet, ubi magis magnitudo quæstuum, quàm fœderum sanctitas spectatur. Sed exolevit jam **Attica Fides**: obliteratum **Rhadamanti Jusjurandum**: contractæ **Jovis Fabulæ**: Desiit **Dictum ac factum**. Divites sumus promissis tantùm, factis autem inopcs.



CAPUT II.

Diversitas Fœderum.

I. **A** Varietate conditionum , rerúmque , variantur etiam Fœdera , eáque ad duplicem speciem refero ; æqualitatis & inæqualitatis.

Æqualia Fœdera contrahuntur inter æquales Dignitate, Imperio , Statibus , reciprocâ , æqualique ambarum partium obligatione. Si utrobique æqualis est obligatio , cœterum vix requiritur arithmetica æqualitas. Sat erit , si confœderatî fuerint Principes absoluti , potentes , & existimatione digni. Multi siquidem pollent opibus , non viribus armorum. Alii excellunt amplitudine Statuum ; alii civium unione. Multis miles est , pecunia & nervus Belli aliis. Rectum apud quosdam consilium , vel industria , vel fortitudo , vel locorum occasio , vel viarum & munimentorum invincibilitas , exsuperat opes , vires & quamvis potentiam aliorum , adeò sua quæque sibi supplemento sunt , ut justam æqualitatem pariant. Eiusmodi æqualitatis fœdera intervenère olim sæpius inter Papam , Hispanum & Sabaudum : inter Gallum , Anglum , Svecum : & non pridem inter Cæsarem , Papam , Polonum , & Rempublicam Veneram adversus Turcam ; modò contra Franciæ Regem , inter Cæsarem , Anglum & Batavos , & alia similia.

2. **Æ**quales Fœderati mutuò se continent , quia mutuò se metuunt. Idcò enim plerumque fœdera contrahuntur , ut præpotentes coërceantur. Palàm sunt priori ævo æmulationes illæ inter Carolum V. Franciscum I. & Henricum octavum , quorum quis-

piam, quamprimùm Sphæram Potentiæ suæ exscendebat, mox ab aliis duobus pulsabatur. *Æquabilis ex omnibus Potentia firmiora reddit fœdera, pacemque magis stabilit publicam.*

Æquo fœdere amicitia & Societas initur vel in eadem re, vel in æquivalenti, ut cum unus fœderatus armorum diversionem, alter com meatum; unus auxiliares copias, alter pecuniam polliceatur, vel singuli omnia justâ proportionem.

3. Fœdus, quod æquale dixi, rursus duplex est: **Plenum, scilicet, & non Plenum.**

Plenum, ajo: quando Regna, Provinciæ, & Status aliàs in se divisi & separati, item populi, gentes, communitates; communicatis invicem legibus fundamentalibus & Juribus in unum quasi corpus coalescunt, & cooptantur. Qualis confœderatio intercessit olim inter Albanos & Romanos, aliôsque populos, qui perpetuo fœdere in communionem Reipublicæ Romanæ fuerunt assumpti. Sic Respublica Hebræorum in Societatem Regni recepit Gabaonitas, Idumæos, aliôsque populos. Sic Scotia & Hybernia cooptata Angliæ. Sic Regnum Arelatense, Britannia, aliique olim separati Principatus, annexi Coronæ Franciæ. Ejusmodi fœdus intendebat Henricus quartus Borbonius cum omnibus Europæis Principibus & Rebus publicis, (exceptis Austriacis) pacisci, & sub nomine Reipublicæ Christianæ arbitrari in Europam universam, proscriptâ gente Austriacâ, quæ semper unica fuit spina in oculis Regum Galliæ. In hisce confœderationibus communis est amicitia, Jus hospitii, commerciorum, una omnium defensio, unus omnium hostis, unum omnium corpus, unus spiritus.

4. Hâc Ratione Silesia, Moravia Regno Bohemiæ unita magnorum deinde motuum causa fuit. Cum enim Bohemiæ Status post enormissima facinora, aperta perduellionis

à Matthiâ Cæsare, eorum Rege legitimo, declarati, jam jam Austriacis armis peterentur; non erubuerunt Silesiæ Principes rebellem Bohemiam milite, annonâ & pecuniâ sublevare. Neque impedire poterant Cæsaris, ut supremi Principis, jussâ, preces, minâ, legationes iteratâ, replicatâ nefandum auxilium: quia semper pratexebant, se fœdere jurato obstringi Bohemis. Adeò periculosa existunt Principibus Provinciarum cooptationes & uniones, quia indè augetur in immensum potentia subditorum, ex quâ facilis est transitus in statum libertatis, uti apud Belgas fœderatâ Provinciâ excusso Regio Dominio se liberas asseruere. Neque proficit, etiamsi Princeps in ejusmodi unionibus & confœderationibus excipiatur: quia in motibus seditiosis, plebis furor non discernit exceptiones.

5. Regius itaque sit ille Canon: Ut Principes non facile permittant Status diversarum Provinciarum inter se se unire, & in unum corpus pleno fœdere coalescere. Quantum nunc faceffit negotii omnibus Regnantibus Batavia? Quantum Helvetia? Quantum olim fœderatâ Anseatica Urbes? palàm est. Igitur Principes, Vicini semper suspectas habeant ejusmodi confœderationes Provinciarum: potius earum divisionem, quàm unionem procurent. Immediati verò Principes planè fatales sibi existiment propriarum Provinciarum uniones, ideòque satagant magis eas sibi plenâ subjectione unire, quàm sinant, ut sub quocunque prætectu in mutuum fœdus coalescant. Difficilius imperabunt unitis quàm divisis, & insultabunt vehementius unitâ, quàm divisâ.

6. Ad æqualitatem fœderum refert Bodinus fœdus etiam lib. 4. de Republ. illud, quod intercessit inter Galliæ Reges & Helvetiorum patres, cum quibus illi sic societatem iniere; ut Reges arbitrio suo exercitum ex Helvetiis ad Imperii Gallicani tutelam conscribere valeant. Vicissim verò illi Helvetiis adversus omnes externas invasiones opem omnem ferre obstringantur. Ne verò hostes Galliæ Helvetios à Gallorum Societate divellere

possent, quod prius interdum accidebat, pensionem mille aureorum, ait Bodinus, in singulas Civitates sponponderunt; sicque fortissimam gentem aureo vinculo sibi addixerunt Galli, ne in partes abire possit. Verum posterioribus temporibus venale hoc foedus etiam alii Principes obtinere, vel plane praecipuere Gallis, quorum Potentiam aliquando suspectam habuere Helvetii, praecipue periclitante Sabaudia.

7. *Non plena Confoederatio* est, qua diversae Provinciae vel Regna, salvo singulis suo Majestatis Jure, ultrò citròque isto foedere paciscuntur, seque certis legibus & conditionibus invicem obligant. Et hoc foedus vel offensivum vel defensivum est. Per primum omnibus confoederatis iidem aut amici aut hostes sunt, eosque vel communi amicitia colunt, vel conjunctis armis persequuntur. Per secundum tenentur Confoederati ad mutuas suppetias ac defensionem sibi invicem, uno vel alio modo, sed plerunque ex praescripto praestandam.

8. Coeterum Ratione temporis alia foedera sunt perpetua & aeterna, alia definita seu temporaria. Perpetua tam diu durant, quamdiu gentis & Reipublicae ultrò citròque contrahentis nomen erit. Ejusmodi foedera appellabant Hebraei *foedera Salis*. Uti sacra pagina innuit: *Pactum salis est sempiternum coram Domino tibi ac filiis tuis*. Nihil enim eorum est, quae concreta sunt ex Elementis, sale incorruptius. Anno 1619. aeternum & perpetuum foedus, ut habet Articulus XIV, Pofonii contraxit Bethelen Gabor sive Gabriel, nomine Regni Hungariae cum Statibus perduellibus Bohemiae, eorumque Pseudo-Rege Friderico contra Ferdinandum II. & totam Aestriacam domum. Sed nequaquam perpetuum: erat tantum solstitiale: & cum Rege solstitiali disparuit revindicata Aestriacis armis universa Bohemia, & expulso Palatino.

9. Aeternae confoederationis plerumque mos Romae fuit. Romanis atque omnibus Latinis Urbibus inter se Pax esto; donec Coelum & terra eundem habeant Statum. Ad humani-

tatem

N. m. 18.

Sabelli-
cus lib.
8. A-
neid.

tatem enim pertinet, amicitias immortales, inimicitias mortales esse.

10. E contra temporaria fœdera fanciuntur ad certum tempus, vel usque ad confœderati Principis excessum. Sæpius tamen alterutro confœderato mortuo protrahitur fœdus ex pacto. Sic quoties Reges Galliæ cum Helvetiis paciscuntur, toties diserte caveri solet, ut in quintum annum à Principis obitu prorogetur & continuetur fœdus.

11. Secundam Speciem fœderum inæqualium supra diximus. Ejusmodi fœdus inæquale plerùmque intercedit inter Respublicas, Principes, Civitates, bonis & viribus admodum inæquales. Et etiamsi hoc genere fœderis neutra pars contrahentium renuntiet libertati suæ & Juribus Majestatis, debilior tamen Potentioris Principis aut Reipublicæ Majestatem comiter observare tenetur.

12. Post Victoriâ Papiensem, ejectosque totâ Italiâ Gallos, ac ipso Rege Francisco in captivitate in Hispanias abducto, omnes Italiæ Principes & civitates, præter Venetam Rempublicam, patrocinium Regis Hispaniarum susceperunt. Nam, ut Polybius ait, inter plures diversas & liberas Respublicas, aut tenuiores Principes tamdiu Societas durat, quamdiu spes est mutui accipiendi subsidii: Ubi verò spes illa profus deficit, tunc privatim unaquæque sibi suisque rebus consulere, ac consilium in tempore capere gessit.

lib. 4.

13. Fœdus ejusmodi, minoris cum majore **Clientelare** (de quo postea) à Politicis appellatur. Et tamdiu fœderis nomine gaudet, quamdiu in servitutem non abit. Protectionis etenim causa (ut Juris-Consulti notant) non habet Jus Domini. Quemadmodum auxiliares milites non exinde quidpiam in Rempublicam Juris acquirunt, quod Stipendio ad auxilium & opem illius vocentur. Neque offiunt exempla, quibus constat, aliquos ex protectionis Officio

6. polit. tranſiſſe in uſurpationem poteſtatis. Nam aliud eſt invadere
cap. 7. poteſtatem, aliud protegere: quanquam certè proximus gra-
dus poſt protectionem ſit invaſio, Ariſtotelis experienciã:
apud eum enim, inquit, apud quem arma prævalent, ſolet
etiã eſſe adminiſtratio Reipublicæ: eãque ratione invaſe-
runt Tyrannidem Rectores Græciæ urbium, *armis jam facti
ſuperiores.*

14. Ne igitur inæquali fœdere ſenſim inferatur turpis
illa ſervitus, neceſſe eſt; ut inter Potentes & tenuiores æquiſ-
ſimæ intercedant cõditiones. Deindè ut Patrocinii tabulæ,
quas Protectionis literas vulgò vocant, Clientibus à Patrono
dentur, quibus teſtatum ſit, Majeſtatis & libertatis Jura ſalva
& integra Clientibus fore. Deinde brevioris temporis inter-
vallo finiantur: ut ſi Clientibus grave videatur fœdus, muta-
ri: Si honeſtum, continuari poſſit. Omnium autem Cau-
tionum maxima eſt, ne Patroni Clientum arces & munimen-
ta præſidio militari teneant. Quod Scoti, cum in Anglo-
rum patrocinium venirent, Anno 1559. ſagaciter observa-
runt.

Denique una eſt Infirmiorum adverſus Potentiorum
cautio & ſecuritas, ut potentes ita ſtringantur, ne ſi no-
cere velint, haudquaquam poſſint.

9. Tertiam fœderum cauſam aperio: ſcilicet ſui ſuo-
rumque deſenſionem. Se tueri lex eſt Mortalium commu-
nis, & gentium omnium conſenſu comprobata. Cui neque
civiles, neque pontificiæ leges derogare poſſunt. Hæc de-
ſenſio ſe extendit etiã ad ſuos: cum divina planè ſit actio
debiles adverſus potentiores fulcire, & ab injuriã tutos præ-
ſtare. Rem oppoſitam dixit ille in Græcâ Politicâ apprimè
lib. 1. verſatus Thucydides: Non reprehendendum eſt, ſi hi, qui inju-
riã afficiuntur, deſenſionis ſuæ honorumque cauſã non ſo-
lùm vicinos, ſed etiã exteros ſibi in fœdus adjungant. Ca-
veant tamen, ne externa auxilia fiant domeſtica excidia. Quæ
aliquan-

aliquando & in casu singulari licita sunt, non duci debent in exemplum. Fœdera ad absolutos Principes spectant, Privatis externa in seditiōnem computantur.

Convenit quidem Imperii Ordinibus confœderatio invicem, & cum externis Jure defensionis necessaria; at verò, quoniam possibile est, ut in Reipublicæ perniciem aliqui Status seu inter se, seu cum exterioribus fœdera contrahant, ideo Instrumentum Pacis inter Cæsarem & Sueciæ Regem articulo octavo expressam addidit restrictionem, ne fœdera Statuum non solum contra Imperatorem & Imperium tenderent, sed etiam ne Pacem Imperii publicam vel transactionem Instrumenti Pacis quocunque modo læderent, fierentque salvo per omnia Juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obligatur. Quibus verbis planè ipsis Statibus Imperii contra alterum Imperii Statum fœdus inire interdictum est. Tali casu enim, quia aliæ similitates inter Status evenire possunt, nec pactum illud contra Imperatorem foret, nec contra Imperium, tamen quia tenderet contra Pacem publicam, & contra Instrumentum Pacis, quorum vigore non licet Bellum gerere adversus Ordines Imperii, similia fœdera hæc lege subsistere non valerent.



CAPUT III.

Fœderum varii fines.

1. **F**inis, sicut in omnibus, in Regiâ præsertim arte Principium est. Fœdera, quæ præcipua Arcana sunt Status, in varios tendunt fines; prout nimirum illos vel ipsa forma Regiminis exigit; vel necessitas requirit, vel Imperantis animus impellit: & hinc sunt innumeri. Omnes explicare vix datur, eos autem ad certos fontes reducere, nostræ operæ erit.

2. Igitur universim foederum fines & causas moventes, ad quinque potissimum capita revoco: Illa sunt: **Æmulatio: Metus: Sui, Suorumque defensio: Augmentum Status: & Zelus Religionis.**

Ex æmulatione contrahunt Principes foedera adversus foedera: & vires opponunt viribus, ne istæ universis nocere valeant. Etheocles dicebat Lacedæmoniis, duos Lylandros Spartam ferre non posse. Et Archestratus Atheniensis: Duos Alcibiades Athenis tolerandos vix esse. Ex æmulatione Athenienses & Spartani totam Græciæ vim in duas partes diviserunt. Romani & Carthaginenses totum fermè mundum exæquaverunt, quemadmodum priore ævo Galli & Hispani Europam. Et reverà in Statu Politico æmulatio, quæ ex similitudine oritur, suum etiam decus habet & laudem promeruit olim apud Romanos. Etenim non solum acuit Spiritus, & excitat generositatis illos igniculos, ne torpescant magnorum virorum animi: Sed etiam æquilibrium quoddam inducit, ne suam quæque excedat sphaeram Potestas, & attemperat immodicum illum æstum prædominandi. Principibus, qui insigni prudentiâ pollent, semper certum fuit: Securitatem publicam in æquilibrio potentiæ viriùmque utrinque consistere. Hinc obstaculum, ait Cardinalis Richelius, adverso æqualique foedere rectè opponitur externæ Potentiæ, ne præpolleat aliis, & exindè Pacem turbet publicam.

3. **Æmulationi succedit justus & prudens metus:** ubi Principes contra tertium, cujus Potentiam suspectam habent, foedera & societates paciscuntur. Mezentius haud gravatim Turno ac Rutulis focia arma contra Trojanos conjunxit; quod novæ Urbis exstructio minimè ipsi placeret, ac rei Trojanæ incrementum accolis parùm tutum videretur. Ætoli ab Antiocho contra Romanos auxilia petentes simili ratione usi sunt: cum ad dignitatem ejus, fidemque pertinere dicerent, non prodi focios, tum etiam ad incolumita-

Plut. in
Lyfau.
& Alcib.

Cic. de
off.

Livius
l. i.

tem Regni non sinere Romanos omni curâ vacuos, cum Ætolorum gentem sustulissent, omnibus copiis in Asiam trajecturos. Ejusmodi metus Europam nostram dividit. Gallia fœdere complectitur omnes, quicunque Austriacorum potentiam formidant, aut ejus hostes sunt: Hispania & Austria cœteros fovet, ut sibi sint in persecutione Gallicâ auxilio, retardentque cursum continuæ usurpationi, quæ se suis limitibus vix unquam continere novit; sed toties in Italiam jam & olim præcurrit, Viscera ipsa desolatæ Germaniæ excenteravit, pedémque planè (sed Superi avertant) in Hispaniâ figere, etiamnum attentat.

4. Studium omne, præcipuúmque Regum esse, in comperito est: **Par pari referre sive ex æmulatione, sive ex metu.** Cum enim priori ævo, pro Rege Galliæ non solum fœdus illud celebre (sed inopinatum) cum Sabaudis & Venetis, ad stipulante per Mansfeldium Palatino, sed etiam exercitum viginti quinque Millium contraxisset Cardinalis Richelius, rerum Gallicarum sollicitus Minister: illicò Hispanus ex metu tam conjunctæ Potentiæ, Ministris suis mandaverat, ut fœdus cum Principibus Italiæ properè sancirent obviæ ituri Ministro Gallicano. Commota desuper universa Italia, famâ undique sparsâ Gallum, Sabundum & Venetos, emptis ingenti auro Germanorum & Rhetorum exercitibus Italiam jam illorum voto subactam divisuros. Undè Principes tutandis rebus suis intenti, omnes se fœderi Hispanico ultrò innexuere:

5. Extat alia plena sensû Oratio Hispaniæ Ablegati ad Senatum Venetum Anno 1641. ita profantis.

Non ignoratis, Viri Illustrissimi, quæ jam potentia, qui progressus, quæ fortuna Gallorum in Italiâ sit? quam indies novis splendidiorem reddunt victoriis & accessionibus: & quoniam Domus Austriaca tota in eo semper fuit, ut crescenti, imò in immensum jam auctæ Gallo-

rum Potentiæ obviam iret, ad vos jam missus sum (utpotè ad eos, ad quos non minima cladis Hispanicæ pars, & Mediolanensis Status calamitas & angustia pertinent) rogatum, ut Regi meo, cœu proximo laboranti consilium impertiat, præstóque opera communicetis, quam ulterius differendo, viribus nostris comminutis, frustra posthâc largiamini; & in vanum postea insatiabilem Gallorum cupiditatem distineret & progressus eorum demorari contendatis. Alto itaque & gravi somno sopiti, quo estis Patres Illustrissimi, resurgite, ne torpentes vos, post primos occupet victor. Omnes enim in quocunque statu etiam sint, qui feliciter imperare cupiunt, hoc in usu habent **nimiis auctæ incrementis Potentiæ se se opponere**: Et Respublica Vestra præ aliis cunctis hujus Regulæ Politicæ tenacissima est, cujus sub cautelâ hucusque florentissima fuit, & æquilibrium inter potentes & validos tenendo, atque debilioribus assistendo feliciter stetit, vixit & benè vixit. Quare perpendite quo jam in Statu Ducatus Mediolanensis sit: Unicus ille est Exterorum invasionibus oppositus murus & Domini Veneti unicum propugnaculum, hoc si vacuum relinquitis; nullus exercitus, nullum flumen, nullum denique in Italiâ munimentum, feralem & priori sæculo sub Ludovico, Carolo & Francisco expertam & probè notam vim & impetum retinere poterit. &c.

6. Quemadmodum verò Hispani Gallia, ita Galli Austria, quam utroque Orbe complectebatur Potentiam, sugillare, suspectamque reddere, & adversus hanc omnes Europæ Principes (ut aliquando attentavit Henricus IV.) in fœdus vocare connitebantur. Palàm extat Richelii sagacissimum consilium agentis; animadvertendum esse, quoad Jura, quæ Gallia subditi per Italiam acquirere possunt, ut Austriaci à nimia Potentiâ, novisque incrementis distineantur. Cùmque jam potiorem Germaniæ partem teneant, nullum
certius

certius æquilibrium, quàm Italia Principes fœdere compingere; & in Provinciis Austriacis, vel per successionem (quod postremi Gallorum Reges ausi) vel per firmatos jure aliquo Gallicos Principes recipiendis Gallorum armis, ad Italorum necessitates pedem figere. Neque metuendum, quin Italia Principibus Gallorum arma, Hispanis opposita minùs placeant, cum Hispanos majori odio, quàm metu persequantur, ut gradum eorum coërceant, nullo emolumento, nisi Justitiâ Pacèque per Italiam servatâ. Ita Cardinalis. Adcò Principes de Primatu inter se contendunt, seque invicem coarguunt de illo, quem tamen omnes sibi in omnium Bellorum & confœderationum scopum præfixerunt. Quilibet enim alterius Potentiam incusat, & nihilominus vix aliquis est, qui Potentissimus evadere non satagat.

7. Hæc quidem olim inter Gallos & Austriacos, at nunc quid Europæ Principes omnes mente concipiunt aut quid prævident, credunt aut indicant, ubi vident & sciunt, Galliam, quæ aliundè in seipsâ metuenda fuit omnibus, Hispaniæ conjungi? Hic eudit Vulcanus toti Europæ compedes. Indè expectent cœteri Reges & Principes sua præcipitia, exilia: vel indignam servitutem. Non in unâ Hispaniâ reponit centrum votorum suorum Gallia: Arbitrium intendit totius Mundi.

8. Nemo mihi obganniat, indè Hispaniam non conjungi Gallia: Ubi suum quisque Regnum, alius occupet Rex. Umbratile hoc est: fucus & prætextus, imò dico Hispaniam mancipari Gallia, quæ non alio, quàm Gallico consilio regitur. Res palàm est: Ablegatus Gallia nunc Arcanis assidet Hispaniæ, & cor usurpatoris Regis in manu ejus est. O mei vos Grandes (inania nunc nomina) non ampliùs vestrum est de summâ rerum Hispanicarum disponere. Gallia, si non mancipata, est saltem innexa Hispania: quod à cunis Ludovici XIII. & XIV. unicum fuit suspirium Mazarini & Richelii, Ar-

canum hoc in capite libri scriptum est Gallis: per accessionem aliarum coronarum suam non tam venerandam, quam tremendam Europæ facere. Suspirabitis (non vanus vates sum) depileatâ fronte, quam fastuoso tulistis aliquando animo, Austriacorum modestiam. At vos O Regia Nomina, Portugallia, Anglia, Dania, Hollandia, insistite, quo cœpistis, martiali favonio. Cedat Carolo Austriaco, quod suum est Patrum merito, & sanguinis Jure. Nondum excessit soboles hispanica, viger illa adhuc mascula post Leopoldum in gnatis suis. Sint, sint proximiores, ut Galli jactant, in gradibus ex fœminarum cognatione Galli Austriacis: sed superiores sunt hi illis masculâ Origine, quæ eadem est cum Hispaniæ Regibus, ac idem communis Pater vel stipes, Philippus nimirum primus Austriacus. Unde (rem notoriam repeto) Regna Hispaniæ Austriacis? â Johanna utique Arragoniâ. Unde Johanniæ Arragoniæ? â Ferdinando & Isabella; qui Johannam filiam instituerunt Dominum & hæredem omnium Regnorum, & hæc suos ex Philippo Austriaco filios & Ferdinandi ac Isabellæ nepotes, Carolum nimirum V. Jure Primogenituræ, & Ferdinandum Jure successione in casum vacantæ. Cum igitur hæc linea Ferdinandi secundogeniti Johanniæ etiamnum virescat in Carolo Austriaco. Quis Sapiens dicet, Regiam Masculinam stirpem Hispaniæ, extinctâ unâ lineâ in demortuo Rege Carolo, defecisse, ubi altera superest ex Ferdinando. Sanè omni Regnorum Jure, omni Primogenituræ lege (nisi hæc armorum vis & fragor silere faciat, quod Tyrannis consuetum) necesse est Hispanica Regna & Domina superstiti masculinæ lineæ attribui. Quod igitur felix faustumque sit Carolo nostro in hoc cooperantibus totius Europæ Principibus, quorum reverà interest confœderatis animis & armis causam suam agere, cum Austriacam agunt. Nam si Hispania jungatur Austriæ, vel potius Austriacus Princeps gubernet Hispaniam, idem manebit sistema Europæ, quod fuit.

fuit. Eadem modestia Augustissima Domus, eadem leges, eadem vires : Nihil novum aut exoticum , nihil metuendum. Quia aliundè hæc domus Germano - Hispanica conjuncta fuit æterno fœdere , pacto gentilitio , eodem utriusque periculo, eademque fortunâ. Res verò tota alia est , Hispaniam Gallia jungi, vel à Gallico Principe possideri Hispanicam Monarchiam. Novum hoc totum erit, alia Europæ facies : Monstrum quoddam, (sive mores sive leges utriusque gentis spectes) Hispania gallizata. Ad tremendas Gallia vires, accedent invincibiles. Mercenarii erunt, qui nunc sunt absoluti & liberi Principes : Intermedii planè extingventur. Republicæ redigentur in Provincias, Imperium ex successivo fiet Hereditarium, ejusque præcipua & regalia feuda innectentur Coronæ Gallia. Sub tapete hæc sunt omnia : & quæ horum jam non vidimus machinari, imò in opus redigi à Gallis? Omnia profecto, licet non semper ex voto. Contestor tot extractos Gallia Principes eorumque usurpatos Principatus, Belgicas item urbes, Sabaudum, deindè Mantuanum, Lotharingum, Genuensè Rempublicam, Electores Rhenanos, Sacrum Germaniæ Imperium, ac ipsam sacratissimam D. Petri Sedem : quanam Gallia cum his non tentavit ? quanam non obtinuit ? Erubescerent ipsa Gallia lilia, nisi oblita sui essent. Ac verò si Ludovicus tanta patravit in arido, obsistentibus licet extremo conatu semper Hispanis : quid aget in viridi, ubi propitiam habebit Hispaniam ? Vos hoc expendite Europæ Principes, & communi fœdere ite adversus formidandum omnibus hostem. Metus namque Potentiæ nimia justissima est confœderationum causa. Ex ictu ire, ars summa est.

10. Quartam fœderum causam dixi incrementum Statûs. Quod tripliciter intelligi potest : scilicet vel fœdus inire ad recuperanda amissa, vel ad inferenda arma offensiva, vel ad usurpanda aliena.

Primum est Juris naturæ, si citra violationem promissorum, & datæ fidei (quam parùm respexit Franciscus I. erga

Carolus V. in fœdere Madritano) fieri potest. Alterum in iustissimis causis ad Reges ipsos spectat, quorum est litera decretorius armis terminare secundum potestatem sibi coelitus datam. Tertium fœdus planè illicitum est, & in ipsâ Machiavelli schola damnatum, dicentis : **Usurpatio Alieni inter causas & fines Tyrannidis reponitur.** Accidere autem plerumque solet, ut Imperia non diu maneat apud illos, qui ea rapuerunt. Id te memoria vetus & recens docebit. Quis nesciat exitum Dionysii Syracusii? Quis Agrigentini Phalaridis? quis Calcedonii Nabidis? Quis Tiberii, Neronis, Commodi? Annibal ipse conficitur : *Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus.* Quanti sunt, qui, cum se fœderibus implicuerunt ob rerum alienarum cupiditatem, ea quoque, quæ obtinebant, amiserunt : imò ipsas suas fortunas & Provincias extremo subjecere discrimini : Audiant Reges & Principes saluberrimum Cardinalis Richelii monitum : Oprandum foret, ut Principes eam curam de sanguine subditorum conservando ferrent, quam Pericles gessit, primus Græciæ per illam tempestatem Dux, qui usuram huius vitæ depositurus, beatum se se prædicabat, quod nullus Atheniensium vestem mutasset suâ causâ. Pacem sanè ardentius amarent, neque se facillè immiscerent fœderibus offensivis; Sed conservatio subditorum satis causæ inferret ad ardorem cupiditatis extingvendum : cum noverint alieni usurpatorem attrahere in Patriam arma, & subditos exponere millenis periculis & arumnis. Aurea verba : Sed quæ nec moderni Galliæ Ministri expendunt, nec ipse Verborum Author exemplo, factisque suis confirmavit.


II. Ob Religionem denique propriam contrahuntur fœdera, ex zelo hominibus innato, sive in superstitionem, sive in veritatem. Utrouque magnus est, si aliquis est, uti in Belgio, in Bohemiâ, in Galliâ spectavimus. Inter Catholicos Principes inita fuere fœdera sæpius vel ob recuperationem terræ, sanctæ

sanctæ, vel Ecclesiæ defensionem contra infideles, Mahumetanos, Hæreticos. Ejusmodi fœdera omnium firmissima ideò sunt, quia nihil magis conjungit animos mortalium, quàm Religio, sicut illâ discordante, nihil magis dividit.

Sed miserandum hoc ævum, in quo extinctis Godofredis Bulionis & Balduinis, Henricis, Fridericis, extinctus quoque cernitur omnis zelus Religionis. Adeò infirma sunt fœdera in causâ Christi, quam anea & adamantina videmus in causâ Regni caducissimi. Si una Corona Hispaniarum & altera Gallia, quæ se tot antehac cladibus, mutuò affecerunt, & adhuc afficient; contra Portam Ottomannicam strinxissent ferrum, quot quantasque coronas nunc gestasset Sponsa Christi Ecclesia? Verùm fatalitate morum nostrorum magis amamus collidi invicem & cruore mutuo expleri, quàm Turcarum & Infidelium exuviis nostra exornare trophæa.

Æneas Sylvius Epistola centesimâ trigesimâ primâ patheticis verbis alloquitur omnes Christianos Principes: Cogitate quò redacta est Christiana Religio? quantum in Oriente, quantum in meridie diminuta est nostra fides? Sumite alta corda, induite fortes animos, defendite Matrem vestram Ecclesiam, quæ vos Christo regeneravit. Occingimini gladio super femora vestra Potentissimi: Occurrite inimicis Christi, nolite esse ultimi, quo Imperii dignitas jubet exire priores.

Auderent sanè multa Austriaci, nisi Gallicis armis detinerentur, & jam ausi sunt, sed hisce præpediti fuere.



CAPUT IV.

Cujus est inire fœdera ?

I. **O**Mnem expende historiam veterem & novam, divinam & humanam, sacram & profanam; ex omni plane constabit Fœderum Jus vel ad Majestatem, vel ad libertatem, vel ad utramque pertinere: adeò, ut Authoritas paciscendi fœdera vel solis Principibus absolutis, nullum superiorem agnoscentibus, vel ita liberis hominibus, qui nullius Superioris lege teneretur, competat. Ita cum Abrahamo contraxere Escol & Aner, Jacob cum Laban, Isaac cum Abimelech, ut ex sacrâ liquet Genesi. Ita Græcorum liberæ Urbes contra Xerxem: Græci cum Cyro contra Persas, Medi invicem & Arabes, Romani cum Judæis aliisque gentibus: Ita posterioribus temporibus Galli cum Ottomannis & Heterodoxis multoties adversus Domum Austriacam: Ita novissimè Leopoldus Cæsar cum toto fermè septentrione & Lusitano adversus Gallos rerum Hispanicarum Usurpatores. Fœdera etenim cum Belli gerendi Jure pari passu procedunt, & sicut horum, ita illorum Jus inter Jura Majestatis connumerantur.

2. Attamen licet fœderum Jus ad Majestatem referatur, nihilominus tamen illa fœdera privatorum, quæ moræ periculum, nec facultas aliò recurrenti, vel alia quæcunque gravis necessitas exigit, ac in defensionem mutuam tendunt, de genere prohibitorum non esse, ratio ipsa naturalis persvadet, & ingenita illa sui defendendi sive libertas, sive facultas, omninò requirit: cum ita naturâ comparatum sit, ut vim vi liceat repellere, sitque defensio semper licita, ubi offensio est illicita. Quod ipsum Jus Gentium ampliavit, ut non suam solum, sed alienam etiam injuriam propulsare liceat. *Non inferen-*

inferenda, sed depellenda injuria lex virtutis est, ait Canon *non inferenda* 23. 43. Imò *plenam Justitiam* vocat: qui enim non repellit à socio Injuriam, si potest, tam est in vicio, quàm ille, qui fecit, maximè si ejusmodi foederibus accedat consensus Superioris, vel duntaxat in ejus perniciem non vergat. Et hoc foedus illud **Necessarium** dici solitum; quod reipsâ **mutuum auxilium** nuncupari deberet. Ejusmodi foedus contraxere saepenumero inferiores Dynastæ: variâ tamen fortunâ, nec semper legitimâ causâ, saepe prætextu magis, quàm ex lege necessitatis.

3. Interim regulariter Inferiorum confœderationes sine Principis supremi Autoritate seditiones potius sunt. In Majestatem peccat, qui ejus Jura sibi arrogat. *Lex prima C. ut armorum usus*. Criminis læsæ Majestatis damnat facientes foedus contra Dominum suum. Imò de Jure præsumuntur omnes injustæ confœderationes, si adversus Dominum sive directè, sive indirectè suscipiantur.

4. Principibus tamen Imperii ex antiquissimo libertatis jure, nec non privilegio multoties confirmato liberum est ad publicam pacem conservandam, & sui suorumque defensionem vel inter se, vel cum Exteris foedera pacisci. Verùm eâ exceptione & limitatione, quam Lex fundamentalis Imperii, id est, aurea Bulla Caroli IV. dicitur, eas nimirum duntaxat confœderationes & Ligas approbans: **Quas Principes & Civitates Imperii ac alii Status super generali pace Provinciarum inter se firmasse noscuntur.**

5. Has ipsas in suo quidem Imperator decernit vigore manere, sed tamen suæ declarationi specialiter reservat, donec de his aliud duxerit ordinandum. Itaque foedera ex sensu aureæ Imperii Bullæ eorum Principum & Statuum, qui superiorem Imperatorem agnoscunt, legitimari non possunt, nisi fiant primò *Dominis nominatim exceptis*. Secundò: *Super*

per generali pace Provinciarum. Tertiò, ut approbatio fœderis referretur supremo Domino. Quod in se respectivum, absolutum esse non potest. Neque igitur eorum fœdera, qui Principes absoluti non sunt, possunt esse absoluta, quia illi respiciunt Superiorem, & pendent ab alio, vel ex feudo, ligio, beneficio vel pacto. Undè ex Instrumento Pacis Osna-brugensis c. 8. liquet: Ejusmodi fœdera fieri debere salvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obstrictus est.

Cent. 6.
obs. 2.

6. Hinc Mynsingerus Confoederationem Episcoporum Wirzburgensis & Bambergensis ac Civitatis Norimbergensis adversus Marchionem Albertum initam, in Camera Imperiali diù discussam, tandem pro validâ ac licitâ pleno judicio haberi testatus est. Cum illam non solum legibus permittentibus ad sui suorumque defensionem inierint, sed eam quoque hortatu & jussu Caroli V. contraxerint, qui mandarat Statibus Circuli Franconici, ut fœdus inter se sanciret de obviando omnibus, violentiis & invasionibus sibi irrogandis.

7. E contra unio Protestantium omnium suffragio reprobata, quia Imperatorem non excepit. Quocirca Elector Saxoniae ab illâ abhorruit semper, &, ne alii se subscriberent, plurimis literis dehortatus est. Idem Judicium est, de Triumviratu illo Friderici Palatini, Marchionis Anspacensis, & Christiani Anhaltini, qui fusque deque Europam universam, etiam contracto cum Turcis fœdere, commonebant, ut Imperatoriam Majestatem vel planè convellerent, vel illi partem derogarent. Indecorum erat fœdus Principum Silesiae cum rebellibus Bohemis; Horum autem planè nefandum fuit cum Friderico Solstitiali Rege adversus Ferdinandum II, sed sicut hoc per Scelera coepit, ita finit deindè per supplicia, & ingentes multas Complicibus Pragæ indictas.

8. An conspiratio an fœdus dici potuit illud, quod Manrixius, Sanctae Adelgundis Dominus, Bredae Belgarum Anno

1566. dictavit cooptatis in illud 500. Nobilibus, quorum Duces fuerant Henricus Brederodius, Nassovius Auriaci frater, Comes Culemburgii Palantius, & Bergensis Comes Wilhelmus? Hi supremæ Belgarum Gubernatrici libellum querimoniæ ineptissimæ oblaturi, si repulsam paterentur, decreverant illato in Urbem milite, Gubernatricem abducere velle Vilvordiam, eoque carcere tamdiu clausam habere, donec impetrarent, quæ vellent. Egregia profectò hæc quingentorum Nobilium confœderatio, ut unus libellus offeratur? an non hoc erat contumacius agere, quàm suppliciter postulare?

9. Aliud rursus fœdus, quòd expressè contra iussa Regis (vetantis Ordines in diætas tunc cogi) Gandavi factum, nemo prudentum Politicorum fœderis nomine dignabitur. Quod tamen tanto, sed cœco, Provinciæ consensu exceptum fuit, ut paucos intra dies Brabantia, Hannonia, Artesia, Flandria, in Seditiosam unionem coaluerit, & finitimis Angliæ & Galliæ se conjunxerit. Conjurare hoc fuit, non confœderari in Regem & Dominum suum.

10. Ipsum fœdus Sacrum Gallorum contra Hugonotos, manifestos Ecclesiæ & Regni hostes, sub Guisiis Principibus cœptum, & promotum, quia invito Rege, sinistra interpretationis propius fuit apud ipsum Sixtum V. Pontificem, aliòsque Viros Reipublicæ peritos. Adeò exosa Regibus, infesta paci publicæ, perniciofa Patriæ, suspecta prudentibus sunt illorum fœdera, quibus à Principe non accedit suffragium vel Authoritas. Non illa malorum sunt remedia, sed malis ipsis nocentiora. **Privatorum fœdera pro Principibus verbotenus, re contra Principes sunt.**

11. Et profectò hoc & priori avo privatorum illa fœdera & Imperii Ordinum cum Sveco, Gallo, aliisque Principibus externis, quid aliud fuere, quàm machinamenta adversus Cæsarem & Domum Austriacam, aut usurpandi quavis libido, & affectati Imperii reatus? anne licere queat ex quocun-

que prætextu Religionis, libertatis, reformandæ justitiæ externorum armata auxilia (rectius flagella) in viscera Patriæ inducere, adversus Jura Regnorum fidemque juratam insultare suo naturali Principi & Domino? Nulla id lex vetus vel nova, nulla ratio, nullum Sapientum consilium unquam admisit aut ratihabuit. Non ea fœdera sunt, sed iniquitatis vincula.

12. Undè Hispani ex præmissis Principiis, in Apologiâ contra Memoriale Gravellii, fœdera Gallica cum Austriacis aliorumque subditis graviter impugnârunt, deductis inde in perpetuum documentum hæc evidentibus conclusionibus:

Fœdera Principum Statuúmque Imperii cum Externis contracta, semper invalida esse, sponteque ruere, si officiant Juribus Imperatoris & Imperii.


Principes Urbésque Imperii, non minus quàm Principes Regésque exteri, quales erant sive Svecus, sive Gallus, si cum istis, velut Imperatoris hostibus confœderatione ineant, præsumuntur inimici. Quod confœderati Regis Galliæ vi fœderis initi perpetrant, censetur etiam Rex Galliæ velle & perpetrare: & vicissim.

Quotiescunque Galli fœdus transegerunt cum aliquo Principe, vel Republicâ, quæ sine Authoritate sui Superioris arma arripuit, pacemque publicam turbavit, toties fuit illud in se iniquum & injustum.

Nulla quoq; obligatio, & nullum fœdus
cum

cum Gallo esse potuit eorum , qui sive in Belgio , sive in Hungariâ , sive in Bohemiâ arma moverunt in Reges suos , quia prima obligatio in Vigore suo semper perstitit.

Denique omnis confœderatio cum alienis subditis , vasallis & obstrictis , sine Superioris eorum consensu est contra bonam fidem , Jus naturæ & gentium.



CAPUT V.

Cum quibus ineundum Fœdus.

I. **A**Ntequam Princeps bello sociali , aut cuiquam foederi subiciat fortunam suam , non tantum habet necesse respicere finem , & res , propter quas , sed etiam personas , quibuscum tuto possit. Latitat interdum sub escâ hamus & in foederibus occultæ insidiæ , dubii fines , speciosa promissa , ut vel ideò Princeps summoperè satagere debeat , ne circumveniat ambiguis pactis , vel in discrimen ponatur suorum Statuum , ab ejusmodi hominibus , qui suam tantum quarunt utilitatem , non pactorum fidem.

Philippus II. Philippo III. filio suo & hæredi in præceptis dedit , cujus seligere deberet maximè amicitiam. Consulo tibi , inquiebat ille , ut amicitiam & benevolentiam Belgicarum Provinciarum retineas , si modò Nobilitatis ope uti volueris , quia Belgæ amicitiam conjuncti sunt Gallis , Anglis , & quibusdam Germaniæ Principibus. Neque Italia , neque Polonia , neque Svecia , neque Dania , nec Scotia tibi prodesse

possunt. Rex Scotiæ pauper est, Dania recipit suos reditus ex regionibus extraneis, Svecia est semper divisâ & situ incommoda. Poloni semper sunt Domini suorum Regum, Italia etiam si dives sit, nimis procul sita est ab Hispaniâ, ejusque Principes sunt diversis studiis atque partibus addicti, Belgæ è contra sunt navali re potentes, in laboribus durabiles, & assidui, in rerum perveſtigatione industrii, in aggrediendo generosi & audaces, in ferendo patientes. Verum est, donavi regiones illas sorori tuæ Isabellæ: sed quid hoc? certa ex adjunctis effugia excipi possunt, quibus ad utilitatem tuam utaris. Ita Philippus II. Statista maximus. Et reverà

Canon etiam maximus Status est: **Fœderatos sibi afferere**: scire autem quales, & quâ ratione summum arcanum est. Imperanti ex omnibus fœderibus illud difficillimum videtur, quod cum subditis contrahere debet: quia nil æquè Principum mentes exulcerat, quàm cum subditis, à quibus contumaciam acceperunt pacisci, & ad pacta servanda compelli: Sic compellebat Leopoldum Cæsarem nostro ævo liga illa Rhenana à Gallico Ministerio Ordinibus Imperii suggesta ad manutenendam, conservandamque capitulationem juratam à Cæsare. Et quid? an aliud quàm improprium planè, ac fœderis nomine indignum fœdus est **Domini cum subditis**, si ab his ille cogatur ad illud: potius legem fundamentalem dixeris, ad cujus cynosuram Principem regere & imperare oportet, nullâ tamen potestate subditis datâ cogendi potestatem supremam, quæ à DEO est. Citra ullam quidem dubitationis causam verissimum est, quod inter Imperatorem & Imperium intercedat fœdus perpetuum, universale, & unio indivisibilis; non tamen idè ab illâ ligâ à gallico humore excogitatâ, & particulari, cogi potest nisi usurpativè ad observationem Capitulationis: quia

quia Imperialis potestas nec à Ligâ Rhenana est, nec ab ipsis Imperii Ordinibus, sed à DEO. Etenim per fidem credimus, & literalem planè sacræ paginæ sensum scimus: **Omnem potestatem esse à DEO.** Qui huic resistit, divinæ Ordinationi resistit. Plus quàm clara hæc littera est: explicatione humanâ non indiget. Divina est: Syndicatû opus non habet.

3. Verùm, ut longiùs non abeam, perpendat igitur Princeps, priusquàm cum alio Principe, vel populo fœdera ineat **Fortunam**, nimirum illius, **ingenium**, **vici-**
niam, **Regimen**, **conditionem** quandoque etiam **Religionem.**

Sub fortunâ **Potentiam** intelligo, quæ ad securitatem multum confert. Socios svadet Aristoteles, qui non mediocri valent potentiâ. Vetat miseros, afflictos, & periclitantes, ne & ipsi periclitemur cum illis.

Lucani Musam audi:

- - - *Fatis accede Deisque,*
Et cole felices, miseros fuge.

Qui miseris & infirmis se se jungunt, quærunt cum quâ gente cadant. Nunquam te in caducum parietem inclina, sed in latus felicis. **Non quivis Socii, sed potentes sunt assumendi, quorum societas nobis non sit oneri, sed auxilio.** Prævalent pauci, iique potentes, multis impotentioribus. Perfecta siquidem cum multis amicitia vix succedit. Unus sufficit præ pluribus, qui potis est. Fœdera inter multos icta, non eâ firmitate & consensione animorum suâ naturâ sunt, quin sperari possit quempiam aut remissiorem fore, aut ab aliis disjunctum iri. In variis fœderatorum societatibus variæ sunt cupiditates & varii fines: facilè perturbationes, suspensiones aliæque molestiæ exoriuntur: ad fortunæ potius auram alacriores multi,

vel duntaxat ex illis quidam; quàm ad eandem aduersam perferendam constantiores.

4. Undè eorum præ cæteris optanda sequendâque maximè societas, qui semper, etiam dum incommoda acceperunt, officium & fidem seruârunt. Illi quoque populi præueniendi amicitia & hostibus nostris eripiendi, qui amici plurimum prodesse, vel inimici nocere valent. Illi fœderati extra omnem perfidiæ suspicionem versantur, qui quamvis potentiores, tamen aliis fociis oppida & præsidia à se capta potius restitunt, quàm in suam clientelam recipiant.

5. Utiliter interdum fit, ut nos jungamus exiguæ potentia, ac summæ prudentiæ Principibus. Plus enim hæc (præter unam fidem) quàm opes, & maxima auxilia spectanda est. Neoburgici quondam Principis sapientissimi fœdus tota potius suspiciebat Europa, quàm vires & potentiam colebat. Imò afflicto se interdum jungere prodest, cum scilicet talis est, ut ipso periclitante, nos necessario quoque periclitemur, ejusque ruina nos tractura videatur, tunc sanè cum Julio Cæsare jaciendâ est alea, & in rebus etiam desperatis quarendum remedium. Adjuvare imbecilles, charitatis est, & illis favere, qui eadem pericula, quibus perfungimur, nobiscum ingrediuntur, plus quàm obligatio est.

6. Caveat autem Princeps præ omnibus, à leonino fœdere, quale contraxit aliquando Leo cum Vulpe; indè leonina societas dicta: id est, **ubi non commensurantur vires fœderatorum.** Nunquam auxiliares populos adsciscat Princeps, qui jam sunt illi formidabiles, aut fortè graviores hostibus ipsis, se firmare affectant in Provincia. Usurpatores enim fiunt ex opitulatores, & sub opitulationis prætextu tegunt insidiarum consilium. Auxilii ferendi specie sæpè alias regiones invadendi & scrutandi consilium tegitur. Potentes agrè ferunt æmulam potentiam. Adèò verissimum est: Sicut fœderatos sibi asserere apprimè expe-

expedit Reipublicæ: Ita scire quales & quâ ratione maximè incumbit Imperanti. Non enim quævis profunt fœdera; nocent plus aliquando socia arma.

7. Alterum est, quod in paciscendo fœdere observandum venit, nimirum **Ingenium Confœderatorum**: Id est quales se erga alios gesserint illi, qui inire fœdus nobiscum ambiunt. Hoc natura affert, ut eorum societatem quæramus, iisque faveamus, qui vel nationali aliquâ inclinatione, ut cognatæ gentes, nobiscum coalescunt; vel eandem fortunam patiuntur, vel eadem pericula, quibus nos ipsi perfungimur, ingrediuntur. A Poëta verissimè observatum: **Juvat socios habuisse dolorum vel laborum.**

Fortunæ paritas amorem, commiserationem, mutuuum auxilium inducit. Neque unquam fœdera diu durare poterunt, animis vera benevolentiam non coalescentibus. Illa denique fœderum societas est diuturna, quæ communi gentis amore, pari sorte, longè abactâ perfidiâ; nec tantum ex solo suo, sed ex confœderatorum quoque commodo suscipitur. Vix constans permanebit, qui in societate communi solum sua compendia quærit. Inita à multis societas quadam utriusque fortunæ participatio est. Caveamus autem à fœdere perfidorum, nihil veri amantium, nec jurisjurandi Religionem, nec DEUM metuentium: Nulla quippè recta societas (ut in officiis dicit Romanus Consul) cum Tyrannis, sed summa distractio; & hoc omne hominum genus pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum potius, quam in societatem assumendum.

8. Stupent propterea Viri cordati, quod etiamnum Christiani Principes non vereantur fœdera & societates inire cum Turcâ, quem tamen omnis historia clamat nunquam in fœdus vocatum fuisse à Christianis contra Christianos citra damnum Confœderatorum. Testes sunt duo Palæologi Joannes & Emanuel, uterque Orientis Imperator: Testis Joan-

nes Rex Hungariæ: Testis Ragozius olim, aliique Transylvaniae Principes: Testis nuperrimè Tekelius, testes alii, quorum nomina propter posteros adferre puduit. Unico Galliae Regi Turcicum illud foedus feliciter toties cessit adversus Domum Austriacam. Ideò non pridem Villa-Regius. Franciæ Belli ille Dux in captivitate Græcensi palàm loqui non erubuit: Regem suum catenæ alligatum adhuc habere carnem tremendum, quam si emiseric, omnes Cæsaris Confœderatorumque conatus & machinas uno impetu subversurum.

9. Tercium est in foederibus observandum videlicet **Vicinia**. Vix enim stabile vel utile foedus esse potest, quod à remotissimis promittitur. Procul qui habitant, amici, non amici. Imò societas illa temeraria est, & periculosa, quæ spretis vicinis longinquorum populorum amicitiam quaerit, & praefert; vel peregrinorum ignotorumque fidei se committit. Excipio necessitatem, quæ sæpè ex temeritate facit magnanimitatem: Vidimus nuper declaratum Regem Carolum III. (delicium illud Orbis) à paterno sinu avulsum se peregrinorum tutelæ ultrò commisisse. Excipio etiam remotiores foederatos, qui viciniore sunt hosti. Imò Principes plurimum illorum, licet remotorum, amicitiam ambiant, quorum Regiones inimicis nostris instar propugnaculi sunt, vel per quorum terras nobis transeundum, vel qui hosti transitum negare, qui eum obruere, qui divertere possunt. Æmuli Reges Hispanus & Gallus semper de Sabaudi contenderunt foedere, quod utrique proficuum est propter transitum in Italiam, aliasque commoditates. Ejusmodi autem extraneos donis, pecuniâ, & facilitate rerum, itémque spe lucri propositâ, singulari etiam comitate, in nostram societatem foedusque belli inducere oportet. Optio loci in acie illis honestius conceditur, quam locus praescribitur. Et quia primi sunt, qui hostem excipere debent, maturè à nobis, totisque

viribus succurrendum illis. Boni Fœderati, sociis laborantibus, etiam antequam vocentur, succurrunt, præsertim si ad claustra nostræ regionis hostibus objecti sunt. Deserti quippè in communi bello socii, justam ad hostes desciscendi, & transeundi causam habent. Qui ex pacto vel fortè prior implere fœdera tenetur, si hoc negligit, etiam fœdus ab aliis illi non servandum. Honestè & jure ab ejus fœdere & societate receditur, si fœdus non est ab aliâ parte servatum, sed prius violatum, vel ut violaretur, manifestè tentatum, vel si quispiam communem causam & libertatem opprimere conatur. Contra fœdifragos omnia jura divina & humana clamant. Interim si quæ fœderati nostri in nos machinantur, tunc aliquando propter majus bonum, vel minus malum nostrum, dissimulanda: nunquam tamen prætermittendum, quin iis à nobis obviam eatur, & remedium clam queratur. Quod si verò planè deficient aliqui ex fœderatis, quàm primùm vel æquis conditionibus, vel pollicitationibus, vel etiam tandem armis retrahendi sunt, ne exemplo suo cœteros ad deficientium moneant, vel inde hostibus augeantur vires. Ubi verò planè à fœderatis destituimur (ut ante non multos Annos in magno illo fœdere Germaniæ adversus Franciam accidit Leopoldo Cæsari) & Vires nostræ tabescunt, hostium verò crescunt, pax, vel induciæ, primo quoque tempore querendæ & ineundæ.

10. Quartò perpendendum est **Sociorum Regimen.** Quia magna sicut ex conjunctione morum, ita ex identitate Regiminis amicitia, & fiducia. Non facilè fancienda sunt fœdera cum iis, qui in diversâ Politicæ formâ vivunt. Diversitas quippè regiminis cum animorum plerumque diffidentia, & opinionum dissensione conjuncta est, consiliorumque in agendo diversitatem parit. Societatis sicut unum corpus, ita mens & sensus esse debet: Secus diuturna esse nequit, nisi animorum, consiliorum, actionumque univocâ conspiratione

conglutinetur. Propterea periculosum à Politicis judicatur, si Respublicæ cum Regibus fœdera paciscantur, ut res ipsa loquitur: atque Reges ipsi non facile credant Rebuspublicis liberis, quæ, cum semper metuant Regiæ potentiæ præda fieri, vix ex fide agunt. Sicut enim Rerumpublicarum augmenta, sunt Regum & Principum detrimenta, ut experti sunt à Batavis Hispani, & ab Helvetiis Austriaci. Ita major quam par est, Regum vel Optimatum potentia, plerumque est liberarum Rerumpublicarum servitus. Roma vetus, Florentia recentius est exemplum. Ideò rarò inter Reges, & Respublicas vera intercedit amicitia, rarò sincerum consilium; diffidentia potiùs, metus, suspicio. Polybii arcanum est: **Regum & liberarum civitatum res inter se suapte naturâ pugnant.** Inter plures autem diversas liberas Respublicas tamdiu societas durat, quamdiu spes est aliam ab aliâ subsidium accepturam esse, ubi verò spes illa prorsus deficit, tunc privatim unaquæque sibi suisque rebus consulere satagit. Diversa Regimina nulla res magis in fœdere conservat, quam mutus metus, aut mutua æquitas. Quamprimùm ex accessu potentiæ metum amittit unum Regimen alterius, confestim hoc ab illo contemnitur, & amicitia cum contemptu diù subsistere non valet. Mutua æquitas in partes distracta suisque tantum commodis intenta, etiam totum distrahit fœdus. Conventus Harmoniam conservat, & communis mutuaque cura fœdera stabilis & firmat.

11. Fœdera verò inter Respublicas eadem gubernationis formâ utentes utilissima & firmissima sunt & maximè in eunda: E contra, ait Thucydides, inter populos & Respublicas, quæ diversam inter se Regiminis formam habent, rarò sunt tam firma, aut commoda, quod diffusè ille in antiquis Rebuspublicis Græcorum probat.

12. Videndum deinde quintò, ut paribus conditionibus & legibus statuatur fœdera. Recta quippè amicitia in æqualitate fundata est. *Societatem fidelem facit, firmamque conservat*

servat paritas & equalitas conditionum. Fidei datæ convenit, quæ fundamentum præcipuum est, ut quisque fœderatorum ad onera fœderis concurrat, feratque incommoda communia, ne alius aliive in multò majora incurrant. Fides ultrò citròque anima est confœderationum, pestis verò est privatum interesse. Ideò in Confœderationibus constitutum, ut, cum inter Fœderatos incidant controversiæ, non armis, sed judiciis dirimantur, nec ante judicium, quispiam fœdere deiciatur. Fœdera violant non qui depellunt, sed qui priores inferunt injuriam. Violant fœdera, non qui deserti aliena quærunt auxilia, sed qui socios non defendunt. Pares & æquissimæ fœderum conditiones sunt mutua & præscripta in loco & tempore defensio, vel offensio hostis: Onerum conventa contributio, & oneribus proportionata lucri, commodorùmque divisio. Quid quid secus fit, contra bonam fidem agitur. Perfidi, fœdifragi, satis illi ex eo esse intelliguntur, quod multis technis & commentitiis prætextibus se suâque consilia simulant, dissimulantve, & vehementer laborant, ne ea deprehendantur, quòd seriò rem non agant, quod fegni pede decreta auxilia ferant, quod cum hoste colludant: quòd non succurrant oppressis, sed spem omnium Confœderatorum vel per ignaviam, vel per perfidiam turpiter fraudent. &c.

13. Tandem, & sextò **Religionis concordiam**, quæ Fœderatorum aliàs magnum vinculum est; in contrahendis fœderibus observandam ducunt multi Politici: præsertim in bello Religionis. Quomodo enim inter eos possunt esse jura pacis & Societatis confœderatæ, inter quos est bellum fidei? Quæ tamen ratio non obstitit Regibus Galliæ implicandi se tam seditiosæ Hæreticorum in Belgio adversus Regem suum Catholicum ob Religionem inita unioni, quam postea fœderi Smalcaldico, quando Protestantes ad manutendum Lutheranismum & Calvinismum confœderatis Catholicis

tholicis ferox Bellum inferebant in ipsa viscera Imperii & Status Austriacos. Sic Interesse Status exclusit antiquum zelum fidei, quam sæpè suo sanguine cinxerunt antiqui Reges Franciæ.

14. Interea præsens & pragmatica sacri Imperii sanctio, & ipsa consuetudo ostendit, nulli impedimento esse diversitatem Religionis in Confœderationibus, quæ propter causam civilem & politicam contrahuntur. Fœdus Helveticum ex Reformatis quatuor, & ex septem Catholicis consistit territoriis, quibus non obest Religionis discrepantia, quin invicem in Societatem coalescant, & formidandam toti Europæ suam constituent potentiam. Quis demùm felicîus bellum gessit, quàm priore ævo in Germaniâ tres illi trium Religionum fœderati: Svecus nimirum Lutheranus, Hesus Calvinista, & Gallus Catholicus? Sed ejusmodi Principibus Religio in prætextum servit, finis est **Usurpationi alieni.**

15. Fœderum plerumque eventus est summa inter Fœderatos hostilitas, vel ob negata aut non soluta auxiliarium copiarum stipendia, vel ob leoninam bello partorum divisionem, vel aliam ob causam: quantumcunque enim fœdera sancta, jurejurando firmata sint, minima tamen Ratio Status si interveniat, facillimè dissolvit juratam fidem, & sæpè Regum amicitiam commutat in Vatinianum odium. Quemadmodum durissimus Adamas si frangi contingat malcæis, in minutissimas dissilit crustas, aded ut illæ vix oculis ferni queant: Ita arctissima necessitudo, siquando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, & ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur dissidia. Ut vel ided beatus ille Princeps censendus sit, qui cum aliis fœdera inire necesse non habet. Etenim fœdera inire insufficientem domi potentiam denotat. Qui in se fortis est, ope non indiget. Igitur fœdera nostræ imbecillitatis esse apertum signum, quis non videat?

16. Verùm adhuc multò acerbius est, quod fœdera multoties Principes trahant in discrimina. Unius ruinâ sæpè alii opprimimur omnes, unius amicitia interdum rapimur ad negotia injusta & perniciofa. Unius perfidia vel negligentia prolabitur tota machina multo consilio præmeditata. Paucis complector: Centoculares oportet in hoc esse Principes, ut rectè sibi fœderatos jungant, caveant, provideant, credant Cominæo veterano Gallia: Ministro: Is, qui solus in potestate habet decem hominum millia, magis est metuendus, quàm decem Confœderati, qui singuli senis millibus præfunt. Nam quia nulla his singularis & præcipua est auctoritas, in multis disceptabunt, &, antequam aliquid constituent, optimæ præteribunt Occasiones. Ita me castor! At verò Politica nostra, tota nunc, & tantum in fœderibus occupatur: nemo solus pugnat: in uno duorum Principum bello tota involvi debet Europa, imò ipsa Asia, Africa, & mundus planè subterraneus nostris bellis implicatur. Hoc autem (præter supernam Cœli Ordinationem, quæ ejuscemodi se maximè immiscet) non aliter fit, quàm vel ex metu Potentioris, aut quod Principes fidei popularium suorum diffidant, aut imbecilles se videant.



CAPUT VI.

*De Confœderatione cum Infidelibus
& Apostatis.*

1. **N**ulla vera Societas optimis civibus cum importunissimo hoste : nulla recta amicitia Christianis cum Christi juratis hostibus : nulla fida communicatio credentibus cum infidelibus : nullum deniq; jus, nullum fœdus, nulla fides Orthodoxis cum Heterodoxis, cum Catholicis & Catholici nominis desertoribus & Apostatis ? Quomodo enim servabunt securitatem, qui primam fidem irritam fecerunt ?

2. Unde jam olim ante nongentos annos fœdus illud Neapolitanum, de quo scribit Baronius ad Annum 881, quod Athanasius, apud quem tunc Regni jura fuere, cum Agarenis infidelibus, ut se suosque fines ab hostium incursionibus tueretur, pepigerat, à Joanne VIII. summo Pontifice ac Synodo Romanâ damnatum fuit & ejus author Christianis sacris interdictus.

3. Exstat quoque Apostolica planè investiva Rhemensis Præfulis Fulconis adversus Carolum III. Franciæ Regem, cum rebus suis desperatis Northmannos (gentem septentrionalem Christianis summè infestam) contra Odonem Comitem Parisiensem, qui de Regno competebat, in armorum fœdus vocaret. Adeò in extremis ipsis olim non licebat hoc medium extremum. Ex ipso Præfulis ore veritatem excipiamus. Quis, (ita monebat Carolum ille) qui vobis, sicut oportet, fidelis est, non expavescat vos inimicorum DEI amicitiam velle, & in cladem & ruinam nominis Christiani pagana arma, ac fœdera detestanda suscipere ? Nihil enim distat, utrum quis se paganis societ, an abnegato DEO idola adoret.

Nam

Nam, si verum dixit Apostolus, mores bonos prava colloquia corrumpunt, quantò magis corrumpitur castitas animæ Christianæ inimicorum DEI consiliis & Societate? Certè progenitores vestri Reges, deposito gentilitio errore, divino vultui se se humiliter subdiderunt, & à DEO semper auxilium expetiverunt, propter quod & feliciter regnaverunt & Regni hæreditatem ad suos posteros transmiserunt. Vos è contra nunc DEUM relinquitis (dicam certè, licet nolens, quia DEUM relinquitis, cum vos ejus hostibus sociatis) unde & meritò Prophetica illa vox ad vos dirigitur, quæ quondam ad Regem Israël similia facientem directa est. Quia impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum amicitia jungeris, idcirco iram DEI merebaris. Et certè cum debereris, malis præteritis terminum ponere, & rapinis & deprædationibus pauperum renuntiare; nunc ad majorem iram DEI provocandum, his, qui DEUM ignorant, & in suâ feritate confidunt, vos conjungitis: Credite mihi, quia sic agendo nunquam ad vestrum Regnum pervenietis, imò velociter disperdet vos DEUS, quem sic irritatis.

Paralip.
19.

4. Quid deinceps, DEUM immortalem! dixisset pius iste Præful, si audivisset exacto sæculo Franciscum I. Regem Franciæ Christianissimum, nullâ propè ineluctabili necessitate (qualem habebat superior Carolus) nisi quam dictabat ingenua Regi æmulatio in Carolum V. Cæsarem, quò tutius hujus fortunæ obsisteret, cum Muhammetanis strictissimum iniisse foedus. Recentius Ludovici XIII. cum Osmanno, etiam in successoribus ipsis adhuc vegetum, palam & notorium est. Neque erubescunt prima Regni columina, Franciæ nimirum Ministri, hoc foedus inter arcana Regni, & necessarias penitus toti Europæ Rationes Statûs connumerare, ut Armandus Richelius, Mazarinus, ambo purpurati Præfules, & Gramondus Comes, Tholosanus Præfes.

Audio hunc libro 3. hist. Gall. disertis verbis enunciantem:

(G g)

Neque

Neque in præfens aliud est Dominationis Austriacæ frænum, Europæ dum imminet, quàm si Rex Gallus cum Ottomannis Fœdus iniêrit.

5. At profectò, hoc ævum si vides, fateâre : Multis planè è ratione Statûs, & omni jure licita videri fœdera cum infidelibus. Ita Oldradus consil. 71. Socinus consil. 20. Albericus in l. 1. c. unde vi, l. 3. ff. de vi. l. vim vi. ff. de Just. & Jure. Neque defunt primæ notæ Theologi, qui eandem amplectuntur sententiam. Veterum quoque Regum exemplo: Salomon fœdus contraxit cum Rege Hiram idololatrâ: David cum Hanone & multis aliis Principibus infidelibus: Abraham perpetuo fœdere tenebatur cum Abimelech pro se & posteris suis: accedunt Abner, Escol & Mambre ejusdem Abrahami primi credentium Patris fœcii fœderati. Jacob cum Laban, Loth cum Rege Sodomæ & Gomorrhæ, Heber cum Jabin, credentes illi cum istis infidelibus, nullius indè temeritatis aut prævaricationis rei, stabilîere fœdera.

6. Quanti Imperatores Reges & Principes ex Christianis confœderabantur Gothis, Hunnis, Alanis, Wandalis, qui reipsâ non solùm aperti Ecclesiæ hostes, sed planè vulgò dicti **Flagellum Christianorum?** Respiciamus in exacta sæcula: Aurelicus Rex Hispaniarum pro inito fœdere solvebat Saracenis & Mauris centum Virgines Catholicas. Rami-
 rus Rex Arragoniæ ope Maurorum oppugnavit fratrem Garsiam Regem Navarra. Eorundem auxilio usus est Sancius Rex Castiliæ contra Regem Arragoniæ. Hispani contra Regem Legionis &c. Ne dicam de aliis Europæis Regibus & Principibus.

7. D. Paulus (Zelotes ille fidei & Religionis) ab Ethnico Tribuno milites impetravit, quorum auxilio servaretur illa-

fus à persecutionibus suis. Ipsa Justitia divina in Veteri Testamento in ulciscendis Judæorum peccatis ordinariè gentium Ministerio utebatur.

8. Et si quandoque in sacrâ lege fœdera, cum infidelibus improbari videantur, non procedit id ex causâ generali, sed vel propter specialem prohibitionem, vel alias circumstantias adnexas fœderi, quæ erant contra legem & displicebant Numini. Nonne reprehensus fuit Josaphat Rex propter fœdus cum idololatrâ Achab? & tamen Salomon non solum impunè, verum cum ingenti benedictione pepigit cum Rege Tyri idololatrâ. Condemnavit aliquando Dominus illos, qui auxilium quarebant apud Assyrios, & tamen Jeremias aliique Prophetæ expostulabant cum Sedeciâ Rege, quod fœdus cum Rege Babylonix contractum violâssent. Non igitur fœdera absolutè prohibita sunt, dummodo adsint cautelæ, quæ peccatum excludant.



CAPUT VII.

Cautelæ circa fœdera cum Infidelibus & Ecclesiæ hostibus contrahenda.

I. **A**Dduco nunc Principi cautelas, quæ verè in hoc negotio non minùs necessariæ, ac illud periculosum est. Limitabunt istæ & temperabunt orexim illorum Principum, qui temerè ex totâ dominandi & in Europam totam arbitrandi libidine, Turcarum & infidelium suspirant & mercantur amicitiam, quâ veluti infami jugo (præter scandalum causatum gentibus) obnoxiam reddunt totam Christianitatem.

Temperanter & parcius hæc, O mi Princeps! **Cave,** (inquit ille, qui fallere non potest. Exod. cap. 33. & 34.) **cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, ne sit offendiculum in medio tui. Non feries cum eis pactum.**

Paulinum monitum est: **Nolite jugum ducere cum infidelibus.** Quæ enim participatio est justitiæ eum iniquitate aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem Christi conventio ad Belial? aut quæ pars fidei cum infidei? In ipso quippè fœdere eorum, ut observat quidam, cum quibus initur Societas quædam amoris & voluntatis communicatio est, at quis amor in eos licebit, qui ipsius Christi, qui membrorum & Ecclesiæ ejus jurati sunt hostes? Et hæc prima cautela est, ut Principes ejusmodi fœdera non ineant temerè vel non urgente necessitate veluti per jocum & ludum, sed temperanter, maturo consilio, provisus providendis, & in extremâ necessitate, quæ legibus non ut subjeta, constituti. Concedendum est aliquid necessitati atque periculo præsentis, quod haud dubiè omnium salutem trahit. Publicæ salutis ac necessitatis causâ, à lege, quod & ipsa jura permittunt, paululum deflectendum est. Cum enim aliter se quispiam tueri non potest, tùm fanè licebit infidelium opem advocare, quia vim vi repellere est Juris naturæ, sic Justinianus Cæsar legum ipse maximus Author, extremâ necessitate compulsus pro salute & tranquillitate Reipublicæ pacem & fœdus cum Persis inivit.

2. Porrò fœderis, non una acceptio est, nec tantùm sumitur pro unione vel ligâ ad bellum gerendum quodvis, verùm etiam pro **CONVENTIONE.** Quæ multum discrepant. Aliud est enim fœdus offensivum vel defensivum inire cum infidelibus; aliud est cum illis amicitiam, & pacem colere.

2. ad Co-
rinth.
6. 6.

c. 4. quod
non est
licitum
de Reg.
jur.

De primo tantum fœdere controvertunt Doctores, de secundo nulla lis est.

3. Et hoc ipsum est, quod tradunt alii : Fœdera cum infidelibus legitimè contrahi posse de limitibus & finibus, ut finitimi pacem & tranquillitatem colant. Sic Abraham cum Escol, Mambre, & Aner infidelibus convenit, ut ibi pacificè habitare quiret. Idem Credentium Protoparens cum Rege Abimelecho, & cum Cananæis, David Rex secundum cor DEI & Salomon Regum sapientissimus cum Hiramio Rege Tyri fœdus & pacem coluerunt.

4. Ideò expedit interdum cum vicinis infidelibus pacem quarere & sancire, antiqua fœdera renovare & fovere, in rebus gloriam DEI minimè impredientibus, sed potius promoventibus. Appositè Cardinalis Oſſetanus, cum Papa exprobraret, quod Rex Galliarum Hollandiæ Legatos recepisset, respondit: **Et tu, Sancte Pater, Legatos Persiæ suscepisti.** Ut innueret quædam inter fideles & infideles indifferentia & adiaphora esse, quæ neque concernunt causam DEI, neque rem & Statum Religionis, sed humanitatem, viciniam, rerumque communicationem. Talia sunt de se invicem non offendendo, de finibus tuendis, ponendis, de commerciis, de rebus necessariis ad vitam in alterutrius Regionem inportandis, qualia jus naturæ & gentium, quod inter omnes homines cognationem quandam veluti intra unam speciem inſevit, primitus introduxit. **Cum intersit hominis, beneficio hominem affici.**

5. Secunda cautela est, ut ex societate infidelium non sequatur periculum mutandæ Religionis. Prudens enim verò subest metus, ne ex societate armorum succedat communio morum & corruptela Religionis. Neque enim novum est, homines ex communicatione mutuâ pravorum inquinari; ex amicitia & benevolentia usu fascinari, & interdum exinde agi præcipites in exitium animæ. Non ingredimini ad eas, dicit

Exod.
34.

Dominus, neque de iis ingredientur ad vestras: certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini DEOS eorum. Novitas Religionis suaviter suggesta mirum in modum abripit animos mortalium.

6. Tertiam subjunge cautelam: spem videlicet ex contracto foedere convertendorum infidelium; ut feliciter cessit Hispanis & Lusitanis apud Antipodes. Vel saltem conservandæ & stabiliendæ Religionis in ditionibus Turcarum Sultani, aliorumque infidelium partibus, & pro consolatione & securitate tot millium animarum ibi commorantium.

7. Sub hoc prætextu jactant Galli foedus illud Anno 1618. contractum cum Osmano. Si ritè calculus ponitur, ajunt illi, Ecclesiæ Orthodoxæ magna utilitas est ab hoc foedere. Turca indefessus Christiani nominis hostis, patitur sacras Christo Basilicas, apud Constantinopolitanos & Galatas: patitur novem in Oriente Episcopos à summâ sede lectos, qui munia obeunt Ecclesiastica, qualia solent in patriâ. Ibi monstratur, ubi Christus conceptus, ubi natus, ubi educatus, ubi tot miracula edidit. Hic cœnæ, hic prehensionis, hic passionis locus: hic supplicii mons, hic se hortus explicat, ubi monumentum fuit homini cum DEO. Quo Authore, amabo, conservantur hæc? quo intercessore tolerantur. Quinquaginta Franciscanis datur sacri sepulchri custodia, illis alta quies, operantur ex Romano ritu, nemo obstat sacris. Undè tranquillitas hæc loco inimico. Armenii (lues hæretica) Catholicos Romanos nuper à precariâ locorum possessione depulerunt; pelluntur Armenii: restituantur Catholici. Unde hoc, nisi à foedere, quod Gallos inter & Turcas est. Per Legatos Galliæ, Ottomanni excipiunt Christianorum querelas, & provident: per eosdem Legatos feritati in Christianos barbaræ imponitur modus, per eosdem Christus impunè adoratur Mahometano solo. Vel hinc patet, quanti momenti Romanæ Ecclesiæ sit id foederis inter Christianissimum Regem & Turcarum Imperatorem.

8. Magni-

8. Magnifica hæc sunt, quæ à Gallis adstruuntur & reipsâ essent, nisi fermentum ambitionis, & dominandi libidinis, totam hanc massam bonarum intentionum corrumpere. Zelus iste Religionis prætextus est: Ratio autem finalis, propter quam, ea est, quam supra ex Gallia Historico adduxi: nimirum, ut **Potentia Domûs Austriacæ reprimatur.** Hic rerum cardo est: hoc centrum: reliqua tantum accedunt. Hoc tamen verissimè dixerim: **Causâ stabilendæ vel conservandæ Religionis in terris infidelium, utiliter iniri fœdera cum infidelibus.**

9. Quarta cautela est: nimirum eo eventum licere fœdus cum infidelibus pacisci, si illi diffiti fuerint, neque periculum censeatur, ut inde infidelibus accrescat vel major potentia contra Christianos, vel aditus ad terras & Provincias Christianorum.

Deflexit in hoc Joannes Palæologus, & ingentem illius errorem etiamnum frustra deplorat Europa universa. Ille Orientis tunc Imperator, cum Græciæ Principibus se collidebat continuo, utvè reprimeret refractarios, cum Amurathe primò confœderationem inivit, quâ ex re aditum ad ipsam Europam illi aperuit, simulque Græciæ toti cladem longè maximam importavit. Nam audaciâ Principum repressâ Turcæ in urbium Græciæ remansere præsidio. Amurathes, ipsâ Regionis amœnitate captus, oculos ad Europam adjecit, in quam cum sexaginta hominum millibus penetrans, Philippopolim, deinde Adrianopolim, aliasque urbes occupavit, & tandem sedem sui Dominatus ex Asiâ in Europam trajecit.

10. Ex ejusmodi incautis confœderationibus, uti pleræque in Hungariâ urbes, ita præcipuè Buda, Regum sedes, olim amissa fuit, ejectâ cum prole Reginâ sub præsidii, quo nihil

Confi-
nus De-
cad. 3.
rer.
Hung.
lib. 4.

hil in speciem fallacius est, ab Ottomannis suppeditati vocabulo.

Avertite, O mei vos Principes, angves à sinû vestro, & communem hostem in armorum vestrorum præsidium nequaquam assumite, sicut enim illi recreati calore, qui in sinu est, mordent benefactorem: Ita hi vestris opibus, vestroque splendore allekti, occupabunt vestra.

3. p. sum.
tit. 4. c. 2

11. Quintam cautelam tradit D. Antoninus, qui ad hoc, ut Princeps cum infidelibus fœderatus, suppetiis eorum uti possit, tres requirit circumstantias: Prima, inquit, ut bellum non vigeat cum infidelibus, nec activè, nec passivè. Secunda, ut sit summa & extrema necessitas. Tertia, ut bellum sit justum. Quartam circumstantiam addit Celsus Mancinus, in-
quiens: Ego semper arbitratus sum, si Principi Christiano bellum sit cum Principe etiam nostræ legis, ei non licere infidelium auxilio uti simpliciter loquendo: neque etiam pro sui tutelâ & defensione. Quæ Authoris præfati circumstantia sub nomine *infidelium auxilio* complectitur fœdus contractum in Christianos & fideles. Nam aliud est infidelium ope, milite, com meatu, uti: aliud fœdus cum illis pacisci generatim in mutuam defensionem contra quemcunque; vel offensionem hostium quorumcunque. Postremum obligat utrinque, non illud.

lib. 6. de
Jure
Princ.

12. At verò, si bellum justum sit, ait idem Celsus, cum infidelibus, tunc potest Christianus Princeps contra infideles infidelium auxilio uti, quod palàm est, & scrupulo non indiget. Extat enim ejusmodi fœderis ratio descripta in Commentariis Machabæorum, ubi Judas Princeps populi cum Romanis idololâtris solemnî sanctione fœdus stabiliit. Verba sunt fœderis: Benè sit Romanis & genti Judæorum in mari & in terrâ in æternum, gladiûsque & hostis procul sit ab iis. Quod si institerit Bellum Romanis prius, aut omnibus fociis eorum, in omni dominatione eorum: auxilium feret gens Judæorum, prout tempus dictaverit corde pleno:
simili-

similiter autem si genti Judæorum prius acciderit Bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit.

Idem fœdus intercessit inter Jonatham & Demetrium, aliósque Reges, qui vixerunt sub Lege Moyfis: adeò, ut sacra pagina nunquam illa fœdera reprehenderit, quæ cum infidelibus adversus infideles inita fuerunt.

13. At ubi fœdera pepigerunt cum infidelibus contra fideles, exprobrârunt ea gravissimè Lex & Propheta. Quia habuisti fiduciam, ait sacer textus, in Rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo, idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manû tuâ. Reprehensio hæc fuit Prophetae adversus Regem Afa. Ex consimili ratione reprobatur irritumque fuit fœdus illud, quod pepigerat Phacee filius Romeliæ Rex Israel in Jerusalem, cum Rasim Rege Syriæ, ut Achaz Regem Judæ oppugnaret. Hæc dicit Dominus DEUS: non stabit & non erit fœdus illud.

Isa, 7^o

14. Etiamnum è Vicaria DEI Sede prohibentur, reprobantur, damnantur ejuscemodi fœdera, quæ Christiani Principes contra fideles cum infidelibus paciscuntur. Magna enim impietas est, Barbarorum ense in Christi membra sævire, & tot mille animas in prædam exponere hostibus DEI. Palàm legitur censura excommunicationis in Bullâ Coenæ, ubi damnantur perpetuo anathemate, qui in damnum Catholicae Religionis Turcis & Christiani nominis hostibus, arma bellica, consilium, auxilium, vel favorem quomodolibet præstant.

15. Eodem fulmine percutiuntur illi Principes Christiani, qui aliis Principibus Christianis inferunt bellum, ut divertant eos ab obsidione, vel bello contra infideles, ut accidit nostro Leopoldo Cæsari multoties. Similiter qui infidelibus transitum in partes Christianorum permittunt: denique illi

Alterius
c. 10. ad
fir.

(Hh)

omnes.

Borna-
cina
disp. 1.
q. 8. de
conf. Bul.
Coen.

omnes, qui præstant consilium, auxilium infidelibus contra quemvis Principem Christianum, ne ita fortis & potens evadat, ut ei auctâ potentiâ resisti nequeat.

16. Neque etiam id obstat, si id facerent ad vitandum grave suorum Principatuum incommodum, quod olim plurimum prætexebant Galli suo fœderi cum Turcis, contra Domum Austriacam.

17. Causam adnecto, quia in Bullâ Coenæ interdicitur qualiscunque præstatio auxilii infidelibus contra Christianos per verba illa: **Quomodolibet præstant.** Quâ loquendi formâ excludere voluit omnem cavillationem vel tergiversandi rationem. Ut jure concludam: **Non licere Principibus fœdera sancire cum infidelibus offensiva & defensiva contra fideles.** Quia in ejusmodi fœderibus Christiani Principes obligantur ad præstandum auxilium contra Christianos, quod sub censuram cadit.

18. Cognata exindè quæstio oritur: An saltem licebit, in causa belli justâ & legitimâ, infidelium milite, armis, & comæatu uti contra suos hostes, etiam Christianos? Hoc omnino licitum esse (quantumvis rarò expediat) præciso tamen scandalo & periculo fidei tradunt Theologi Chartagena, Reginaldus, Valentia, Molina, &c. Hoc quippe casû, cum non intercedat fœdus, supponitur Princeps non contrahere ultrò citroque, ac consequenter non obligari ad præstandum auxilium & consilium infidelibus contra Christianos, quod in sacrâ Bullâ Coenæ vetitum est, sed eorum tantum velut militum, non velut infidelium ope & adminiculo uti. Quemadmodum utimur Elephantis exterisque bestiis in necem & damnum nostrorum inimicorum. Periculo tamen hæc non vacant, si temerè,

& non præscriptis conditionibus
fiant.

CAPUT VIII.

Que Principi cum vicinis Fœdera.

1. **J**AM supra memini: Beatum esse illum Principem, qui sine fœderibus re suâ subsistit. Nam qui se fœderibus multum implicat, sui Juris fermè non sunt, sed alieni. Deindè sapius simulatâ sociorum amicitia decipiuntur, ad injusta quandoque trahuntur, & ex fœderati unius vel diversione, vel lapsu, ipsi vel cum eo ruunt, vel saltem mille periculis exponuntur, insuper elapsâ spe omni, & occasione rerum optimè agendarum. Sic Anno 1674. Svecus ducto hostiliter ex Pomeraniâ sex & decem millium exercitu in Marchionatum Brandenburgensem, divertit illicò Electorem, Cæsaris fœderatum à Briafaco obsessio, & abducto indè celeriter milite suo, res Cæsaris segniùs agi cœpit, usque dum Turennius acceleratis itineribus opem obsessis ferret eâ felicitate, ut Cæsareanis necesse fuerit, non solum obsidionem solvere, sed multis incommodis se subicere.

2. Interea tamen non solùm usuvenit, sed fermè expedit, se fœderibus aliorum Principum innectere. Nam hoc avo ita bella geruntur, ut, quamprimùm duo ad arma procurant, illicò se ingerant alii Principes, & in partes trahantur, quia in uno eodémque inter duos bello communiter plures Principes sua commoda aut incommoda, sperant aut metuunt. Ideò

Canon Status est: **Nullum majus boni Imperii instrumentum esse, quàm bonos amicos.** Omnis fortitudo Regnorum non solùm in cujuscúnque Regis viribus consistit, sed etiam in amicitiiis propinquorum, &

Tacit.

conciliandis finitimorum Principum animis. Philosopho inculcanti credo: Qui divitiis, Imperiis & potentiâ instructi, atque ornati sunt, maximè videntur amicis opus habere, nam quomodo res vasta sine amicis custodiri, incolumisque servari possit? Quantò enim major est sive opulentiâ, sive potentiâ, tantò pluribus casibus exposita. Non est expeditius medium externos insultus hostium aut æmulorum retundendi, quàm fœdera legitimè sancita cum vicinis. Quippè in rebus humanis ita comparatum est, ut nullus fermè populus existat, cui non æmulum aliquem adversarium DEUS excitaverit: nec quælibet Respublica semper in procinctu quasi stare, incursionésque hostium expectare & excipere valet, cum, ut ait Sallustius, omnis Respublica suam habeat debilitatem. Caput membrorum nobilissimum non dedignatur auxilium ignobiliorum partium. Nemo prudens Princeps, quantumque polleat potentiâ, utilitatem fœderum repudiat. Multi quidem Principes tantum potentiæ habent, ut uni resistant hosti, sed non pluribus, citrà discrimen suum. Æmulationes æmulationibus, fœdera, fœderibus, hostes hostibus opponendi. Væ soli, quia plurium esse potest præda.

3. Et hoc quis in dubium trahet? nam in uno sæculo plures, quàm annos vidimus Regum Principumque confœderationes. Una Francia distinctis temporibus in fœdus sibi accivit Batavos & Rhetos contra Regem Catholicum: Palatinum Electorem, Landgravium Hassiæ, aliósque Principes Germaniæ multoties contra Imperatorem: Sabaudum contra Genuenses & Valtelinos: Mantuanum contra Principem Mediolanensem: Lusitanum contra Hispanum: Turcam, Danum, Suecum, Anglum toties & repetitò contra Domum Austriacam, & proximo 1658. Electores & Principes Imperii pro firmitudine, observantiâque pacis Monasteriensis & Osniabrugensis, quòd fœdus Rhenanum dictum. Adeò potentissimi ipsi querunt suppetias: quia vero verius Italicarum rerum Historiographus asseveravit: Nullum Regnum poten-

tiámque dari, quæ non patiatur suum defectum & debilitatem in certis rebus, vel annonâ, vel milite, vel pecuniâ, vel transitu, vel communicatione &c. Quæ tamen omnia ad utrumque Bellum defensivum & offensivum apprimè necessaria sunt.

4. Quantum erat fœdus illud Friderici Palatini cum Bohemiæ, Moraviæ, Silesiæ, superioris Austriæ & Lusatiæ Statibus: Principe item Anhaltino, Duce Wirtenbergico, Mauritio Hassiæ Regulo, Ernesto Marchione Anspacensi, & Friderico Durlacensi: accedebant Anglus, Hollandus, Transylvanus, Turca, Tartarus, & clam etiam Gallus, contra Ferdinandum legitimum Bohemiæ Regem, cui ab adverso velut fœderati opitulabantur Romanus Pontifex, Hispaniæ & Poloniæ Reges, Albertus Belgarum Princeps, Cosmus Hetruriæ Magnus Dux, Electores Ecclesiastici, Moguntinus, Colonienfis, Trevirensis, Bavariæ etiam & Saxonie Duces. Quod tantum fœdus totam fermè Europam implicuit, & ad arma convocavit. Omnia etenim fœdera vel præsentis periculo, vel futuri belli metu contrahuntur. Et hæc propior confœderationum causa quidem est; sed proximam tamen censeo multitudinem hostium. Nam quis tam socors Princeps erit, ut cum alios Principes contra se in fœdus & societatem coire viderit, solus sine amicis & sociis compareat, suumque Statum primæ prædæ exponat? Celebris illa Status regula est: **Fœdera fœderibus persequi.** Fœderi inter Gallum, Sabaudum, & Venetum de Valle Telina restituendâ opposuit Hispanus aliud fœdus Principum Italiæ, qui fœderatos divertebant à Gallo. Sic Carolus V. & Franciscus I. Rex Franciæ, & Henricus VIII. Angliæ ex numero suorum fœderatorum & sociorum, plerumque etiam suas victorias numerabant.

5. Quoad delectum vicinos præfero: ab his etenim elocius auxilium: & repagula quædam sunt contra hostes.

Attamen Vicinitas præpotentium periculosa est debilioribus. Nam si inter duos bellum exurgat ita potentes, ut vicinus neutri ad resistendum par sit, alterutri se conjungere cogitur, nisi Victori postea prædæ esse velit. Unius, vel alterius fortunam sequi expedit, ubi ab uno aut altero, quibus non sufficit, periculum imminet. Hinc vicinis bello inter se certantibus vicina utrisque loca, valido paratoque subsidio firmanda sunt, ne victoriâ elatus vicinus, nostram quoque partem turbet. Ideò Victor potentior Princeps à vicinis conciliandus est, non solum antiqua pacta sollicitè manutenendo, auxilia maturè, etiam non imploranti mittendo, potenti difficiliora non denegando totaliter, aliquatenus saltem annuendo, injurias, nisi magnæ sint, dissimulando, vel eas non vicino Principi, sed ejus Ministris imputando, à minis abstinendo, cum hostibus ejus non tractando aut paciscendo, subsidia pro viribus mittendo, & ejusmodi, quæ aliàs si non præstentur, aliundè potentes à vicinis minùs potentibus extorquere solent. Potentes enim Principes à debilioribus, præsertim vicinis, non solum ultrò sumunt, quod offertur, sed non oblatum importunè petunt, acceptum nunquam restitunt, negatum molestè ferunt, & injuriæ attribuunt. Satius est in beneficium ultrò condescendere, quod in obsequium exigipotest. Tempus enim esse, ajebant olim Carinthii, quo gratificans ducitur amicus, & adversans ducitur hostis. Officium opportunè collatum, etiamsi minus sit, plus conciliat, quàm maximum, si importunè exigatur: Illud observantiam, hoc contumaciam indigitat. Adeò vicinitas præpotentium periculosa est, & non raro exitium affert debiliori, si ad prudentiæ regulas sua non conponat: ideò particulariter profuerit, cum uno ex illis foedus sancire, ejusque fortunam sequi, quàm inter ambos periclitari, vel ab uno ex iis Victore, Victoriæ præda fieri. Medium dissuasit olim Aristhanus Achæis, cum

medii

medii essent inter Romanos & Macedoniae Regnum dictitans: Etenim praeterquam quod accipienda, aut aspernanda vobis Romana Societas est: quid aliud, quam nusquam gratiam stabili, velut qui eventum expectaverimus, ut fortunae nostra applicaremus consilia, praeda victoris erimus.

6. Ab adverso magno prudentiae usu pollet Princeps ille, qui praecavere novit, ne Vicini sui Principes, Civitates, aut populi ad hostem accedant, cum ex sua & eorum coalescens potentia, majorem formidinem incutiat aemulis & hostibus, securitatemque suis Statibus procuret. Ita Carolus Philippi Burgundi filius omnem operam adhibuit, ut cum Carolo Duce Normanniae foederaretur, probe gnarus, cum ratione magnam partem virium Gallo, cum quo dissidebat, subtrahi. Etiam debiliorum vicinitatem comiter observant sapientes Principes, si enim non multum opitulari, saltem impedire poterunt, & ex foedere non nocebunt, quos aliam hostis sibi devincire valeret. Magnus ad res agendas per vicinos aditus est, quantumcunque debiliores. Opportuna sunt hosti potenti, per vicinorum loca qualiacunque, securitatis suae praesidia. Sciet ille, in rem suam uti quacunque occasione nocendi.

7. Maxima autem & facillima ratio erit vicinos, qui aemuli sunt nostrorum hostium, in foedus nobis jungere. Agent isti strenue & fideliter in una veluti causa comprehensum, eidemque lucro & damno intenti. Scipionem laudat *Lib. 18.* Livius: quod ante bellum Carthaginense in Africam navigaverit & Asdrubalem Panorum Ducem praeveniendo, Regem Syphacem Carthaginensium vicinum & aceolam, ab amicitia Carthaginensium detrahens, Reipublicae Romanae partes sequi persuaserit. Id a sacrorum Principe Urbano VIII. discant Statistae: Is certe omnem lapidem movit, donec Mutinensem Ducem

Ducem Parmæ vicinum, cum contra hujus loci Principem bellum gereret, in belli socium sibi adsciverit. Id ipsum intendebat Gallus, cum Mantuanum sibi adlegeret proximum Mediolano: & Hispanus Sabaudum accolam Galliæ. Uterque variâ fortunâ, utrumque in suas partes æmulabatur.

8. Porrò è Ratione Status Princeps aut Respublica ad vicinorum morum pericula, postpositâ omni simultate adesse debet, præstando oppressis prompta & opportuna auxilia. Hæc enim illis submissa propriam Rempublicam asserunt, adedò, ut expediant arma tam in illorum, quam suam propriam salutem, dum progressum inhibent iis, qui in suos vicinos armati grassari audent, & ulteriores conatus sibi quoque imminentes, præcidunt.

9. Equidem arbitrabatur sapienter, magnus ille in Galliâ Solon Richelius, incendio exorto vicinos ad restingendum properare, ne flamma viciniam pervadat: Sic Regem, cum foederatos bellorum mole oppressos videt, ad pacem quâcunque ratione procurandam obligari, ne post illorum ruinam, flammam domi suæ coërcere necessum habeat. Belli igitur pericula cum vicinis, communia Principi sunt: & indubiè credat, vicinis neglectis trajecturum incendium in viscera sui Status. Id verebatur Respublica Venetorum, quæ ideò contra Hispanum Ducem Mantuano omnes possibiles suppetias præstitit ob consilia nimirum ab antiquo metuenda; non immemor oppida & loca non contemnenda ex Ducatu quondam Mediolanensi decerpta sibi adcrevisse, quæ Hispanus jure repetere posset. Propterea ne oppresso Mantuano veluti è viciniâ devolvi possent arma Hispani in Rempublicam, statuerunt sapientissimi Patres potius è longinquo spectare insidias, quam in viciniâ cum periculo pati potentiam metuendam, igitur ad conservationem Mantuani omnem operam contulerunt.

10. Cæterùm solent aliquando dissidere vicini foederati,
 sèque

ſeque invicem domesticis armis conficere. Quid in re tam perplexâ agendum Principi? Sanè ipſa amicitia & fœderis, quo illi cohærent, ratio non finit eos in partes abire, viresque ſuas dividi: igitur arbitrum magis agat, quàm factionarium; non oleum affundat igni, ſed pacem procuret.

II. Sunt, qui ſuis Principibus perſvadent in turbido piſcandum, collidendósque invicem ſuos vicinos, feſſósque tandem opprimendos, & ex Societate fœderatâ in ſervitutem ſubigendos. Ejusmodi Miniſtros in arcano ſuo conſilio habuit Ludovicus Rex Franciæ ſanctus, quem illi reprehendebant, quod pacem inter vicinos conciliaret & non potius armis eos inter ſe deſtrui pateretur. Quibus S. Rex reſpondebat: Si Bella inter vicinos meos non ſopirem, dolo malo id me facere dicerent, & invicem conjuncti Regnum meum inſtarent: inſuper iram DEI in me accerferem, qui pacem vult in terrâ, non diſſidiorum zizania. Et reverâ, ſi priorum ſæculorum expendo hiftoriam, auſim aſſeverare: **Plures periſſe Principes ex commotis vicinorum diſſidiis, quàm ex procuratâ inter eos pace.** Facile conjungunt ſe, & convertunt arma in caput tertii, quem metuunt. Denique curandum vicinis Principibus, ut pax inter vicinos colatur.



CAPUT IX.

De Firmitate Fœderum.

1. **E**thnici dixerunt: **DEOS** eſſe Fœderum arbitros. Undè fœdera violata à quocunq; fuerint, tandem is à **DEO** punitur. Appoſitè planè ab Helicone Vates:

*Fœdera mortales non seruo rumpite ferro :
Sed castam seruate fidem, fulgentibus astro
Hæc potior est Regnis.*

Inexpiabilis Religionis est, fidem fallere, cum nunquam hujusmodi facinus à DEO inultum permittatur. Pœna fœdifragum sequitur. Testis est sacrum Chronicon, testes Veterum monumenta, & recentiorum exempla: A fœdifragis nunquam abfuisse pœnam, quæ si non constabat, occultam experti sunt. Romani Violatores fœderum olim acerrimè ulciscabantur. Metium, Dictatorem Albanorum, quadrigis discerptum non satis multârunt, sed etiam Albam funditus solo æquârunt. Veientes ipsi à stirpe funditus deleti. Carthago intra quatuordecim dies incendio absumpta. Campani miserandum in modum aut cœsi, aut durissimâ servitute oppressi. Corinthus ac Numantia excisæ, civésque omnes interempti. Tam inexpiabile olim erat fœdus frangere, nunc verò fide juratâ nihil fragilius; nulla fœderibus firmitudo, nulla sincera societas, nulla pactis constantia, & Jurisjurandi vix ulla cura. Et quantumvis (quemadmodum disserit Cardinalis Richelîus) confœderationes Principum prospera aliquando sortiantur principia, rarò tamen exitu optato terminantur. Ut vel hinc intelligamus Principem fœderatorum promissis confisum non absimilem mercatori fortunas suas navigio lacero committenti: cum experientia millies testatum fecerit, Principibus tot esse prætextus, rerúmque commentitias causas restringendi fidem, solvendique fœdera, ac negandi promissa, ut securitatis nullus locus sit, nisi usquedum lubeat.

2. Tanti mali causas, geminam conjicio, & illam internam & externam dico: Externa procedit ab adversario, vel alio Principe, extra fœdus constituto, qui certâ arte, vafritie vel prudentiâ connititur ejusmodi Regias confœ-

confociationes & uniones dividere, interrumpere, turbare, cum hoc suæ rei expediât.

3. Interna verò est inter ipsos fœderatos, diffidentia nimirum, suspicio, privata utilitas, metus, & similia, per quæ, velut latentes morbos, sensim abscedit ex corpore illo fœderato, fides, quæ anima est omnium promissorum & fœderum. Cominæus (eximius ille inter veteres Ministros Franciæ, adhuc sub Ludovico XI.) difficile admodum esse expertus dicebat, ut, qui sunt æquali potentiâ Principes, diurnam colant amicitiam, nisi majoris alicujus authoritate cohibeantur: ejus, inquit ille, rei multa ipse vidi, & cognovi exempla. Quod totum profuit ab illâ magnis Principibus coævâ diffidentiâ, vel etiam titubatione animi, vel certis respectibus, simultatibus, suspicionibus: idque tunc maximè, cum vel de gloriâ, vel de potentiâ, æmulatio animum subit. Nam quamdiu hæc utrinque æqualia sunt, valebit quoque fœdus & amicitia incolumis. Ubi verò alter præ altero fit fortior & potentior; confestim animum occupat suspicio, succedit diffidentia, conturbat metus, stimulat invidia, tandem dominandi libido ex amicitia facit discordias, ex fociis hostes, ex fœderibus bella, ex bellis publicas calamitates.

4. Nonnunquam etiam adversa fortuna distrahit fœderatos: quem fortuna deserit, deserunt amici: calamitoso nemo sociatur libenter: utcunque se res inclinant, ita sustentantur fœdera. Unicum multorum consilium est, quò propitia fortuna daret, eò vertere vires & fidem. Vertumni illi sunt & omnium horarum socii non viri cordati. Ita coarguit Bodinus Mauritium Saxonie Ducem, & Albertum Brandenburgicum, hunc Doctorem, illum Licentiatum perfidiæ vulgò appellatum. In felicitate servare fidem etiam debilior sexus valet, nec id arduum videri debet. Verùm cum quispiam in calamitate sociis fidem observat, hoc verè tantum virorum est, & dignum omnis ævi memoriâ.

5. Omnium autem nihil magis foederum accelerat interitum, quam quod plerique foederatorum **Interesse** potius **privatum**, quam publicum respiciant emolumentum. Parum in commune consulunt, & cum in consilio conveniunt, non tam publicis medentur periculis, quam privatis student fortunis; ideò distrahuntur opiniones in diversa, & nullum rectum consilium, firmumque propositum statuitur. Admiratio & indignatio subit animum, & obrigescent mihi quasi ossa, cum expendo rei fatalitatem magis, quam causam, cur famosum illud, quod Paulo III. & Pio V. Pontificibus Romanis cum Rege Catholico & Venetis adversus communem hostem erat foedus; tam gloriosè coeptum, & inter tales divinâ & humanâ sapientiâ excultissimas potentias contractum, absque tamen, quem exoptabat universa Christianitas, fructu disparuerit? Ea, proh dolor! certè fuit, quam Author Rationis Status insinuat: **Quod non par omnium utilitas ageretur.** O maledicta utilitas! quanta tu consilia distrahis? quantos interrumpis conatus? quot precipitas negotia? quot negligis occasiones nunquam redituras? non mihi amplius utilitas eris, sed **perditio rerum.** Quæ Amori olim Poëtæ adscribebant vitia, tibi nunc appingo **cœcitatem & insaniam.** Quanta caligo mentis est, parvam utilitatem præ maximâ non discernere! Quanta insania, à gloriosissimis coeptis, nullo cogente desinere! Nam foedus illud ab ingenti quamprimùm ad Naupactum obtentâ victoriâ coepit: & tunc tandem semel visum, ostensumque Orbi est: **Impossibile non esse à Christianis vinci Ottomanos.** Si foedus illud perstitisset; si foederati armis institissent; quanta, obsecro, lucra & emolumenta obtigissent foederi! Etiamnum habuissent Veneti Regna sua, modò

dò sub Turcarum jugo gementia : nec Hispanus ad Africæ ora tot proventus deperdidisset, quibus etiamnum ipsius caret ararium. At verò cum confœderati isti, suæ tantùm velleficari volebant fortunæ, tunc suam, & communem indubiè secururam, perdebant. Nam Hispani parùm curabant, si quid Turcæ in Oriente detrimenti ex fœderatorum exercitu cœpissent; è contra hoc è re Venetorum erat. Venetos haud etiam afficiebant victoriæ, quas in Africâ Hispani reportabant; è contra Hispanis in summum cadebant emolumentum. Pontifex in medio constitutus lugebat quidem tam supinam fœderis inertiam (nam illud tunc uno quasi halitu totam sibi potuisset adjicere Græciam, & titubantem Ottomannorum portam penitus subvertere, ut historia ipsa Turcarum memorat) interim Pontifex nihil emolumenti sperare poterat, nisi quem zelus erga Religionem imperabat. Sic turpiter extinctum fœdus, quo gloriofius aliud non erat. Sic vincit semper utilitas, rarò honestas. Nihil igitur (ut observat Cardinalis Richelius) pronius ad fœderatos separandos quàm **commodum oblatum** : cum id solum Principum fœderibus substernatur, & subtractum adferat finem.

6. Et hinc grandia non rarò mala exsurgunt, maximè ubi expeditio in longinquas instituitur Provincias, fœderatis onus subsidiorum quorumcunque declinantibus, vel ad prompta auxilia tardantibus, undè spontè pereunt, aut per hostem nullo penè negotio dissipantur. Accidit hoc olim in expeditionibus Cæsarum pro recuperandâ terrâ sanctâ. Accidit postea hoc Gallis sub Lautrechio in Regno Neapolitano. Plures Principes fœdere juncti, nunquam ad unum, licet minus illis potentem, comparari possunt. Nunquam illi præstabit, quod iste, licet inferioribus copiis. Unus ubi imperat haud facilè dividi potest in diversa studia & consilia : ubi à contrario, quando plures in uno fœdere partem imperii ha-

bent, vix esse potest omnium una mens, sed quemcunque trahit in partes sua voluptas, suum commodum, sua imperandi libido. Henricus IV. Galliarum Rex ex Borboniâ gente primus, cum in eo esset, ut pacem cum Hispano faceret; Anglis fidem reposcentibus, respondit: **Reges non aliter inter se pacem & fœdera facere, quàm cum hâc tacitâ conditione, ut, quod rebus suis utile est, semper amplectantur, & quod periculosum, cautè devitent.** Itaque à se exigere non debere, ut bellum periculosi eventus cum Hispanis, quàm cum iisdem, pacem rebus suis salutarem, habere malit. In scandalum prolata vox illa Francisci Urbinatum Ducis: privatum hominem ob non servatum Jusjurandum meritò quidem culpâri: Principibus autem Regni servandi causâ licere contrahere, nec contracta implere; inire fœdera, & iis rursus ex commodo suo renuntiare.

7. Accedit altera causa, eaque externa, dissolvendorum fœderum: nimirum nostrorum Adversariorum artes, & machinationes, quibus adlaborant, ut inter se dividantur fœderati. Hoc illud arcanum est, quo utuntur moderni Statistæ ad extingvendam spem omnem universalis Monarchiæ in Europam, è contra verò ad conservandum æquilibrium Regum, Principum & Statuum. Nec sinunt Austriacos prædominari Gallis, nec Gallos Austriacis. Hoc sine jam tot à duobus fermè sæculis fœdera coalita jam pro Gallis, contra Austriacos, jam pro Austriacis, contra Gallos. Et nunc tota Europa se opponit, ne Gallia & Hispania coalescant in unum Dominatum, qui Europæ gravis incumberet. Ideò omni conatu connituntur Galli, omnémque lapidem movent, ut fœdus hoc prægrande Austriacum dissolvere possent, quo facilius diviso inferrent cladem, quàm conjuncto. Romani cum comperit haberent, Græciam invictam fore, quamdiù staret Societas Achæorum, Gallo Proconsuli in mandatis dederunt,

derunt, ut modis omnibus societatem illam dirimeret: quod tentatum callidè, & peractum feliciter fuit. Omnium verò mortalium optimè callebat Ludovicus Rex XI. artem dirimendi societates atque fœdera & in eò non parcebat ulli vel sumptui, vel labori, modò efficeret.

8. Reducuntur præfatæ dissolvendorum fœderum artes ad duo præsertim capita: Primum sunt largitiones, promissa, blanditiæ, affinitates, quibus alliciuntur Reges, Principes, Ministri, in adversam partem. Spe nihil interest inter amicorum munera & hostium vota. Cyrus junior, ut secum potius, quàm cum Fratre inirent fœdus Lacedæmonii, ita pollicitabatur: Viros si mitterent, se peditibus daturû equos, equitibus currus, agrum possidentibus se daturum vicos, vicos qui haberent, eos se facturum civitatum Dominos: Coeterùm argenti & auri vim tantam, quæ ex numerantium tædio ponderari debet. Nimirum hoc erat, quod aliquando dixit Artaxerxes: **Regalius esse dare, quàm adimere.**

9. Ubi verò allectamenta ejusmodi, quæ humanitatem tamen sapiunt, non proficiunt, aliam arripiunt ansam. Videlicet, seminant inter Fœderatos dissidia, suspectos invicem reddunt, umbras confingunt, dividunt indè animos, vires, socios, opes. **Homo nimirum perversus, ait Sapiens in proverbiiis, fuscitat lites, & verbosus separat Principes.** Neque enim hostilis calliditas in hoc semper est intenta, ut manu rem gerat, & vim vi expugnet. Scilicet ante oculos est belli alea, fœderatorum vires, arma, potentia, quæ justum metum incutiunt adversariis: Igitur ad ferales discordiæ faces se convertunt, quibus inter fœderatos inimicitias accendant, ut se invicem prius consumant, quàm aliquid in suos hostes moliri possint. Hinc illa Europæ incendia, quibus se mutuò conflagravit prima Christianitatis capita, & læpissimè eò ventum est, ut validissima fœdera contra communem hostem dissolvi debuerint, quæ si in vigore mansissent, actum jam fuisset de Imperio Ottomanico.

CAPUT X.

Observanda in paciscendis Fœderibus.

1. **U**Naquæque res, quò majoris est utilitatis, & amplitudinis, eò citius ad pericula prolabitur, propterea tantò cautiùs suæ artis limitibus communienda est. Corruptio Optimi pessima censetur. Unde Principes & Republicæ, quibus è Ratione Statûs incumbit societates inire, fœdera contrahere, externa auxilia implorare; omnem possibilem cautelam adhibebunt, ne fallantur in hoc negotio, ubi bis peccare vix datur, sed quamprimùm erratum est, consequitur vacillatio, vel planè ruina Statûs. Ex fœderibus multi creverunt, multi perierunt, multi, cum amicos pararent, inimicos invenerunt. Adeò utrique fortunæ subjecta sunt fœdera, ut hæc rectissimè æquiparaveris matrimoniis, quorum exitus semper est ambiguus.

2. Qui perfectæ fœdera sancire volunt, ea ita ad unam solam voluntatem reducent, ac si imperium unum, illudque solum esset. Ut nimirum nullus inter confœderatos Princeps sit, qui vel minimum Interesse à publico separatum quærat. Hoc enim non solum omne fœdus, sed omnem etiam amicitiam frangere, & contrarias confœderationes causare solet. Fœdus juris publici est; publicum autem ab honestate nunquam sejungi debet: honestas quippè indissolubilis ille nodus est, qui fœdera inseparabiliter stringere potest. Fines obliqui ac machinationes occultæ pugnant contra candorem fœderis, quod totum in bonâ & reciproçâ fide fundatur, quæ non patitur prætextus, technas, & molitiones dolosas; sed talis qualis, soli veritati innicitur. Unde rectè ille dixit:

dixit: *Fœdera mutuâ æquitate rerum*, verborúmque fide conservari: *secus nec firma nec diuturna esse.* Exemplo res pateat: *Perfæ animo aperiendi sibi viam ad Græciæ acquisitionem studiosè fœdus cum Spartanis inierunt*, ac si illi istis contra hostes suos Athenienses suppeticas laturi essent: & firmum quidem hoc fœdus manebat, quamdiù hæc facti honesti species à Perfis vaferrimè obtegeretur. At sensim, roboratâ jam amicitia, *Perfæ liberiùs, quàm par erat, sensa animi patefacientes*, non ex tam honestâ ratione, quàm fingeant, sed potiùs ex privato commodo, ut nempè Imperium supra fines ampliarent, ut & Græciæ dominarentur, se amicos contra amicos adjuvare, quo sic utraque pars sibi subjiceretur. Attoniti desuper Spartani, confestim fœderi Perfærum, vel potiùs machinationi, renuntiaverunt, ac illud ipsum, Atheniensibus juncti, in Perfæ machinati sunt. Quæcunque ficta sunt, modicâ diuturnitate gaudent: Veritas tandem illis larvam detrahit.

3. Magnam profectò cautelam adhibere tunc expedit, quando duo æquales viribus Monarchæ, qui inter se armis contendunt, qualiter videlicet cœteri minores, & adjacentes Principes cum hoc, vel altero se fœderis nexu utiliter & è salute sui statûs, conjungere possint, & debeant. Hinc est, quod unum eundemque Principem modò huic, modò alteri confœderatum videamus, & in Sabauda experti sumus toties jam Franciæ, jam Hispaniæ adhaerente, prout rerum Status & æquitas causæ svadere, atque exigere videatur. Et hoc modo jam olim inter Romanos & Perseum Macedoniae Regem bello pendente, vicini populi vehementer dubitarunt, utris sese adjungerent. Tandem optima & prudentissima pars (si utique optio Domini potioris videretur) sub Romanis quàm Rege malebat esse, ait Livius. Si autem liberum inde arbitrium fortunæ esset, neutram partem volebant potentior, alterâ oppressâ, fieri; sed illibatis potiùs viribus utriùsque partis pa-

cem colebant. Quod egregium Statûs arcanum est, & salubriter receptum apud modernas Europæ Respublicas. Denique imbecilliores fœderati semper suspectam habeant & in ambiguo potentiorum fœderatorum, auctoritatem, vires, opes & ipsam fidem, quibus maturè, circumspectè, & exactâ prudentiâ obviandum, ne debilioribus servitutem superinducant. Tunc verò præsertim, cum illi iidem potentiores se se cum suis hostibus, vel aliis validis populis reconciliârunt, aut fœdere junxerunt. Potentes siquidem semper alto supercilio debiliores aspiciunt, aut despiciunt, & ex ipsâ ratione Potentiæ existimant, se debere dominari in debiliores.

4. In fœderibus paciscendis, vel conficiendâ, pace aut induciis, non tantum ipsis bellorum aut fœderum Authoribus & Ducibus, verùm etiam eorum sociis utrinque cavendum est, ne illi, vel inter se conciliati bellum adversus paciscentes moveant, vel se, ad alios utrorumque hostes adjungant. Similiter in conventionem factâ cum hostibus, & finito bello transigendâ pace, comprehendi faciant omnes fœderatos, & belli socios: Quod æquum est, ne exclusi nova moliantur. In fœdere pacis inter Henricum II. Franciæ, & Philippum II. Hispaniæ Reges non solum comprehendebantur ipsi Reges paciscentes, sed multi alii vicini Principes & Duces: Dux Sabaudia, Dux Lotharingiæ, Dux Clivensis & Juliacensis, & multi alii Principes Germaniæ & Franciæ. Quod ipsum practicum est anno 1648. in pacis illo fœdere generali sæpius memorato Monasterio: Osnabrugensi inter Imperatorem, Svecum & Galum, ubi omnibus fermè Imperii Statibus abundè provisum fuit, sed Austriacis & Religioni avitæ minimè.

5. Porrò ad quædam specialiter se reflectunt Statistæ, cum de fœdere in eundo deliberant. Primò ad **Necessitatē**: id est, an necesse habeant alienâ societate aut ope? Illa si non adsit, non facilè se implicent confœderationibus, & satius ducant suis viribus niti, ac se in libertate, neutrius partes amplecti-

plectendo, continere, quàm suo & alieno periculo foederari. Secundò, ad rationem particularem sui Status. Nam si soli periclitari deberent, tutius est sociorum foedere protegi & conservari. Tertio, ad causæ justitiam: Quia injusta foedera, qualia sunt subditorum adversus Regnantem, Religionem, innocentiam &c. quæque apertam iniquitatem continent, non possunt à sociis exigere fidem, hæc enim vinculum iniquitatis non est: nec isti se participes reddere audent injusti conatûs. Quarto, ad loci opportunitatem. Remoti quippè in præsentî periculo tardi sunt; & vicinorum animi, quasi ex naturæ vinculo arctius videntur dispositi, ad auxilium præstandum vicino, quia reciprocum expectant aut exigunt. Quintò ad vires: ne illæ nec nimix, nec modicæ sint. Foederati enim nec obrui à sociis volunt, nec periclitari cum illis. Eos, suadet Comineus, quorum societas non sit nobis onerosa, sed auxiliaris: undè nobis subsidium, non imperium. Sextò ad cautionem sive Depositum. Nam in contrahendo foedere, quemadmodum utiliter conitendum est, ut à socio in depositum habeas locum aliquem munitiorem: Ita summo studio curabis, ut si quidpiam simile à te petatur, cautissimè declinare, vel extra periculum te constituere noveris. Vinculum arctissimum est, ait Cardinalis Richelius, locus munitior in pignus fidelitatis datus. Pauci tamen id præstant ex metu pignoris malè reddendi, quocunque prætextu objecto vel fractæ fidei, vel non dati subsidii sufficientis &c.

6. Foederatorum illibatorum conservandorum optima ratio & expeditissima est, si ab iis, qui foedera paciscuntur, commune aliquod Concilium, quod de eorum inter se controversiis postea cognoscat, & judicet, communi consensu constituatur. Hujusmodi Concilium Anno 1608. constitu-

tum fuit à confœderatis Imperii Principibus, ubi Heidelber-
gicus Elector Præsidentem, Consiliarium unum, & Secretarium,
qui concilium illud dirigerent, constituerebat : reliqui verò
Confœderati Principes, Status & Urbes solummodò ablegatos
in consiliorum communionem submittebant.

7. Renovatio fœderis ad firmitatem fœderum magnum
pondus addit. A Senatu Romano cum Laurentibus reno-
vari fœdus jussum, tradit Livius, & deinceps quotannis re-
novari solebat. Helvetiorum civitates Anno 1481. fœdus
iniverunt sempiternum; & tamen uno capite, ut quinto quo-
que anno renovaretur, cautum est. Ita quoque perpetuo
fœdere conjuncti fuerunt Philippus Valesius Francorum, &
Alphonfus Castiliæ Reges Anno 1336. nihilominus minus re-
peritum fuit fœdus à Joanne Rege cum Petro Alphonfi filio,
ac rursus à Carolo cum Henrico, &c. Nam si longissimo
tempore fœdus circumvallatum fuerit, oblivionem inducit:
Vilescit inde Authoritas & amicitia, & omnis fervor in sub-
mittendis auxiliis, cœterisque pactis remittitur. Ideò con-
ducibilius esse tradunt Politici, certo temporis intervallo,
puta decennio, vel viginti annorum spatio rectè circumscri-
bi fœdera, cum pacto, si placuerit, renovando.

8. Modus faciendi fœdera, sive ipsæ tabulæ scriptæ,
quoad conditiones insertas, pacta, quantitatem, qualitatem, ob-
ligationem, remissionem, aliaque omnia, quæ fœdere compre-
henduntur, sunt clara, perspicua, aperta, extra omnem An-
phibologiam, vel verborum ambiguitatem. Tantæ siquidem
sunt hominum fraudes, tot mentium latebræ, tantique reces-
sus, ut fœderum violandorum occasio ex rebus quibuscun-
que levissimis quaratur. Cleomenes, Lacedæmoniorum Rex, cum
septem dierum inducias cum Argivis fecisset, tertiâ nocte,
cum Argivi severè agerent, nihil per id tempus induciarum
verentes, noctû, primo somno sepultos, incautosque adortus
magnum eorum numerum aut ferro peremit, aut profligavit,
aut servituti mancipavit. Cum autem perfidiæ (ut reverè
erat)


erat) ab Argivis insimularetur Rex, septem dierum inducias, dixit, se pepigisse: noctium se in tabulis nihil meminisse. Huic non absimile contigit recentius Anno nimirum 1678. & quidem Suecis ex Pomeraniâ à Brandenburgo depulsis. Hi licet saluum conductum mare Danicum transfretandi haberent; nihilominus tamen Daniae Rex, cum illi ex naufragio passo ad Daniae litora appellerent, eos omnes, nullo salvi conductûs habito respectu captivos sibi fecit, inquires: **Salvum conductum extendi ad mare, non ad terram.** Potentibus vix unquam deest fallendi excusatio. Accedunt callidæ, vafrae, & dolosæ interpretationes & sophistications, quales erant illius Legati Romani, qui pacto cum Antiocho transigebat, ut dimidium navium Romanis & Regi constitueretur; quas deinde Legatus omnes reipsâ dividi & disseccari iussit. Quod ille studiosè, & in rem suam fecit, ut Regem navali præsidio ex toto exueret. Adeò rectè Musa canit:

Sic simulata, quibus vafro sub pectore mens est:

Fronte patente placent, fraude latente nocent.

Indecorum autem planè viro Principi, per ejusmodi ambiguitates, & crudas interpretationes à fœdere resilire, & socios periclitari sinere. Non hæc Germana, sed plusquàm Græca fides est. Semper in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum. Dedecent Magnanimos Principes dubia verba, restrictiones, sophismata, quibus uti solent in Dicafteriis Causidici, nullam tam turpem causam existimantes, cui centum fautores patrocinari nolint. Idem objectum fuit Reipublicæ Venetæ, quæ percussam cum Rege Franciæ Francisco fœdus, ratione Status Mediolanensis, ex intervallo cum fortunâ destitueretur Rex, ita interpretabatur: **Fœdus ictum fuisse de retinendâ, ac tuendâ possessione,**

non de recuperandâ, si amitteretur. Quapropter negavit Respublica auxilium deberi Rege ex Statu Mediolanensi ejecto. Adeò ludimus in verbis, cum commodi spes elapsa est. Advertant igitur Principes, ut claris verbis exprimant tenorem contracti fœderis. Cum Eduardus IV. Angliæ Rex, Regno exutus, imploraret à Rege Franciæ auxilium, ex fœdere promissum, hoc ex Galliâ responsi obtinuit: **Non cum solo Rege, sed cum Regno etiam contractum fuisse fœdus, nec adversus novũ Regem, Regnumq; salvis fœderibus bellum geri posse.** Expedi certè, ut, ubi Parlamenta vigent, & quidpiam de Aristocratico admixtum est (quemadmodum olim in Daniâ, nunc in Poloniâ & Angliâ) ratio habeatur distinctè (an cum Rege, vel cum Regno contrahatur) formandi instrumentum fœderis, & conjunctim potius, quàm disjunctim ineundi fœdus, nisi dissideant Rex & Status.



CAPUT XI.

De Neutralitate ejusque Causis.

1. **N**eutralitas politicum nomen est, & ferè aliud non significat, quàm inter duos bello decertantes neutrius partes sequi; id est: neutri arma inferre, neutri auxilia suppeditare; vel tantum uni, quantum alteri. Per se quidem libera est Neutralitas, qui enim pacto vel fœdere ad mutua auxilia præstanda non tenentur, licitè neutralitati student. Et quidem humanitatis, aut vicinitatis & erga debiles & oppressos fortissimum vinculum, quod move-

re quidem potest Principes, sed nec quidpiam necessitat, ut in partes abeant. Ubi tamen foedus intercedit, clientela, vel subjectio, non amplius liberum est recedere; sed veluti necessarium fides exigit foederatis data, vel suo Domino, aut Protectori debita. Non quia sociis destituti, ad alios se convertunt, hi foedera frangunt: sed illi, qui opem non ferunt sociis, quibus cum jurarunt, asseverat Thucydides lib. 5. hist.

Thucyd.

2. Neutralitatem Principibus plurimæ causæ svadent, inter quas Pax & quies est maxima, ex Cæsaris Martiani effato: Dum in pace licet vivere, non expedit arma assumere. Ex hac causâ Gallos olim in bello Carthaginensi, & Spartanos in bello Peloponnesiaco neutrales extitisse testis est Livius & Thucydides: dicebant enim neutram gentem meruisse adhuc suum auxilium. Ideo Ferdinandus Arragonius Ladislao Neapolitano Regi negavit foedus contra Ludovicum Andegavensem, quod magis è commodo suo fore existimaret utrumque Regem amicum habere, aut facere sibi amicum, neutri favendo. Ratio bene Ordinatae Reipublicæ, consistit in eo, ut non facile se immisceat alienis foederibus, aut bellis, sed se conservet in neutralitate, omnium Principum capret amicitiam, spe & promissis alacriori, quos metuere necesse esset, dextrè damna & incommoda declinet, & inferenda injuriæ occasionem nunquam ulli præbeat. Gentina hæc præcepta sunt prudentiæ politicæ, quæ, utinam aut omnes callerent, aut sequi vellent! Henricus Dux Megapolitanus Smalcaldici foederis societatem, cum aliis Imperii Statibus, licet illud reipsâ tenderet contra Imperatoriam Majestatem, inire constituerat: Sed Cancellarius Ducis, vir rei politicæ expertissimus, solidis argumentis jam & iterum improbat foedus, dehortans Principem perpetuò ab illius societate: tandem constituto jam profectio-

Livius
lib. 10.
Thuc,
lib. 1.

Laurent
Vallart.

nis die, ac equum conscensurum Principem validiùs adoricur, ac eò persuadet, ut tunc suspenso itinere, etiam ex intervallo, planè iniquo fœderi renuntiaverit. Quod sapientissimi Cancellarii consilium postea bello Germanico pro Statibus & fœderatis infeliciter cadente, toti ditioni Megapolitanæ fuit salutare. Adeò, qui paribus non cedunt, & erga potentiores, superioresque amicè & reverenter se gerunt, hi plerumque felices rerum habent successus.

3. Sanguinis etiam conjunctio sœpè numero Neutralitatem. Carolus Sabaudus, ubi bellum flagrabat inter Carolum V. & Franciscum I, ad neutrius partes accessit: Quia ex Francisci Regis sorore Ludovicâ nepos; & propter conjugem Beatricem, Sororem Imperatricis Isabellæ, affinitate tenebatur Carolo: ideò utrumque reverenter coluit, ut ab utroque vicissim comiter haberetur. Spectaculum planè inhumanum est fratris contra fratrem, generi contra Socerum arma stricta intueri; & ex unâ acie in aliam, nepotem contra avum, filium contra patrem lethale ferrum comminari, ut hoc ultimo bello Vindocinenses Principes, Pater propugnavit Mediolanum, filius oppugnavit; ille Galli, hic Cæsaris partes sequebatur. Quod sœpè jam prius accidit inter personas Principes; latetque in hoc non contemnendum Politices arcanum, ut nimirum finito bello Victori, quisunque fuerit, vel Pater per filium, vel filius per patrem faciliùs reconciliari, & uterque indemnis servari possit.

4. Similiter ad neutralitatem movent accepta beneficia, ut de Venetis testatur Bardus, qui ideò non se immiscebant bello inter Carolum Magnum Occidentis, & Nicephorum Orientis Imperatores, quod ingentia beneficia & privilegia olim à Græcis Principibus Respublica accepisset. Hùc refer persuasiones,

siones, bona verba, promissa, munera, quæ in deliberatione neutralitatis multum movere solent, licet aliquando periculoso cum exitu. Calliditas illa Ferdinandi Arragonii (quorundam opinione) fuit, qui per legatos suos multis blanditiis Petrum Albretium Navarrae Regem, ut inter Gallum, & se medias partes sequeretur, importunè sollicitabat, non alio prorsus quàm sibi opportuno fine, videlicet: **Ut ille propter neutralitatem Gallico præsidio destitutum Regnum Navarrae facilius occuparet.** Florentini etiam in bello Pisano utriq; simul Regi Ludovico XII. Galliae, & Ferdinando Arragonio, centum aureorum millia, ut isti à neutris starent, remunciaréntque Pisanorum protectioni, obtulerant. Utrèque acceptâ pecuniâ deseruit miseros, scandalo posteris dato: **Majorem auro vim inesse, quàm honestati rationem.**

5. Intercedunt quoque pacta, conventiones de neutralitate servandâ inter Principes. Ita Anno 1504. inter Casarem Maximilianum primum, & Ludovicum XII. Regem Franciæ, pacto sanciebatur, ne Rex Ruperto Palatino contra Casarem assisteret, sed neutralitati studeret. Idem neutralitatis foedus intercessit inter Carolum V. Franciscum primum, quo cavebatur, ne Rex se bello Germanico ingereret. Et anno 1558. inter præfatum Regem & Philippum Hispanum conventum fuit, ut Dux Sabaudia: inter utrumque Regem, usque dum bellum duraret, neutralis foret.

6. Hanc etiam ego fortissimam neutralitatis causam esse existimo: Si scilicet ipsorum bellantium, (ut dictum est) Principum ultroneâ consensione, medius, vel vicinus Princeps ab illorum bellis abstineat. Quâ quidem ratione olim Lotharingi, Sabaudi, Burgundi, diutinâ pace & tranquillitate gavisi sunt.

Eodem modo, si vicini hostes mutuo inter ipsos metu prohibeantur, ne nobis noceant; neutris citra ullum periculum accedere possimus. Nam in bello Latinorum adversus Bizantinos, etsi inter utrosque medii habitarent Chrysicenses, tamen neutrales se gerebant, idque sine periculo. Quia uterque hostium indigebat eorum operâ, & metuebat, ne illi hostiliter tractati, ad alteros se se adjungerent, plurimumque momenti ad se opprimendos adferrent.

7. Metus quoque neutralitatis servandæ fomentum est, cum utriusque partis sive potentiam veremur, sive felices exitus suspectos habemus. Sic Respublica Florentina, cum duos eximios Principes Carolum Durazum, & Ludovicum Andegavensem pro sceptro Neapolitano decertantes metueret, neutri adherere voluit. Accedunt quoque aliæ multifariæ reflexiones & causæ neutralitatis, quales in compendio sunt: Spes prædæ futuræ, augendique Status. Ast amicitia utriusque ex neutralitate ritè observatâ captanda: vel propostum dissidentes componendi, aut ex negato utriusque subsidio, vel ad pacem colendam, vel ad finiendum bellum cogendi, honestissima neutralitatis causa sunt. Item ne videamur nos inventores esse belli; sive, ut magis amborum belligerantium gratiam promereamur, ut sapienter egit Paulus III. inter Cæsarem & Regem Franciæ, potius promerendum sibi ratus, communis Patris, quàm factiosi Pontificis inglorium nomen. Omnium autem maximè movent: **Dubius eventus Belli**, ut divina pagina testatur in Regum fastis 2. c. 11. *Varius eventus est belli, & nunc hunc, & nunc illum consumit gladius.* Qui igitur in tuto stat, ne moveatur. Bellum enim perrarè cum finem habet, qui sperabatur. Item **Domestica dissidia**: æquum vix est, rebus domi turbatis, foris occupari. **Periculum etiam fidei in fœdera-**

deratis: Quale, proh dolor! in omnibus fermè modernis fœderibus experimur, ubi fœderati multoties, privatâ utilitate ducti, se à fœdere subtraxerunt, & pacem particularem cum hoste communi contraxerunt, desertis, expositisque summo discrimini cœteris fœderatis, ut nuper anno 1679. contigit Regi Daniæ, domui Luneburgicæ, Episcopo Monasteriensi, sed præcipuè Brandenburgico Electori, qui non solum à fœderatis suis derelicti, sed planè à pace Neomagensi exclusi fuerunt. Parùm quippè aberat, (si tantillum constantes in fœdere persticissent, cœteri Aleati, præcipuè verò Hollandus & Hispanus) quin præfatæ Noricæ Potentiæ, jam jam ad incitas redacto Sveco, omnes in Gallum convertissent arma. Tandem **Belli metus:** Nam gravius in Republicâ aut Statu quovis, quàm armorum pondus non est. Opulentissimi quippè Status sentiunt etiam breve Bellum, longo autem planè exhauriuntur. Quò sapiùs Julius Cæsar vicisset, hoc minus experiundos casus opinabatur, nihilque se victoriâ acquisiturum, quantum auferre communis calamitas patriæ posset ingenuè confitebatur. **Bellum** facilè sumitur, ægerrimè desinit.



CAPUT XII.

Commoda Neutralitatis.

1. **C**Ausas neutralitatis enumeravimus, quarum multæ ex Cipsis commodis Principum neutralisantium resultant: nunc residua eorum & immediata commoda, utilitatésque particulares cuiusque Statûs expendamus.

Authoritatem primum commodum ajo: quæ vel inde neutralibus Principibus accedit, quod ex neutralitate suo jure vivant, suis viribus stent, & libertate maximâ potiuntur. Communiter etiam eliguntur in arbitros, quibus permittitur potestas arbitrandi, judicandique aliorum Principum inter se differentium, litigia & jurgia; componendi hostilitates, & faciendi pacem. Adeò interest communi Orbis Reipublicæ neutralitas, ut sine illâ aliquali, omnia perturbarentur. Nam si omnes omnium hostes fuerint, si omnes in partes iverint, quis arbiter dissidiorum futurus est? Cavarus Gallorum Rex armis studiosè abstinuit, mediúmque se gessit, inter Regem Prussiam & Bizantinos. Quamobrem, ait Polybius, appropinquante ad Urbem Cavaro Gallorum Rege, & dirimere illud bellum omni studio conante; Prussias simul & Bizantii, rem omnem controversam in manibus ejus deposuerunt. Nunc & olim solitum erat Christianorum Principum hostilitates, bella & dissidia á summis Pontificibus componi: unde crevit istis authoritas maxima, & illustrium operationum fama, sic equidem colebantur, ut terrestria quædam Numina pacis & quietis publicæ prænantia; Arbitri Regum Regnorumque, & Patres omnium communes. Tales autem illi solummodò sunt, qui neque ad dexteram, nec ad sinistram declinant, non uni magis Principi, aut populo favent, quàm alteri; sed viam mediam gradiuntur expenduntque justitiæ, non suorum Nepotum, aut commodorum causam: qui arbitrantur in Reges & Regna, non ut judices aut Usurpatores, sed ut Patres universales, & arbitri liberè ad hoc electi. Quales fuere olim multi Pontifices, & proximo ævo Innocentius XI mus, & etiamnum tales exoptamus.

2. Alterum est, & nullo modo contemnendum commodum, quod inter digladiantes & mutuò se perdentes Principes, tertius neutralis suum statum, suos subditos, suas vires integras intereà conservet, nullis objectus periculis, sumptibus,

bus, aut belli oneribus. Uti sapientissimus suâ ætate Princeps Cosmus Medices consultò observavit, quotiescúnque Principes Andegavenfes in Regnum Neapolitanum irrumpebant. Nam hoc modo liberam reddidit patriam à Gallorum invasionibus & deprædationibus, citra magnos sumptus, & absque civium dispendio. Idem experti sunt Status illi Imperii, qui in bello Germanico nec pro Cæsare, nec pro fœdere Smalcaldico, sed à neutris stabant: ubi interim Principes & Status partiales, bellique participes tum à Cæsare pulsabantur, tum à semetipsis consumebantur. Rectè Flamminius Attilio Consuli dicebat: Ætolorum calamitates Philippo Regi incrementum allaturas. Et hoc illud neutralitatis maximum emolumentum est, videlicet **Securitas Statûs**. Qui enim ad unam partem accedit, necessariò offendit alteram, ideòque mille periculis subicit suum Statum propter ambiguos bellorum eventus: Ubi è contra Princeps neutralis, quia neminem partium læsit, victorem metuere necesse non habet; imò propter rem adhuc integram, mille remedia & occasiones habebit, sibi conciliandi victorem.

3. Tertium commodum resultat **ex amicitia utriusque**: Nam quamdiù neutralis quispiam est, non faciliè incurrit unius aut alterius odium: quia ipsa neutralitas omnem causam offensæ subtrahit; ideò quilibet ex altercantibus ejus gratiam suspirat, ejus subsidium quærit: atque illud ipsum desiderium Principem neutralem suæ factioni adferendum facit, ut ab utroque respiciatur & comiter habeatur; ne, si ille in unius nolit, etiam in alterius partem vix se abripi sinat. A succumbente nihil metuit, quia ipse miser est: à Victore autem colitur; quia succumbenti non adstitit. Sic cum neutrius partes agit, à neutro habet, quod reformidet.

4. Quartum commodum est **Occasio**, quæ Principibus neutralibus sæpe ex inopinato commodam rei suæ ge-

rendæ & faciendæ advehit opportunitatem. Hic magnam artem reponunt Veneti Patres, qui singulari arte, & plerumque neutralitatis affectato studio externa Principum bella novaverunt Reipublicæ suæ commodis applicare. Totâ olim in duas factiones divisâ Italiâ, soli Veneti neque Alphonsum Neapolitanum, neque Carolum VIII. Franciæ Regem, sequebantur: siquidem hoc modo & periculum declinabant, & sumptibus parcebant, & vires, quod maximum, servabant integras. Colonia Agrippina inter continua finicima bella constituta, tamen quasi uno sæculo illæsa permansit, quia se generis neutrius referebat.

Deindè Principibus potentibus accrescit insensibiliter Imperium, quando velut ex speculâ contemplantur alios Principes, præsertim vicinos inter se invicem collidi. Sic Philippus olim in Macedoniâ, sic recentius in Græciâ crevit Ottomanorum Porta. Julius Cæsar, denuntiante Pompejo, pro hostibus se habiturum, qui Reipublicæ defuissent, ipse medias & neutrius partes, suorum sibi numero & factioni adserere satagebat; æmulosque inde vincebat viriliter, & Quiritum libertatem opprimebat. Viri namque magnarum factionum plerumque ex aliorum mutuis cladibus stabiliunt suum dominatum. Alexander VI. inter Columnensium & Ursinorum continua jurgia medius, utrosque præcipitavit ex vulgato Poëtæ adagio:

Est captu facilis turbatis piscis in undis.

5. Quintò multi ex neutralitate foenerari sciunt, eamque astutè simulant, partim negando, partim promittendo; eo autem fine, ut tandem vel neutralitatem, vel verò ipsa auxilia carius vendant, & plus offerenti reciprocè offerant. In hoc excelluerunt tempore Caroli V. & Francisci I. Helvetiorum pagi. Nam gens hæc popularis, in sua tamen commoda plusquam intenta, neutri partium ex professo studere voluit; ut sic auctâ apud Gallos belli sustinendi necessitate, opem suam carius venditaret. Alii rursus finem bellorum sagaciter observant,

fervant, & diffimulatam aliquantâ neutralitate, tandem vel meliorem, vel feliciorem partem arripiunt. Julius III. licet Hispanorum odio occultè Gallis faveret; tamen exorto inter Francia Regem, & M. Ducem Florentinorum bello, neutralem se ferebat, usque dum utriusque partis exercitus aleam conflictûs subiret. Tunc enim verò ex eventu prælii Victoris fortunam, rejectâ neutralitate, sequebatur.

6. Denique sextò Neutralitas inter externas & æmulas Potentias, ne nimium exorbitent, justum æquilibrium statuit, vel verò ex earum æmulatione suæ fortunæ prospicit. Hoc quippè modo Catharina Medicæ Gallia Regina, Condæo & Gvisio, Colignio, & Cardinali Lotharingo Media, neutram factionem eousque deprimi volebat, ut ipsa in alterius potestate esse cogeretur. Quâ prudentiâ id consecuta est, ut Imperium mutuo æmulatu atque invidiâ permitterent foeminae & externæ, quod totum, Reginae neutralitatis sagacissimo studio, nemo non prudentum tunc attribuebat.



CAPUT XIII.

Incommoda Neutralitatis.

1. **D**ifferunt distântque plurimum ii, qui nec hostes habent, nec socios, ab iis, qui utrarumque partium communes sunt amici, modò id foederibus vel pactis sit comprehensum. Hi profectò tutò mediî sunt: Illi verò experientur malo suo Livianum illud: *Media viâ neque amicos parat, neque inimicos tollit.* Utrumque offendit, qui neutri accedit. Cum Anno 1512. Julius Pontifex, Ferdinandus Arragonius, & Respublica

Vene-

Venetorum ad expellendum Italiâ Ludovicum XII. foedus inter se arctissimum pepigissent, Florentini autem civilibus discordiis impediti, neque fortiori, neque meliori parti, quæ tunc illa trium confœderatorum Papæ, Arragonii, & Venetorum, utpote quietem Italiæ procurantium, existimabatur, se se junxissent; non solum odium Confœderatorum gravissimum incurrerunt ob derelictam causam communem Italiæ, sed etiam Franciæ Regem multa ab ipsis expectantem, offenderunt, sicque omnium inimici facti, Reipublicæ libertatem & nomen amiserunt, reductis in Principatum Medicæis. Ratò magni Principes sine *tertii* periculo vel vincere, vel vinci possunt.

2. Antiochus Græciam à Romanis armatâ manu repetiturus, posteaquam jam Ætolos sibi in foedus junxisset, etiam Achæos per solemnem ablegationem tentavit, ut vel saltem ab Ætolorum exemplo neutralitatem, usque dum cum Romanis confereret, interim amplecterentur, peroravit in rem prolixâ oratione uterque Ablegatus Antiochi & Ætolorum, verum Titus Quinctius Romanorum Ablegatus ejusmodi audiens, extemplo retorfit Antiochi preces, & Ætolorum exemplum, atque pateticis verbis Neutralitatis exitum completens, ita fatus est: Malè crediderunt & Antiochus Ætolis, & Ætoli Regiæ vanitati, quo minus vos decipi debetis, sed expertæ toties, spectatæque Romanorum fidei credere. Nam quod optimum esse dicant: **Non interponi vos bello, nihil tam imò tam alienum rebus vestris est, quippè sine gratiâ, sine dignitate præmium victoris eritis.** Et hanc reverà, quam prædixit Quinctius, luerunt sortem Ætoli: cœso enim à Romanis Antiocho cesserunt in prædam Romanorum ex olim amicis nunc servi facti. Extat in hos Quinctii Legati exprobratio in-
 quientis: **Evenerunt quæ prædixi vobis; nec tantum**

tantum vobis reliqui est, ut aliquam saltem compassionem meruisse videamini, sed ea merito vobis accidisse potius censendum est?

3. Coincidit Aristeni illius Achæi vox: Is Cleomedontem Achæis suadentem, ut in bello Romanos inter & Philippum, quiescerent, armisque abstinere, ita coarguit: Quod Cleomedon tanquam mediam & tutissimam nobis viam consilii ostendebat, ea non media, sed nulla via est; etenim, præterquam, quod aut accipienda aut aspernanda nobis Romana societas est, quid aliud, quam nusquam stabili gratiâ veluti, qui eventum expectaverimus, ut fortunæ applicarem nostrâ consilia, præda Victoris erimus. Hoc factum plerumque manet neutrales. Rarò illis, qui nec huic, nec alteri vicino adharere & adstipulari voluerunt, quies & pax fructuosa relicta, & licet ad neutralitatem experti fuerint; vix tamen unquam finito bello debita gratia est reddita. Sunt profectò Neutrales similes illis, qui domorum medias contignationes inhabitant & ab inferioribus fumo, & à superioribus lotio premuntur. *Medii* Principes pessimo sunt semper loco.

4. Apocalyptica sententiâ est: **Utinam frigidus esses vel calidus! sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.** Neutralitatis tepor nauseam parit vicinis in acie stantibus: præsertim verò cum neutralitas simulatur potius & obregitur, quam reverà servatur, ut hoc ultimo bello experti sunt Austriaci ab aliquibus Italiæ Principibus palàm neutralisantibus, occultè gallisantibus. Plura eloqui veretur calamus: sat est, si manet altâ mente repòstum non tam mihi, quam quibus aliquando vindicare licebit. Interim vero verius loquitur Ecclesiastes.c.3. **Cor ingrediens duas vias non habebit successus,**

2. Reg.
18.


cessus. Id Lotharingæ Duci priore ævo, cum contra pactas cum Ludovico XIII. conditiones simularâ neutralitate Hispanorum partibus occultè studeret; accidit cum ruinâ totius Status. Quousque claudicatis in duas partes O mei Principes? Qui claudicat, titubat; qui titubat, proximus est lapsui, & aliquando præcipitio. Satiùs est adhærere uni, licet inter spem & metum, quàm duorum certum incurrere odium, & ab alterutro inevitabilem expectare vindictam. Victoris prædæ rapinæque se se reservant, qui inter duos belligerantes oriantur. Tales enim utriusque suspecti sunt, quasi occultè uni vel alteri faverent, vel utriusque expectarent excidium. Quiscunque igitur eorum vicerit, tertium velut ex neutralitate suspectum, aut tollet aut premet, aut durioribus conditionibus sibi adjiciet. Cum Romani contra Fidenates & Vejos bellum gererent, aderat Metius Suffetius, Albanorum Princeps, Romanis foederatus. Ubi verò ad prælium ventum, ad colles recessit ille, neutralem se simulans; sed reipsâ pugnae eventum, ut se fortiori deinceps adjiceret, callidè expectavit. Pugnatum utrinque fortiter, oriante Albano, & vincente tandem Romano Tullo. Tunc protinus Romanis accedentem Metium Suffetium, non solum acerbis verbis perstrinxit ille, sed planè equis dilacerandum dedit identidem adversus Metium ingeminans: **Ut paulò antè animum inter Fidenatem, Romanamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis.** Victores nolunt habere suspectos socios, avertantur eos, qui neutri se conjungunt: & si isti ad victos recurrant, asylum hic nullum merentur, quia cum illis commune periculum non subierunt. Imò si Victores conveniant de pace cum victis, excluduntur plerumque ab hac Neutralistæ, & omnium odio, ac aversioni exponuntur. Florentini semel & iteratò hoc luerunt, tam
sub

sub Carolo VIII. Franciæ Rege contra Alphonsum Neapolitanum, quàm in magno illo fœdere Pontificis, Cæsaris, Regum Angliæ & Hispaniæ contra Regem Galliæ: & iterum cum neutrales potius, quàm Venetis contra Ducem Mediolanensem assisterent, se palàm declarassent. Tunc, ut Colletius lib. 6. hist. testatur, à Venetis civitate ejecti, exulem diu vitam cives egerunt. Væ soli, quia cum ceciderit, non habebit levantem se.

5. Alterum est, quod neutrales omnia belli incommoda sufferre, utriusque belligerantium apertam finire Regionem, maria & portus, claustra & passus, repassus & hyberna: magis vi, quàm precariò, vel ex lege neutralitatis, comæatum, pasqua, victualia & arma vel sub prætextu crediti, vel empti, vel alio quovis titulo, subministrare: præsidarium militem in proprium sinum recipere, munimenta propria loco depositi extradere, & centum talia sub specie neutralitatis ab utroque belligerantium, vel etiam pluribus confœderatis, pati debeant; quæ nullatenus paterentur, si uni ex illis se adicerent, & commune discrimen subirent. Magis enim duo vel plures nocent, quàm unus. Præstat aleam subire cum uno amico, quàm duos vel plures sibi consciscere inimicos. Nemo sibi in neutralitate blandiatur, persvadeatque, **se non versari in periculo**; quod licet præsens quibusdam non esse videatur, certò tamen eveniet illis cum dolore, quemadmodum Creditoribus & Usurariis, qui propter modicam usuram periculo exponunt sæpè maximum pecuniarum capitale. Adversatur planè rectæ rationi se subicere periculis in futurum ingentibus, ut in præsentem leviora evitemus. Somniant illi, qui existimant, quod neutrales, cum altercantur aliis, suis rebus maximè prospiciant, vires integras conservent, & pacis fructibus plenè fruantur. Perrarò quidem contingit hoc: quia neutrales vicinis belligerantibus etiam sua damna communiter sentiunt, ut modò Veneti mediis inter Austria-

cos & Gallo-Hispanos cum dolore experiuntur, nec ferre tantum passi fuissent, si uni vel alteri se addixissent. Sed demus tamen: Quam breve autem hoc præsens emolumentum est, in comparationem futurorum periculorum, quæ vel ex pace belligerantium improvise contractâ, vel ex victoriâ unius, Neutralium capiti imminent. Nam aut ambo insurgent in tertium, & actum erit de hoc: aut unus ex illis Victor, ex ipsâ famâ victoriæ in tantum reddetur potens, ut semper tertio neutrali præpollere poterit. Omnis magna potentia, si vicina est, aliorum vicinorum est ruina. Imbecilliores malè habentur à potentioribus. Magni pisces deglutiunt parvos, populare est diverbium: Quid belligerantibus aliis (Livianum est monitum) desides sedemus domi, præsentē pace læti, nec cernentes ex otio illo brevi, multiplex bellum rediturum. Quemadmodum Florentini, ut supra insinuatum, ita etiam Veneti ex consuetâ Reipublicæ neutralitate ingentia damna & everSIONES suorum Statuum perpeSSI sunt. Cum enim vicini & limitanei Principes clarè perspicerent, Venetos ad illorum continua bella gaudere, à neutris stare, occultè tamen se ingerere, plus uni, quàm alteri, favore, & indè non mediocria augmenta captare; unanime igitur foedus (inventore præsertim Ludovico XII. Franciæ Rege) inièrunt Cæsar, Pontifex, Hispanus &c. contra Venetos, & quidem eâ felicitate, ut ex modico intervallo cœsis hinc indè, & in extremam angustiam positis Venetis, in prædam foederatorum cesserint & quidem Maximiliano Cæsari Patavium, Vincenzia, Verona, Forum Julii, Trevisium: Pontifici Faventia, Ariminum, Cernia & Ravenna: Gallo Cremona, Crema, Brixia, Bergamum & totus ager ad Adduam: Hispano Brundisium, Hydruntum, Tranium, Mola, & Monopolis. Hæc poena erat simulatè neutralisantium, & vanè existimantium, præfatos Principes societatem inire nunquam posse, aut debere, qui inter se inimicissimi essent, ac quorum maximè referebat Ve-

netorum Potentiam Neutraleman manere. Etiamnum decipiuntur illi Neutralistæ, qui non credunt posse conjungi hostes contra medios, nec hos vinci posse ab illis licet bello lassatis.



CAPUT XIV.

Quid observandum Principi, cum inter duos alios Principes se neutralem futurum declarat.

1. **N**ulla re magis Principes ac populi periclitantur, quam ubi ab aliis Principibus inter se dissidentibus in subsidium, aut foedus vocati, deliberant; an in partes abeundum? an huic aut alteri jungenda arma? an neutri? unaquæque enim res, quò majoris est utilitatis & amplitudinis, eò citius ad pericula, & defectus suos prolabitur, ideóque suis certis observationibus, conditionibus & pactis communienda est. Nam Medicorum etiam calculo: **Corruptio optimi est pessima.** Quanti in hâc deliberatione decepti! Multos siquidem etiamnum in Europâ ex neutralitate servire, & alios ex partialitate dominari comperimus. Pluribus partialitas exitio, aliis neutralitas gloriæ & emolumento fuit. Quasdam paulo ante jam causas & motiva attigimus; quæ tamen Viro Politico vix sufficient, nisi illa reducat ad speciem, & applicet casibus particularibus. Ipse Princeps debet se aptare ad ea, & ponderare vires suas, ne medius succumbat: ipse præmeditari, quid finito duorum bello accidere possit, ut paratus ad omnia inveniat: ipse examinare omnia incommoda, quæ ex partialitate

vel neutralitate, & an majora hinc vel illinc sibi immineant: ipse dissidentium Principum causas expendere, & ab illorum justitiâ vel injustitiâ deliberationum fines statuere. Manifesto periculo suum statum subjicit, quis quis injustæ causæ patrocinatur. Nam Regnum, ait Ecclesiastes, de gente in gentem transferetur propter injustitias. In dubiâ etiam causâ adhærendum illi, qui præ hostilitate compositionis media offert. Qui enim se judicio submittit, bellum ut injuriam facienti inferre non licet. Ipse denique, & præcipuè præsentem necessitatem (quæ omnia vincit) & ex eâ jacturam sui Statûs, an major hæc ex neutralitate, an ex partialitate sequetur, cognoscere studeat, hancque cynosuram observet, ne in deliberatione fallatur.

2. Posteaquam verò jam statuit Princeps, neutri ex beligerantibus assistere opemque ferre; tum expediet quorundam meminisse. Primò: Quia certissimum fert experientia, quod neutrales offendant omnes, quibus societatem armorum negant; igitur necesse est, ut occultos ipsos hostes, quo modo possunt, deliniant; ad quæque se offerant ex æquitate neutralitatis; ejusque rationes illis explanent, imò manifesto publico toti mundo dijudicandas exhibeant, ut fecit Paulus III. inter Regem Galliæ & M. Ducem Hetruriæ.

3. Secundò summopere caveat, ne deprehendatur vel in minimo substantiam neutralitatis lassisse favendo plus uni, quàm alteri, licet etiam ille favor sit licitus, non immediatus, indirectus & casualis. Exemplo res pateat: Anno 1382. Duo propter Regnum Neapolitanum æmuli, Dux Andegavensis, & Carolus Durazus, Florentinorum ambo expetebant societatem & subsidia; sed utrique utrumque negarunt, & neutralitatem se servaturos, quoad illi dissiderent, polliciti sunt. Interim Carolo occultè fautores fuerant, & hanc quidem

dem nacti occasionem, casualem magis, quam quod reipsâ movere potuisset suspicionem. Erant enim debitores Pontificis, debitumque tunc exsolverunt, quod Pontifex Carolo confestim in opem submisit. Rem hanc supra indignationem tulit Andegavensis, retulitque factum ad Regem, qui illicò omnia eorum bona in suis ditionibus sequestravit, commerciumque suspendit. Eodem modo inculpabantur aliquando Veneti à Carolo M. qui licet neutrales inter hunc & Nicephorum essent, huic tamen plus favebant: ideò à Pipino, Caroli filio, bello vexati adeò fuère, ut ex suis terris se reducere debuerint, in ea, ubi nunc Veneti habitant, lacunosa territoria. Intra neutrales censerì non debent, qui se alterutri parti addicunt, unìque duntaxat parti favent. Neutralitatis enim Jus hoc ipso violatur, ait Thucydides. Hinc

4. Tertiò Neutralis Princeps vel nulli ex dissidentibus, vel non uni præ altero præster operam: vel si quandoque præstanda, præster utrique æqualem. Veneta aliquando Respublica neutralem se habuit inter Carolum V. Occidentis, & Solymannum Orientis Imperatorem: utrique pari officio favere videbatur, utrique suas portas concedebat: sed minùs Christianâ, & simulatâ nimis neutralitate, ut observat Jovius libro 31. hist. sui temporis. Veneti siquidem classem Caroli sub Principe Doriâ invitabant contra Ottomannam in mari Ionio & in portibus Cephalonix commorantem: & ne periret hæc (periisset enimverò non solùm ob angustias locorum, sed etiam ob multò potentiorẽ & validiorẽ classẽ Caroli) certiorabant clam Turcas de adventu & constitutâ aggressionẽ classis Hispanæ) sicque sine morâ se ex Cephalonix & ex Jonio subducentibus Turcis, & irritò conatu approperebantibus eò Hispanis, utrisque illudebant Veneti, seque liberabant ab importunis hospitibus. Jovius rem hanc narrat, sed neutralitatem ejusmodi improbat, præsertim si in bonum vergat communis Christianorum hostis, ut pateticis verbis sensum suum exprimit: Certè cum hæc animo reputamus (verba

(verba sunt Jovii) nostrorum temporum conditionem deslere, Christianorumque Principum insaniam detestari lubet, qui dum inter se bello & odio dissident, ita Ottomannis parant, ut qui toties superari delerique potuerint, non immeritò adauctâ in immensum potentiâ, ad totius Orbis imperium aspirent.

5. Quartò non expedit neutrali Principi, sive uni, sive alteri dissidentium Principum hyberna concedere, aut militem clam vel palàm mittere, aut suis subditis licentiam ad unum vel alterum commigrandi concedere, vel subterfugia præbere dissidentium desertoribus, aut externo militi transitum simulatè, (quasi neutralis resistere nequiret) permittere. Videtur enim fieri hostis noster, qui suscipit hostes nostros: **& paria sunt inimicus esse, & inimici amicus.** Imò ejusmodi neutrales periculosiores sunt, quàm declarati inimici. Henricus III. neutralitatem promiserat Hispano Regi, verbo magis, quàm opere eam observaturus. Nam, cum per se nollet, per Alençonsum fratrem suppetias miserat rebellibus in Belgium, & Antonius Lusitanus subsidia ab eo etiam clam acceperat contra Hispanum. Contraventum hisce erat neutralitati, quam tamen simulabat Henricus, & per Legatos suos callidè excusabat, quos autem non audivit Hispanus, sed paucis reposuit: **Malle se Regem Franciæ habere apertum hostem, quàm simulatum amicum.** Et olim & hoc tempore (procholor & pudor!) **Neutralitas mera simulatio amicitiae est:** Fomentat hæc potius bella, quàm pacem procurat: parat magis præcipitia, quàm avertit: expectat aliorum funera, ut super ea sua erigat trophæa: & communiter omnibus se invisam reddit, quia plerumque perfidiæ partem qualemcunque sibi agnatam habet.

6. Quintò Neutralitatem illam genuinam veramque di-

co, quæ, dum alii dissident, omnibus modis pacem inter dissidentes procurat. Tunc sibi ipsis neutrales consulunt, cum dissidentibus vel inducias svadent, vel varia pacis projecta suggerunt, animos conciliant. &c Hâc enim verò ratione candorem suæ fidei ostendunt, causas neutralitatis suæ comprobant, suspiciones à se avertunt; nec facilè experientur finito bello dissidentium odium, quod aliàs haud rarò neutrales manet. Illis verò maximè incumbit hoc procurandæ pacis & amicitiaë officium, qui aliquo fœdere vel alio vinculo dissidentibus sunt conjuncti. Corona Franciæ vix patitur dissidium, vel longum bellum inter Reformatos & Catholicos Helvetiorum Cantones & Pagos, propter commune interesse & fœdus, quo Franciæ tenentur Occasionem autem plerùmque hujus officii subministrat ipsa lassitudo armorum inter dissidentes, sed sæpè rubor impedit, quia nemo primus vult bellum finire aut pacem petere: igitur neutrales tunc utrique vel inducias, vel armorum finem, vel ipsam pacem svadere satagunt. Henricus VIII. Angliæ Rex multùm colluctabatur cum Scotiæ Regno, pacemque tandem optabat, sed non offerebat; indignum ratus, ut Rex tantus cum pugillo terræ altericaretur. Sed Franciscus I. utriusque Regni amicus interposuit sua officia, & inter colluctantes pacem composuit, licet non diuturnam. Olim Senatus Romanus se interponebat jurgiis Principum, nunc autem Romani Pontifices: qui hoc sibi summæ curæ ducunt, ut Pax in Christianitate continuâ vigeat tantò firmiùs, quantò ferventiùs illam Mundo commendavit Christus: **Pacem do vobis.** Sed nihil minùs, quàm hæc recipitur propter tot fines sinistros & ambitiosos Principum, qui potius cum suâ ignominiâ avent in sua sævire viscera, quàm inter barbaras gentes suam exserere dominandi libidinem, cum aeternâ gloriâ. Quis consumitur jam zelo domûs DEI? Nemo. Colliditur jam tota Europa, sed utinam! ex nostrâ collisione brevi non triumphent

phent Barbari. Deperit, ait Vates ille, gloria Jerusalem; & domus malignantium crevit in centuplum.

7. Sextò: Nemo Principum neutralitati ita confidat, ut non domi suæ in omnem belli eventum paratus inveniatur: nemo existimet, sibi commune non esse cum belligerantibus discrimen, maximè si vicinus illis fuerit neutralis. Cum proximi tui arserit paries, flammam qualemcunque concipies. Bella vicina nunquam se ita continere possunt, quin perstringant proximos. Ideò Taciti monitum, imò arcanum est Principum: Vicinis prælio & bello inter se certantibus, vicina utrique loca valido paratòque subsidio firmanda, ne victoriâ vicinus elatus, nostram partem tollat.

8. Septimò, Principes tam dissidentes quàm neutrales observant eos vicinos sagaciùs, qui suspecti sunt. Anno 1513. Henricus VIII. Angliæ Rex propter Pontificem Julium II, ut ab hoc diverteret arma Franciæ, quæ tunc mirum in modum astuabant contra Pontificem, ruperat cum Ludovico XII. Franciæ Rege; & justâ suspitione ductus sagaciter observavit Jacobum Scotiæ Regem fœderatum Franciæ: cùmque armatum reperisset, aliud non judicavit, quàm arma Scotiæ imminere Angliæ. Ideò per Legatum quæsivit, quò sua arma tenderent? respondit Jacobus: se neutralem esse, Angliæ & Galliæ amicum, & à neutrius parte stare. Institit Legatus, ut scripto ederet promissum, sed renuit Jacobus dicitans: Scripta non constare solùm iis, ad quos scribuntur, sed quibuscunque. Verùm Henricus, verbis Jacobi nequaquam fidens, militem comparavit in tempore sibi contra Scotiam adfuturum, existimans, satius esse prævenire, quàm præveniri. Eventus dedit, ut Jacobus, oblitus promissæ neutralitatis, quamprimùm Henricus Flandriam bello peteret, ipse illicò exercitum suum in Angliam

moverit publicato manifesto se foederatum esse Gallia; commonitôque Henrico, à Bello Flandrico defisteret, nisi Anglicum experiri vellet. Reposuit Henricus, Jacobum promissam neutralitatem infregisse: se bello persequi Galliam propter causam Ecclesiæ, tuerique Pontificem adversus insidias Ludovici: æquumque esse, ut omnes Christiani Principes connerentur in defensionem Vicarii Christi. His tamen minimè commotus Jacobus, sexaginta millibus invadere properans Angliam, in limitibus autem Regni invenit paratos Anglos, cum quibus extemplo conferendum fuit: sed vicit justa causa, & Henrici minor acies dissipavit Scoticam multò majorem insuper perempto Rege Jacobo. Sic Jacobus Rex (scribit Angliæ historicus Polydorus) aut violatæ nuper fidei, aut impietatis maturam habuit pœnam.



CAPUT XV.

De Neutralitate in Bello civili.

1. **I**N Bello civili & domestico difficilis est neutralitas. Solon lege cavet: In casu civilis discordiæ, qui non alterutri parti se se adjunxerit, sed solitarius separatúsque à communi malo civitatis secesserit, is domo, patriâ, fortunisque omnibus careto, exul, extorrisque esto. Inter cives universim diffidentes unus, si quiescat, omnium ferre debet invidiam vel odium.

2. **Q**uamvis autem præfatam Solonis legem in præceptis gerendæ Reipublicæ Plutarchus minimè probat, quia non solum vafania quædam est, cum furentibus furere: quid

enim bellum civile aliud est, quàm furor populi in semetipsum : vel exitiale inter concives armorum diffidium : verùm etiam, quod si inter furentes illos & dissidentes cives quidam inveniatur, qui neutri parti student, habebunt hi semper, quod inter illos dicant, componant, svadeant, dissvadeantque, atque illi ipsi rixosi, ejusmodi neutrales lubentius audient, credent, sequentur. Medii cives melioris sunt notæ: quis enim vir sapiens intestinæ illi crudelitati aut interesse aut præesse velit. Spectaculum certè omnibus horrendum : in ejusmodi civilibus dissidiis, Fratris contra fratrem, generi contra focerum, arma stricta & micantia intueri: & cum unum oppidum, ait Fabricius, unus pagus interdum utrique essent obligata Principi, cernere ex unâ acie stare filium, ex alterâ patrem, hinc nepotem pugnare, indè avum hastam tenere tremulam. Attamen Thucydides multis inductis exemplis comprobatur, quod, qui se medios civium gesserint, ab utrisque oppressi fuerint: aut quia participes seditionis esse recusarunt, aut quia soli superstites manserunt.

3. Alia quoque Solonem causa movit: Nam si boni cives in principio seditionis minùs valeant coërcere furentes, non solùm illis tutum, sed omnibus utilissimum erit, ut se ipsos dividant inter factiones, & aliqui hujus, alii alterius partes causamque suscipiant, eo videlicet animo, ut nemini directè nocere velint, sed magis, ut autoritate (quippè etiam apud improbos quædam ratio virtutis habetur,) quâ quique in suâ factione pollent, dissidentes sensim mitigent, arma sistant, & tandem in ordinem adigant: dum enim quisque suos regit, & adversarios salvos magis cupit, quàm perditos; non facilè in longum provehetur seditio. Hoc pacto sapiùs Romana Respublica à præsentis exitio liberata fuit, ubi nempè Viri primarii se seditionibus studiosè immiscuerunt, ut sub illorum ductu & disciplinâ seditionis remedium planè despera-

desperatum non redderent. Simulant tales iram & cum vāsāniam; ut tanquam adjuutores in illorum conciliabulis plus autoritatis habeant, valeantque flectere turbulentos, non quò isti volunt, sed quò expedit. Aliàs seditione semel irritati, (nisi interventû bonorum mitigentur) ac mutuis injuriis laceſſiti cives vix, ac ne vix quidem prius conquiescunt, quàm parte unâ ab alterâ planè extincta. Solonis præfata non tam lex, quàm arcanum statisticum potiùs est, tollendi de facili seditiones in statibus præsertim poliarchicis.

4. Saluberrimum etiam consilium Magni Viri Lipsii adjungo: **Misce te & junge: sed cum hac lege; ut appareat sapientem & bonum civem initia belli civilis invitum suscipere, extrema non libenter persequi.** Addo: **Atque in ipsâ seditione patriæ periculis cavere.** Interim alibi Lipsius mentem suam clariùs aperuit: Vir bonus neque tutius, neque honestius reperiet quisquam, quàm ab omni contentione abesse. Eligat censeo aliquod vacuum oppidum à bello, ita quidem Lipsius: sed privatum hoc monitum est, quod publicæ causæ nihil prodest: Bonum civem autem oportet in publicis periculis cum suomet periculo consulere salutem patriæ. Excuso tamen illum, hunc laudo: sed inculpo tertium, qui callidè & insidiosè neutralis est: qui expectat cum dilaceratione patriæ, & ex seditione Civium sua privata commoda: qui in turbido planè piscatur sua emolumenta: qui denique finem seditionis operit, ut finito bello propitiorem fortunam sequi sciat. Magis hi hostes sunt patriæ, quàm ipsi seditiosi.


l. 6. Po-
lit. 1. c. 6.

5. Neque tamen abs re fuerit, si tempore belli civilis tertia factio exsurgat, nimirum, non tam neutralantium, quasi in pace & quiete persistere vellent, quàm reverà dissidentium à seditiosis. Tunc illi hos ad ponenda arma cogant,

câ comminatione, quod secûs se cum unâ parte seditioforum unire, conjunctisque viribus contra partem contumacem arma arripere velint. Exemplo res clariùs patebit: Anno 1300. magna & cruenta exorta fuerat seditio Florentiæ inter nobiles & plebem, quæ in tantum jam efflagraverat, ut modus eam sedandi non fuerit, sed propè omnes nobiles & plebei, mutuâ cæde jam jam peribant. Quid igitur? En Lucceni cives foederati aliàs Florentinis validâ suorum manu propiùs urbi accedunt, & utrique factioni tantam animorum acerbicatem, cladémque florentissimæ Reipublicæ exostulantes, comminati sunt: nisi arma ponant, se se uni ex factionibus conjuncturos in necem alterius, ut una duntaxat, cum utraque nequit, salva maneat Reipublicæ pars. Extemplò utrinque arma deposita, & quies Patriæ reducta.

6. Intestina bella sub initium in se gliscunt: cum autem in favillas exandescunt, omnes vicinos corripiunt. Sat sunt duo vicini, qui mutuis proritationibus tantum incendium concitent. Quibus proindè maturè obviandum ab aliis vicinis, præcidenda flamma, subtrahendum seditiois pabulum, jus utrique parti dicendum: quod si accipere nolint, arma stringenda in partem contumacem. Pompejum hic sequamur, non Julium Cæsarem. Ille publicè proclamare jussit: se pro hostibus habiturum eos omnes, qui Reipublicæ assistere nollent. Iste per Preconem edixit: se omnes, qui à neutris starent, in suam protectionem accepturum. Nemo bonus civis in publica patriæ necessitate neutralis esse debet. Ad externa bella nemo obligatur, nisi ex politicâ ratione;

ad intestina avertenda omnis, qui suam
suæque patriæ cupit salutem.



CAPUT XVI.

*Causa motivæ ad partialitatem
ineundam.*

I. **U**Tramque inter extrema virtutis repono, five neutralitatem, five partialitatem, adeoque ad rationis amussim semper benè examinandam. Nam quemadmodum aliquando neutras partes sequi ad prudentiæ virtutem refertur; ita interdum in partes abire, ex justis honestisque causis, magnanimitatis laudem meretur. Nunc insistemus causis motivis ad partialitatem cum uno, vel pluribus, cum vicinis aut externis, contrahendam. Sanè magnum hujus motivum est **Spes reciproci auxilii**. Ideò adstitit Venetis Carolus IV. Imperator contra Veronenses, ut illi sibi vicissim contra Mastinum Scalam assisterent, quod etiam egregiè præstiterunt Veneti. Ob hanc ipsam spem Wilhelmus Saxoniae Dux opem tulit Alberto Marchioni Brandenburgico (quem vulgò dixere Germaniæ Achillem) contra Norimbergenses, quia eandem sibi reddi sperabat contra fratrem suum Electorem. Ut enim quispiam debilis sit viribus, tamen cum in partes abit, securus est de aliquibus amicis, illis nimirum, quibus se adjunxit, licet belli exitum dubius expectet. At verò qui nemini se adjungit, de nullius amicitia confidere potest; & quia viribus deficit, omnem umbram qualiscunque Victoriæ ne illius fiat præda reformidat. Qui adversâ sorte cum amico cadit; erigi potest rebus secundis rursus ab amico, & qui cadit sine amicis, vix spei aliquid residuum habet. Exinde

Machiav.
c. 2. de
Principe

2. Secundum motivum ineundæ partialitatis, nimirum **Defectum virium & potentiæ** cruo. Alia enim
verò

verò potentium, alia imbecillium Principum conditio est. Illis fructuosa aliquando existit neutralitas; his semper ruinæ proxima. Mediū Principes pessimo sunt loco, & infirmiores malè habentur à Potentioribus, ut alibi dictum est. Bodini in hoc salubre monitum: Nullum tuendæ salutis adversus hostium impetus præceptum majus est, **quàm cum potentissimis societatem & amicitiam coire.** Cujus præcepti tanta vis, tanta efficacia est, ut qui neutrarum partium Duces sequatur, victoribus quasi vocissima præda cessurus sit. Arragonio & Gallo medius Rex Navarræ tandem coronam amisit, diviso inter utrumque Regno. Rarè potentes, ut ante dictum est, Principes sine Neutralium aliquo discrimine & incommodo vincere vel vinci possunt. Qui rerum potiuntur, imbecillioribus interpretantur jus, ac definiunt armis. Hæc causâ movit Joachimum Electorem Brandenburgicum, quod in Protestantium bello depositâ neutralitate se partibus Cæsaris addiderit: Quia metuebat ex Victoria Cæsaris suis statibus certum periculum; è contra quamvis Cæsar cladem acciperet, sperabat tamen ab eo præstitæ fideliter operæ mercedem & præmium. Verùm

3. Pro Tertio, non solùm debiles, quibus absolutè necessum est, sed etiam Principes potentes moventur sæpe numero ad partialitatem ex causâ nimirum: **Opprimendæ vel debilitandæ nimix vicini vel vicinorum potentix:** Non enim hoc permittendum est unquam, ait Polybius lib. 2., ut cujusquam Principatus in tantum crescat, ut neque de manifestâ injustitiâ liceat apud eum dubitare. Id in bello Italico observarunt plurimùm Veneti, qui quidem, licet neutrales fuerint, neminem tamen facilè permiserunt prævalere aliis, aut spheram suam excedere. Hinc contra Philippum Mariam Mediolanensium Ducem rebus Italiæ jam nimis incumbentem relicta neutralitate,

lib. 5. de
Rep.

Tarrac.
lib. 18.

litate, partes Florentinorum potius amplexi sunt. Anno 1582. Gallia Rex & Anglia Regina præ neutralitate in partes Principis Antonii de Breganza discesserunt contra Regem Hispaniarum, quod ejus potentiam reformidarent ex accessione Portugallia Regni, quod ille occupaverat. Ejusmodi exempla in Europâ passim nota sunt, & modernum præcipuè omnium fermè Europæ Principum contra Coronam Franciæ propter usurpationem Hispaniæ & Italiæ Regnorum. Quin omnium Statistarum calculo iniitiis potentia vicinæ nimium ac manifestè crescentis, à vicinis maturè occurrendum, & syncretismo resistendum, de quo consulendus præcipuè Thucydides, Polybius, & recenter Boterus.

4. Quartum motivum est, quod partiales armorum, semper amici, neutrales nunquam non odio habeantur. Experienciâ etenim vidimus & videbimus, eos, quos ignavia, vel prava calliditas, ut alienis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissimas poenas solvisse. Sic enim fert natura humana, ut quos nobiscum non esse scimus, contra nos esse suspicemur. Neutrales ab omnibus accipiunt cladem, quia nullius dignantur amicitiam. Qui olim Tragœdiæ spectatores esse voluerunt, tandem catastrophem patiuntur. Hanc in gentilismo luit Metius Suffetius, Albanæ Rex, à Tullo equis dilaceratus. Et in sacro Judicum libro constat de excidio habitatorum in urbe Lais: cujus causam **Neutralitatem** fuisse ipse planè facer textus innuit: Veneruntque in Lais, & percusserunt eos in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt; nullo penitus ferente præsidium, eò quod cum nullo hominum haberent quidquam societatis, ac negotii. E contrâ, qui partialitati student, eorum saltem amorem & amicitiam, atque in necessitate præsidium, cum quibus periculorum & beneficio-

ficiorum æquâ communione focii sunt, certò habebunt. Anno 1575. Joannes Austriacus, cum Genuenses bello peteret, monuit Hetruriæ Ducem, ne se bello immisceret, sed à neutris staret. Sed non obsecundante Duce responsi loco accepit: se amicum esse Reipublicæ, & commune periculum cum illis habere, donec à Gallis & Hispanis eam circumfusam videret.

5. Alii pro quinto magnarum rerum spe atque promissis trahuntur in partes. Anno 1316. accessit Rex Bohemiæ, Ludovico Bavaro contra Imperii æmulum Fridericum Austriacum pugnanti, in subsidii mercedem promisso Marchionatu Brandenburgico, qui tunc temporis ad Imperium devolvebatur ex morte Waldemari sine hærede demortui. Magnis itidem pollicitationibus Ferdinandus Arragonius Alexandri VI. opem & auxilia meruit contra Carolum VIII. armis insistentem Regno Neapolitano. Henricus IV. Angliæ Rex, partes primùm Burgundi secutus contra Aurelianensem, ubi verò ab hoc Aquitaniam in munus nanciscebatur, deseruit illicò Burgundum; nedum indè revocato planè subsidiario milite. Undè multis admiratio succreverat, qualiter tam repentinè facta sit mutatio, ac sub temporis tantilli spatio contingeret Anglos velut duo contraria confovere. Nulla re magis trahuntur Principes in partes, quàm ex oblato commodo. Nam (si verè Polybius libro 2.) Reges neminem habent inimicum, vel amicum, sed ex Status sui emolumento amicitias inimicitiasque metiuntur, ac mutant.

6. Sextò Respectus supremæ Majestatis quamplurimos reddit partiales: æquissimum quippè est, ut sicut eos, sub quorum potestate degimus, reverenter colimus, ita etiam in obversante necessitate illis fideliter assistamus. De primo Wirtembergense Duce scribit Author ejus vitæ: quod in publicis Imperii periculis non adjunxerit se ullis factionibus, sed hæc duo præcipua Principis officia esse reba-

tur. Primò adungere se ad Imperatorem, & toti corpori magis quàm singulis membris opem ferre. Deindè consulere suis subditis. Mauritius Dux Saxoniae licet confœderatus aliis Principibus, qui Ferdinando Cæsari resistebant, nunquam tamen adduci poterat, ut contra Cæsarem quidpiam egisset, vel inimicis Cæsaris opem tulisset, dicitans: **In fœderibus exceptum esse supremum Superiorem.** Ita etiam primis Regni sui Annis declaravit se Henricus VIII. Angliæ Rex pro summo Vicario Christi Julio II. contra Ludovicum XII. Franciæ Regem. Imperantibus rerum iudicium cœlitùs datum subditis obsequii gloria relicta est. Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tamquam præsentis, ait **Ve-** lib. 1. c. 5.
getius, DEO, fidelis est præstanda devotio, & impendendus pervigil famulatus. DEO enim vel privatus, vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui DEO regnat Authore. Si hoc ritè expendissent prioribus sæculis Status & Ordines Imperii magis adstitissent suo Cæsari contra Franciæ insidias & Sveciæ prætextus, nec sivissent tantoperè mutilari Imperium, & in sua viscera moveri externa arma.

7. Accedunt partialitati etiam aliæ multæ moventes causæ: quales sunt **Fœdera & Pacta gentilitia,** quibus Viri Principes vocantur in communionem armorum ad securitatem mutuam tuendam, præstandúmque in necessitate reciprocum auxilium. **Obligatio ex feudo & Clientelâ &c.** quæ neutralitatem planè excludunt. Proprii Status conservatio, maximum partialitatis fundamentum: metus & odium adversæ partis: Spes præmiorum ex partialitate: ob præstita priùs beneficia gratitudo: matrimonia, affinitates, preces, commerciorum usus: Sed maximè **Vicinia:** Belli siquidem pericula cum vicinis communia nobis sunt, & pro certo habendum, si nos vicinos negligimus, extemplò postquam illi conflagraverint, ad nos incendium

dium trajecturum. Slavi contra Boleslaum Bohemiae Regem, ad Henricum II. Imperatorem confugiebant, ne planè perderentur inter medios hostes, nam in quamcunque partem inclinasset fortuna melior, futuri erant praeda Victoribus.

Integritas & justitia Belli: Quid enim Principibus magis proprium esse debet, quàm justitiæ partes tueri. Hoc uno Reges sunt olim sine creati, dicere Jus populis, injustaque tollere facta. Multa his similia sunt, quæ Principum voluntates sæpè ex justâ causâ, sæpiùs ex prætextu, sæpiùs ex æmulatione & dominandi libidine in partes flectunt.

Hefiodus,



CAPUT XVII.

De necessariâ Partialitate.

1. **I**Nter potentes & validos falsò tibi quietem somnias (ait Tacitus de moribus Germanorum) ubi manu agitur. Modestia & probitas nomina superioris sunt; & superbiam præpotentium frustrâ sæpè per modestiam & obsequium effugas. Rarò illis, qui inter potentes vicinos mediù neutri adherent, quies & pax longa est: Ideò multi Politici inter rationes Status reponunt Livianum illud arcanum: **Unum** ex vicinis aut socium habere, aut hostem necesse est. Vix sine tertii periculo inter belligerantes sequitur sive victoria, sive clades. Tertium Consilium vix ullum est, & non mirum, si optatos non pariat effectus; quandoquidem ipsi Numini displicet: usque quò claudicatis in duas partes? si Dominus est DEUS? sequimini illum: si autem Baal? sequi-

sequimini illum. Hinc propior partialitatis causa est, quæ ex necessitate obtingit. Ubi necessitas armorum hostilium incumbit, actum est de neutralitate deliberare. Suae enim tutelæ causâ necesse est in partes abire; & ex duobus malis partialitatem potius eligere, quam sui Status ruinam expectare. Anno 1199. ferè triceps fuit Aquila Romana, quia præter Orientis unum, duos Imperatores Occidentis toleravit, Philippum Sveviæ, & Ottonem Saxoniae Ducem; inter hos cruentum planè gerebatur bellum divisio in duas factiones Imperio: Nam Ottonem Anglus, Philippum Gallus sustentabat: solus Rex Bohemiæ Premislaus à neutris stabat, utriusque competentium amicitiam affectans. Quando verò Lusatiam provinciam suam à Saxonico milite deprædatam, expilatamque inaudisset, graviter ex postulavit cum Ottone: se neutralem esse, neque inde meruisse tam hostiliter suas terras ab amico tractari, dictitans. Ad quæ responsi locò accepit: Ottoni nimis intempestivam videri querelam, quasi Premislaus morum militarium esset ignarus, qui aliter vivere, quàm raptò vix sciant: & postquàm in Saxoniam rebus necessariis destituantur, quid novi, si illas apud vicinos rerum abundantiores quærant. Quo responso cum adigi se vidisset Bohemus, neglectâ neutralitate, ad partes Philippi accessit, remisso insuper ad Ottonem nuntio: suum quoque militem scire ex rapinis & spoliis vivere. Hâc, me castor, ratione multi ad partialitatem, sive præstanda auxilia, non tam tracti, quàm coacti sunt. Antiochus & Annibal, occupatâ milite Thessaliâ, totam provinciam in foedus contra Romanos compulerunt. In bello Neapolitano Turcarum Imperator Venetæ Republicæ arma comminatus est, nisi cum cæteris Italiæ Principibus se se jungeret contra Carolum VIII. Anno 1077. Principes Saxoniae occupârunt bona Abbatum Fuldenfis & Hirschfeldensis, quæ in Thuringiâ possidebant, eò quod à neutris stabant in bello contra Henricum IV. Et nuper pro-

pter foedus Hollandicum, exorto inter Leopoldum Caesarem & Ludovicum XIV. Regem Franciae bello; quos & quantos Imperii Status per invasiones Provinciarum hostiles cogi vidimus ex neutralitate ad partialitatem, & rursus ex hac ad illam. Ejusmodi ineluctabiles casus reddunt minus injustam partialitatem, quia necessitatis magnitudo omnium optima rerum excusatio est. Praestat aliquando cum socio cadere, quam soli Victoris arbitrio permitti. Alterutri conjungere se cogitur, qui medios inter hostes constitutus prudenter suspicatur, se illorum direptioni expositum esse, & Victori tandem in praedam cessurum. Nemo diu tutus est periculo proximus.



CAPUT XVIII.

De commodis & incommodis Partialitatis.

I. **S**tateram tibi appendo, mi Princeps: in cujus una lance Partialitatis commoda, in altera incommoda visuntur: tibi jam competit electio: & ne fallaris, multum expende Aristotelis arcanum. Non omne, quod ratione tractatur, sub electionem cadit: sed id demum, quod rerum agendarum extremum est. Necessitas saepe adigit, ut malum eligere debeamus, dummodo minus sit. Licet ratio non suadeat, ut in periculum nos committamus; interim saepe se committere necesse est, ut majus evitemus. Magnum commodum est, extra periculum esse in praesenti, sed quid juvat, si futura pericula, quae imminet, illis duplo graviora sint?

lib. de
motu.

2. Primum igitur commodum Partialitatis est, quod si uni adhaereas, hujus tantummodò te tangent incommoda, non alterius, Neutrales verò utriusque sufferre debent inimicitiam, odium, & insolentiam militarem.

Secundò: Satiùs est, unius sequi fortunam sive propitiam sive adversam, quàm inter utrumque vicinum periclitari continuo: meliùs unius, quàm duorum, invidiam pati. Neutralem neuter amat, uterque odit. Magis juvat socium habuisse lapsùs, quàm se solo precipitari. Qui cum socio cadit, à socio rursus erigi potest; qui per se labitur, an fiduciam habebit in iis, quorum societatem sprevit? generosus est sperare victoriam cum sui periculo, quàm sine spe victoriae, certò tamen aliquando ruinari. Neutralis nunquàm potest sperare victoriam, sed semper metuere perditionem. Quia si vicini ex bello vel pacem contrahant, vel unus vincat, alterque succumbat? Utroque modo neutralibus imminet ruina. Nam si ex inopinato & nondum proelio commisso, pacem contrahant? vix & ne vix quidem in eâ neutrales comprehendi sinent, vel gravissimis duntaxat conditionibus onerabunt, ut experti sunt priore aëvo Lotharingus, & Dux Curlandiæ, aliique. Si verò unus ex belligerantibus vincat, alterque cladem patiatur: tunc præda Victoris erunt, neutrales, (ut experientia constat, & passim historici meminere) Victo autem reddentur abominabile objectum odii, quia si neutrales victo tulissent suppetias, victus non fuisset. E contra si ille, cui fideliter adstitum fuit, etiam tandem vincatur, vel vincat, semper melior erit conditio partialium, quàm neutralium, minusque illi subibunt periculum, neque tantoperè Victoris potentiam metuendi, neque de Victi imbecillitate desperandi causam habebunt. Victor enim qualitercunque potens, memoriam habebit beneficii & assistentiæ præstitæ, minusque suos partiales offendet, quàm neutrales. Victus autem lapidem omnem movebit, ut sibi & suis partialibus provideat de bonis conditionibus Pacis: aut vires redintegret, & tentabit re-

cuperare amissam ex clade gloriam. Sæpè enim victos victorum victores vidimus, præsertim adstipulantibus confœderatis, & partialibus sociis. Adeò verum est, semper quasi meliorem conditionem esse partialium quàm neutralium, nisi neutrales præpotentes sint.

3. Accedit: quod assistentes aliis, sæpiùs suas inde ditiones, & pomœria dilatent, vel aliorum conquirant, quod sæcùs vix contingeret. Hoc pacto Coronæ Franciæ sub Ludovico XII. Comitatus Rossilionensis innexus. Cum enim Rex Arragoniæ contra Barcelлонenses sibi rebelles subsidia & militem à Ludovico peteret, oblatâ in pignus provinciâ Rossilionensi; occasionem, sibi & Franciæ, hâc limitaneâ provinciâ contra Hispanorum potentiam, providendi, ultrò Gallus arripuit, & eò rerum successû, ut eam planè deinceps per contractum Bajonnæ, cum Arragoniæ & Castiliæ Regibus celebratum, ditionem Galliæ fecerit. Potentes Reges rarò frustra imbecillioribus assistunt. Carò veniunt illorum auxilia: quippè ex suâ propriâ utilitate commodòque dispensant amicitias, & contrahunt inimicitias.

4. Ad alteram capitis partem jam digredior, & incommoda etiam partialitatis refero.

Partialis qui assistit uni contra plures, vel unum: hoc ipso, vel hunc vel plures sibi hostes consciscit. Quâ quidem ratione Lotharingi, Sabaudi, Burgundi liberâ pace ac tranquillitate gaudebant, quamdiù bellis finitimarum potentiarum se non implicuissent. At cum primùm Dux Sabaudiæ Carolus desertâ, quam prius colebat, neutralitate, Carolo V. Cæsari contra Franciscum I. Franciæ Regem adstitisset, illicò in necem suam sibi contraxit odium Francisci, exutus omnibus quasi suis ditionibus. Sic Rollo Normannus indignabatur, Frisios nullâ inju-

riâ nullo facto suo laceffitos se oppugnatum veniffe in terrâ alienâ ; propterea magno exercitu obruit Friffiam , eamque depopulatus eft. Idem à Saxoniz Ducibus evenit Epifcopis Bremeni & Osnabrugeni : Venetis à Maximiliano primo : Clementi VII. à Cafareo exercitu : Papæ Alexandro VI. à Carolo VIII. Franciæ Rege ; Duci Wirtembergeni , Mauritio Saxoniz , & Philippo Pomeraniæ Principibus à Carolo V. & Florentinis , Alphonfo Hispaniæ Regi opem ferentibus adverfus prædictum Carolum VIII. Is enim poftquam armatus in Italiam descendiffet , primos corripuit Florentinos indicta contributione 120000. Aureorum , & munimenta aliquot cum certis conditionibus extorfir. Adcò , qui aliena tuetur , plerumque amittit propria , & aperto periculo præ quiete hoftilitatem quarit.

5. Alterum eft , quod Principes partiales aliorum Principum arma in fe convertant. Quia fe fufpectos reddunt , quod non offendi ab aliis Principibus , non tamen vereantur ipfo facto fe hoftes declarare , cum hoftribus adhæreant nullâ ratione illis obftricti. Et reverà , Princeps , qui ad affiftendum non tenetur , & fe ultrò tamen alienis diffidiis immifcet , meritò fufpectus habetur ab aliis Principibus ; nec jure conqueri potefr , fi belli onus in eum devolvatur. Sic Angli & Galli femper fufpectum habuère Carolum Burgundum , quia eorum bellis fe plerumque immifcebat. Anno 1438. , cum Rex Poloniæ Thaboriticis in Bohemiâ contra Albertum Cafarem affifteret , neque monitus à Germaniæ Principibus arma poneret : amiffio omni exercitu vix nuntium cladis in Poloniam reducem habuit. Nunquam judicatum fuit fapienter fieri , fua exponere magno periculo , ob tutelam aliorum fufceptam. Ordo quippè naturæ non exigit fibimetipfi iniquum effe propter alterius emolumentum. Et Princeps , qui fecum habet , quod agat ; in fapienter aliorum caufam fufcipit ,

ubi suam periculo subjicit, séque involvit bellis non necessariis, eventu planè dubio.

6. Tertium incommodum est, quod partiales Principes se plerumque pluribus bellis implicent, nec facilis sit inde regressus. Quia Principes hoc avo, plerumque confœderari, sibi que plures associare solent; ideò finito etiam unius bello, manet semper apud alios altâ mente reposta injuria, licet pridem illata. Neque facilè Principes obliterari sinunt antiquas hostilitates: prima occasio renovat confestim veterimum odium. Ne dicam quod ejusmodi partialitates, & fœdera universalia offensiva & defensiva præjudicio maximo sunt paci publicæ; quia fomentant bella, excitant ultiones, augent diffidia. Quotusquisque enim nunquam bellum moveret, auderétque movere, nisi sciret sibi sociari aliorum arma, darique subsidia adversus æmulam potentiam.

En tibi, mi Princeps, commoda & incommoda partialitatis, & neutralitatis: Sed hæsitare te video, quia nescis, quam partem sequaris? Et reverà difficilis hîc electio est. Nam sive neutralitas, sive partialitas, ex hoc vel illo fine suscepta, semper negotium in Republicâ magni momenti est. Ideò suam quisque fortunam in consilio habeat, cum de alienâ deliberat. Neutralitas magis libera est, quàm partialitas. Neutralitatem eligimus, ad partialitatem plerumque cogimur.





CAPUT XIX.

Quid expendendum Principi, cum is inter duos belligerantes, in belli Societatem requisitus, deliberat?

I. **M**ultum, mecastor, habet; quod in hac deliberatione expendat Princeps. Nam si jacta alea, si suscepta partialitas, si itum in partes sit, actum erit de regressu: standum in discrimine: nec violanda fides data. Non enim datur amplius mutare vela, & tutiores aut potentiores partes sequi: ut aliquando gestiebat Alexander VI., qui cum admiratione mundi, natus Hispanus, contra Regem Hispaniæ Ferdinandum, ad commodum Franciæ Ludovico XII. adstitit: interim ex successu rerum, meliores & utiliores Hispaniæ partes dimittens, turpiter à fœdere Gallico resiliit. Joannes Rex Navaræ, medius inter Franciæ & Hispaniæ Reges, hujus magis, quàm illius partes inierat, eâ videlicet de causâ, quod metueret sibi de Regno, ne illud Ludovicus XII. pro Gastone (suo nimirum nepote) ex jure proximitatis, armis repeteret. Demortuo autem Gastone æmulo Regni, cum Joannes Hispanum confestim desereret, Franciæ jam sine metu æmuli ultrò obsequens; in eam commovit Ferdinandum Regem Hispaniæ animi indignationem, ut totam belli molem sub Ducè Albano in fœdisfragum Regem moverit, cumque cum uxore & prole è Regno expulerit. Adeò paràm noverat, nisi proprio exitio postea edoctus Joannes, inter duos Reges potentissimos, se medium, sequestrémque præstare: aut si non posset utrumque, alterum ex illis sibi saltem demereri.

2. Ideò saluberrimum est suspendere in ejusmodi requisitionibus responsa; nequaquam præcipitare consilia; bona potius verba, quàm extemplò resolutiones præstare. Lucrum aliquando temporis, lucrum est totius causæ. Ita denique in hæc deliberatione agendum, ut supra, quàm par est, invitari, & quasi ad assumendam partialitatem cogi videamur. Leo X. cunctatione suâ omnia Ludovici XII. consilia Mediolanum armis reperere tentanti, pessumdedit. Tandiu enim ille hunc lætavit bonis verbis (ope enim ipsius, paulò antè Pontificatum obtinuerat) ut interim contractâ cum Cæsare, Anglo & Hispano armorum societate, Regem Ludovicum planè ab omni invasione Italiae, aut recuperatione Mediolani absterrerit. Pari cunctatione Persarum Sophi illudit Venetis Anno 1570., cujus isti auxilium contra Selimum Turcarum Imperatorem Regnum Cyprî invadentem imploraverant. Ille enim integrum biennium deliberationi præfixit, & tamdiu cunctatus est, donec bellum finiret Selimus cum clade Venetorum. Multum deliberandum est, antequam nos in alienum discrimen conjiciamus. Non sufficiunt horæ & dies, sed anni. Nec criminationibus, nec laudibus eorum, qui nos ad bella secum & suâ causâ suscipienda incitare volunt, facilè aut temerè credendum. Præcipuè verò sapientes Principes nequaquam solent ejusmodi bellorum externas societates priùs inire, quàm consultò cum suis statibus, & pace domi atque cum vicinis plenè constitutâ. Cum nullum præsidium firmiter sit Principibus, subditorum benevolentiam, neque error crassior, quàm alieni questu, sua amittere.

3. Alterum est, justitiam belli socialis expendere. Illâ quippè deficiente, deficit integritas causæ, nec triumphabit hæc iniqua, sed turpiter concidet. Tantundem est bello injusto implicari, quàm bellum injustum suscipere. Subditis obsequendum est suo Imperanti, nec inquirendæ, nec examinandæ causæ belli: non ita Principibus absolutis, quibus liberum

rum est à neutris stare potius, quàm iniquitatem publicam committere. Societas contracta ad facinora nulla planè est: Et magis peccat ille, qui opem fert peccatis, quàm ille, qui principaliter peccat.

4. Tertiò an omnes alii vicini in partes, hanc vel illam, iverint; sibi que soli tunc à neutris standum fore? diligenter consideret. Non enim semper prudentiæ est, nolle cum aliis periclitari, ubi extra teli jactum & periculum, tutus in aliorum discrimine, atque etiam post victoriam esse potes: alioqui, ait Thucydides, aliis periclitantibus quiescere nobis non expedit.

5. Quartò, utile etiam hoc est, duobus assistentiam petentibus mediatorem se priùs offerre, pacis condiciones proponere, obices ultrò citròque componere, imò aliquando comminari, se in eam partem iturum, quæ præ bello pacem desideraret, aut offerret. Aliundè enim, qui se iudicio offert, bellum, ut injuriam facienti inferre non licet. Hoc propriè potentibus Principibus convenit contra imbecilliores & sibi vicinos, non autem his, contra illos. Cum Respublica Genuensis in duas factiones, veterum scilicet & recentiorum Nobilium non absque magno Statùs discrimine scinderetur, jamque civile & intestinum bellum utrinque excandesceret; motus optimæ Reipublicæ præsentibus, futurisque malis & damnis, Rex Hispanianum ultrò interposuit sua officia, & per Legatum suum seditiosis civibus indicavit: **Se ab eorum partibus staturum, quos æquas condiciones paratos accipere, & à turbarum consiliis abhorre perciperet.** Similiter Angliæ Rex Henricus VIII. Caroli V. & Francisci Galliæ Regis mentes turbatas vel placabat, vel reprimebat: Proptereà quod si ambos in officio continere non posset, sibi in alterius partem eundem palàm declarabat. Ita etiam Rex Castiliæ compescuit Venetos, qui Ferrariam suo Domino restituere differebant; imò malebant magis, in Italiæ excidium Turcarum arma vocare, quàm pacis leges subscribere. Ideò Rex declaravit pa-

lâm Venetos, suos & omnium Italiae Principum hostes, nisi desisterent à communis inimici foedere. Propterea nunquam assistendum est ita uni parti, ut exindè alia pars in desperationem cum omnium periculo conjiciatur. Unius exorbitatio majus interdum incendium concitat, quàm ut ab aliis omnibus extingvi valeat. Cujus appositum exemplum est Ludovicus Sforzia Mediolanensis Dux. Is cum Papam, Regem Franciæ, & Venetos contra se foederari ceterò cognosceret, illicò ad Bajazetem Turcarum Sultanum recurrit; opemque tantam ab illo impetravit, ut immisso in ditiones Venetorum exercitu Turcico usque Trevisium penetraverit, relictis post se undequaque barbaræ crudelitatis vestigiis, occupato insuper Naupacto, Dutrachio, aliisque munimentis.

6. Quintò, considerandæ quoque vires sunt propriæ, an majores illis, qui opem quærunt, an minores? si majores? tunc tunc persistit in neutralitate. Si minores? minus inter duo pericula eligat: nimirum vel ambos aliquando habere inimicos, vel cum uno periclitari. Quod si ambo apud te opem & armorum societatem quærant, vel etiam ambo tuam neutralitatem ambient? Tunc primo casu vel fortiori, vel commodiori parti adhaerendû, nisi utrumq; viribus exsuperes, quod neutralitatem suadet, vel alia ratio dilatandi pomœria obveniat. Secundo casu promittenda quidem est neutralitas, sed eo quidem pacto, ut planè utrinque indemnem tuum Statum aut provinciam habeant, & neuter occasionem neutrali præbeat alterutrius parti accedendi. Hac ratione Carolo V. & Francisco primo responderunt Helvetii (cum hos illi ex antiquo foedere tam cum Imperio, quàm cum Franciâ, contracto neutrales esse volebant) se temerè nihil decreturos, memoresque officii sui utriusque partis jura foederum ac amicitiae servaturos, donec eorum arma Republicæ Helvetiæ neque periculosa neque incommoda fore summi ipsorum Magistratus judicarent. Ejusmodi conciliant auctoritatem & reverentiam, Neutralibus, metuique se faciunt apud belligerantes,

tantes, ne ex eorum accessu huc vel illuc præponderet statera belli. Quod si verò ex duobus Principibus bellum instruentibus unus tuam societatem, alter verò à te neutralitatem expressè exigit; certum habeto, posteriorem mala tibi meditari, priorem autem amicum tuum esse: quapropter cæteris paribus, sine morâ junge te, tua auxilia petenti, quemadmodum se providentiissimè Anno 1575. Genuensibus conjunxit Florentiæ Dux, ubi in illorum dissidio pro Hispano, Joannes Austriacus solus, velut ex munere, arbitrari gestiebat, & à neutris stare volebat Florentinum: qui autem devictis Genuensibus, nec hospitem, neque vicinum talem ferendum; sed potius præsidium & subsidium Genuensibus dandum, ne ab Austriaco utraque dissidentium civium pars opprimeretur, existimabat.

7. Placet Sanfovini observatio: Quando de neutralitate vel partialitate incundâ deliberans Princeps, valdè dubitat, nec se resolvere valet, in quam partem iturus sit; signum est, rem esse ingentis difficultatis, & difficillimæ deliberationis. Tunc neutri assistentiam promittere debet deliberans, sed in antea facta respicere, & antiquum morem, veteresque deliberationes sequi: præcipuè autem, si istæ nullum olim intulerunt damnum vel periculum. Tutius est tritis vestigiis insistere, quàm novum callem quarere.

8. Sextò: Neque desunt causæ, sive speciosæ, sive reales, excusantes Principem deliberantem, ne faciliè in partes desciscat, sed vel potius cunctetur, vel suspendat longis deliberationibus, obicibus, prætensionibus, animos eorum, quorum partes sequi, aut non lubet, aut non expedit. Erunt autem causæ hæ: Primò, metus ab externis hostibus, vel vicinis: domestica dissidia, aut aliud bellum, cui quispiam implicitus est. Ejusmodi causæ totum rei Statum mutant, ut etiam à fœdere, vel promissâ partialitate non solum resilire liceat, sed etiam, si velit, non possit alias partes sequi. Quis prudens propriam domum conflagrandam dabit, ut in alienâ ignem

ignem extinguat. Secundò: Præcipitancia belli, ut conandum potius sit dissidentes prius componere, quàm ambiguae armorum forti, ambos, seque cum illis dedere. Cum omnibus aliis in rebus, tum verò armis sumendis, bellòque suscipiendo temeritas & festinatio fugienda. Tertiò, representatio injustæ causæ: quo argumento (licet irito) Carolus V. Regem Galliaë à Smalcaldico fœdere abstrahere, & ne adversus Religionem Apostolicam Romanam daret auxilia protestantibus Principibus, persvadere conatus est. Quartò: Uniones & fœdera cum parte adversâ: non enim cum bonâ fide recedere licet à prioribus fœderatis, horúmque hostibus se sociare. Ita Silesii Principes (licet pessimè) respondebant Ferdinando Cæsari, cum iste eorum auxilium adversus Bohemos imploraret: **Se perpetuo fœdere ab ipsâ gentis origine innexos esse Bohemis.** Ita Comes Hannoniaë Maximiliano I., cum iste Philippum VI. Valesium, Regem Franciaë, in ipso Regno per Eduardum Regem Angliæ persequeretur, reposuit: se fœdere obnoxium esse Cæsari in Germaniâ & limitibus Imperii, non extrâ, & in Regno Galliaë. Quintò: Vasallagium, quod debetur uni, præ altero Domino: nam Vasallus in partes illius transire nequit, qui hostis est sui Domini, non obstante quâcunque antiquiore confœderatione. Si verò utriusque est Vasallus, ei adhaerendum ratio suadet, qui justam habet causam: vel si hanc non penetrat, tunc illi, qui prius assistentiam petiit: vel si uterque petière: eò se dedat, ubi prius aggressio & offensio facta: **Semper enim persona, quæ principaliter offenditur, attendi debet.** Regulariter autem, sub quo feudum vetustius, vel dignius est. Sextò: Præfigenda conditio, ne cogamur unius partes sequi, nisi ille à suo adversario palàm in suâ ditione hostiliter infestetur.

Quod

Quod prudenter præstiterunt Veneti Patres, quorum suppetias, societatemque Paulus IV. contra Philippum II. Hispaniarum Regem sollicitavit: at illi responderunt Apostolico Nuntio: Sibi nunquam defuturam devotionem assistendi summo Pontifici, quoties Philippus Rex sive invaderet, sive usurpabit Ecclesiæ bona; minimè verò, si sedes Apostolica invaserit Hispanum. Quod ipsum Henricus IV. Angliæ Rex, Burgundo auxilia petenti adversus Aurelianensem, cujus ille Patrem occidi jussit, respondit. Septimò: Necessitas excipienda, nisi se sola excipiat. Cum ipsi ab hoste obruimur, pollicita auxilia socio nequaquam debemus, imò querere cogimur apud eum, cujus causâ impetitur. Frustraneum erat Pontifici Paulo IV. à Rege Franciæ contra Hispaniam expectare subsidia & præsidia, qui ad S. Quintinum campo castrisque exutus erat ab Hispano Rege. Papa extunc epilogum belli solus agere debuit, qui prius nullo modo ad pacem cum Catholico Rege incundam disponi poterat.



CAPUT XX.

Cui assistendum?

1. **H**Actenus deliberatum est de assistentiâ, an assistendum? Nunc jacienda alea venit, & concludendum, cujus partes sequi oportet, & expedit. Apud aliquos enim activè & passivè plus existimationis & nominis, quàm rei, & auxilii est. Rem paucis (quia pleraque hinc inde insinuata sunt) aperio.

2. Illius sectare arma, cujus fortunam sectari debes. Quem necessitas ad partialitatem adstringit, tutior tamen est in hac, ut alibi dictum, quàm in neutralitate vel invidia, vel futuro odio obnoxia.

3. Imbecilles sequi frustraneum est, Livii prudentissimo effato: Campani magis nomen in auxilium Sidicinorum, quam vires ad praesidium attulerunt. Plusquam vafania est velle cadere cum imbecilli, ubi vel neutralitati studere, vel fortiori jungi licet. Ideò multi cautionem petunt de damno in eventum cladis acceptae, refarciendo. Quod Anno 1432. expressè pacti sunt Principes aliqui Imperii, qui contra Bohemos Friderico II. Saxoniae Electori suppetias tulere. Nunquam ita promittenda auxilia, ut sibimet ipsis indè non caveamus. Multi cum assistentiam petunt, in necessitate constituti Principes, ingentia quaque pollicentur. Verùm, ut verba aliquando fidem perficiant, abs re non est; quaedam securitatis locò, vel per instrumenta, vel per extraditionem, vel per depositum petere aut accipere. Non semper praestant Principes, si plurima spondeant. Necessitas adigit saepenumero ad promissa minus convenientia, ideòque vix habitura effectum.

4. Universalis deindè in suscipiendâ partialitate cautela, imò arcanum Status est: Cum in partes abis, diligenter inquire, num, quos sequi oportet, pares potentiâ, num dispares sint? pares si fuerint, æquum est, meliores sequi. Si dispares, potentiori adhære, nisi manifesta injustitia causae cohæreat, quæ aliud svadet.

5. Fortiorem autem, ajo, qui reverà talis est amplitudine Imperii; potentiâ virium, opibus, milite, commeatu &c. Fortiorem rursus repeto, qui licet reipsâ talis non sit, tamen ob viciniam, opportunitatem loci, transitus, aliasque belli occasiones priori æquivalet. Nemo dubitat, Ludovicum XII. viribus majorem fuisse Ferdinando Arragonio, & Carolum V. Francisco primo: nihilominus tamen Henricum Regem Na-

varra Ferdinandus præ Ludovico; & Sabaudum Ducem Franciscus præ Carolo facilius oppressit, non aliâ ex causâ, quàm quod Navarrus Ferdinando, & Sabaudus Francisco propior esset. Adeò minor potentia exæquare, imò superare potest maximam opportunitate loci, rerumque aliarum compendio. lib.6.

6. Princeps, qui aliunde potens est, suisque stat viribus, nullâ prorsus deliberatione opus habet: par enim ratio est, neutras, aut unius, partes sequi. Imò inter alios belligerantes communiter campum apertum habet, sua pomœria extendendi: si enim adharet uni, certus est victoriæ contra alterum: si neutri, facilè ambos ex bello lassatos opprimit, Aristorelis nempe veteri adagio: **Minor, esca est Majoris.**

7. E contra minoribus Principibus aliud incumbit, & fermè necessarium habent, se uni conjungere, præfertim, si inter duas potentes coronas diffidium est. Neutralitas enim omnis simulationi & dissimulationi innititur, cujus plerumque pavida, incerta, aut infidiosa sunt consilia, ideòque suspecta, & aliorum odio exposita. Partialitas verò in fortitudine animi & integritate fidei fundatur, ideòque ab aliis respicitur, & ab ipsis sæpè hostibus reverenter habetur. Quidquid simulatum & fictum, citò perit, fortitudinem verò animi fidemque, etiam post infelicem exitum, immortalitas nominis excipit. Viriliter igitur pugnes, quàm turpiter pereas. Medium mediocribus Principibus hæc in re tenere non est tutum, vel beatum, sed periculosissimum & miserrimum, imprimis si alterius periculum & interitus tibi communis sit. Esse enim utriusque socium; & neutrum velle juvare, non reipsâ æquale est, sicut prætextu Juris videtur. Estque indignum & absurdum, asseverat Thucydides, si absque causâ vicini quiescunt, suspectum

habentes prætextum speciosi juris. Sequitur enim ex tali tergiversatione, quod monet Hermocrates perstringens Athenienses: Considerate ergò & eligite jam, aut servitutem, aut ut nobiscum vincendo effugiatis servitutem, ne illos dominos turpiter accipiatis, & ut inimicitiam nostram, quæ non erit brevis, evitare possitis. Adeò medii Principes utrinque exosi sunt, & utrinque eos manent pericula & damna.

8. Magnæ Respublicæ liberæ & absolutæ, (qualis est Veneta, Batava, & Helvetiorum: Civitates item Imperii liberæ: & similiter Hanseaticæ, ut Hamburgum, Dantiscum &c.) **semper à neutris stare possunt,** Quia suis viribus, opibus, confœderationibus vel Statuum amplitudine ita pollent, ut si ab uno vel ambobus belligerantibus Principibus; inter quos mediæ sunt, infestentur; semper se opponere, & rursus cum aliis Principibus in excidium belligerantium se conjungere valeant. Quod jam sæpè factum legimus.

9. Fortioribus accedere, ut supra dixi, videtur svadere ratio: Majus quippè pondus magis trahit. Ita est: sed eâ lege, ut nos eò necessitas adstringat; vix secus. Valdè enim observare debent Principes, ne faciliè se conjungant quibuspiam, se potentioribus, in offensam debiliorum. Multi enim hoc & priore ævo cum Tissapherne ultrò arripiunt Alcibiadis arcanum consilium. Si vicinos superare gestis, aut iis, quos metuis, dominari anhelas: discordias primùm inter eos feras & foveas: ac semper illius, qui fuerit potentiâ inferior, partes adjuves, & adversus superiorem sustentas: paucò sic intervallo omnium, quos metuebas, Dominatum consequeris. *Semper diffi-*

diffidant debiliores Potentioribus, metuantque eorum lenocinia & invitamenta ad armorum societatem, præsertim contra imbecilliores. Nam si vineat potentior; vix & ne vix quidem, quantumcunque sis illius armorum socius, effugies servitutem, vel ad minus redderis ei obnoxius pauco tuo emolumento, & minore gloriâ. Satius est debiliori adhærere contra potentiolem, si illi conjunctus, hunc aut aquas, aut exsuperas viribus. Ferdinandus V. Castiliæ Rex non facile se implicabat externis bellis, sed exitum expectabat, ut se jungere debiliori, retunderéque valeret ambitiosorum dominandi cupiditatem. Quod ipsum feliciter etiamnum in Italiâ præstant sapientissimi Veneti, continentque in aquâ lance vicinas potentias. Et reipsâ hoc maximè ad vicinos inter se Principes pertinet. Quia si unus vicinus sinatur vinci à potentiore; alius sibi idem malum proximè eventurum certò ominetur. Quapropter satagendum, ut vicini ab aliis vicinis, priusquam à potentiore opprimantur, maturè juventur. Nam iis oppressis, postea facile iis ipsis in prædam cedunt, qui illos adjuvare neglexerunt. Ob hanc causam Ludovicus Sforzia Mediolanensis Dux, in acquirendo Regno Neapolitano; potius pro Arragonio, quàm Renato Andegavensi, licet huic esset conjunctissimus, laborabat, prudenter metuens; Gallos, gentem potentissimam, haud quieturos, quin cum Regno etiam adjacentia suæ ditionis facerent. Idem omnes Italiæ Principes connitebantur post excessum primi Ducis Mediolanensis ex Familiâ Viscontinâ, & summè cavebant, ne abiret florentissimus Principatus in prædam sive Gallo, sive Hispano, sive Venetis. Ideoque potius Francisco Sfortiæ, utpotè debiliori, adstiterunt; existimantes è Ratione Status satagendum esse, ne Reges & alii Principes in vicinorum Regionem, quocunque prætenso ad speciem jure per vim irrumpan, & ex dominandi cupiditate sua pomœria in vicina regna & provincias dilatent & extendant. Ejusmodi attentatis Jure se opponunt omnes vicini, quia omnium causâ agitur. Ex

jure quippè Leonino autumant potentes æquissimum esse, ut potentior imbecillioem coërceat. Ideò Danaus ex Livio hunc Aphorismum omnibus imitandum exprimit: Qui populi per se & singuli sunt vicino hoste imbecilliores, pessimè sibi consulunt, & exitium suum accersunt, dum singuli & seorsim adversus eum bella suscipiunt & gerunt; Fide autem conjuncti facilè eum vincunt; Itaque societas & Unio contra ejusmodi potentiorum insidias & usurpationes vicinis, licet debilioribus, omninò servanda.


10. Posteaquàm autem in partes abivisse, & alieni belli partialitatem suscepisse visum fuit: tunc sanè, remotà omni ulteriore deliberatione aut cunctatione, ad duo se accingat partialis Princeps: Primò viriliter assistat suæ parti, vel planè per se agat pro socio. Tempus nullum interponat, cum in re belli celeritate nil præstantius. Præoccupanda igitur loca, ne subsidia accedant hosti, vel saltem non accelerentur. In bello Protestantium, à confœderatis ex inopinato Tyrolis claustra occupata fuerunt, ne ab Italiâ Catholicis adveniret subsidiarius miles. Hostis deindè abigendus à confœderatæ suæ partis ditionibus, vel in hostis solum sedes belli movenda: foris quàm domi faciliora potentioraque arma sunt. Plus animi est inferenti, quàm propulsanti periculum. Gloriosus DEUS & omnipotens, Anno hoc, quo paginam hanc compleo, debiliori etiam benignè succurrit, & glorificavit arma Caroli III. devicto videlicet, post in vanum tentatam Barcelonam, hinc inde Duce Andegavense regni usurpatore, cœlis terrâ marique Gallis, & obventu jam aliquarum Hispaniæ ditionum, & Belgii provinciarum, operâ non impigrè navatâ ab Anglis, qui terrâ marique maxima quæque exantlarunt in gloriam Domûs Austriacæ. Interim semper hæreo; donec *Aleati* non in viscera Franciæ penetraverint, ut Gallus domi suæ, quod agat, habeat, nequeâtque recenter ab Austriacis occupata mille technis & pacis speciosis condi-

conditionibus rursus involvere, vel solito, non Regio, more, lenociniis & falsis pollicitationibus corrumpere, Avertant hoc superi ! Interim vero verius est: **Hostem non sat est vicisse foris, nisi domi succumbat.**

11. Alterum est, quod ad armorum socium & partialem Principem spectat, nimirum, ut constans in fide maneat; ac in armis perseveret, nec desistat etiam cum suo discrimine hostem amici persequi. Sicut enim indecorum non est belli discrimen non velle aggredi, ita semel aggresso turpe est dimittere, aut à fide resilire. Indignum est cedere oneri, aut luctari cum officio, quod semel suscepisti. Magnæ res etiam cum magnis periculis volunt suscipi. Haud est virile terga Fortunæ dare.

12. Hæc verò obstrictio **reciproca** sit: qualis erat inter David & Jonathan, Herculis & Thesei; vel recentius, qualis erat inter Alphonsum Ducem Ferrariæ, & Ludovicum Regem Franciæ. Utrumque tentavit Julius Papa à simultaneo fœdere divellere: primum comminationibus, alterum promissis & pollicitationibus: sed utrobique oleum & operam deperdidit. Alphonsum ad minas reposuit Pontifici: se non abiturum à Regis fide, nisi cum vitâ: toleraturum potius extremam egestatem cum Gallis, quàm Vaticanos honores cum Pontificiis. Rex verò, cum offerret in mercedem illi Pontifex suum exercitum, si Ducis partes desereret, & à propugnandâ Ferrariâ animum abjiceret, plusquàm Regio sensu Pontifici per suos renuntiavit: Paratum se esse non unum exercitum, sed ipsum Regnum Franciæ pro Duce Alphonso in discrimen exponere. **Egregius animus**, ait Plutarchus, qui nollet sine amicis, nec regnare, nec vivere. Rara ejusmodi in recentioribus sæculis exempla sincera partialitatis reperiuntur. Unum attamen, idque verè regium,

regium, tulit sæculum septingentesimum in Annâ, Reg-
 norum magnæ Britanniæ Reginâ. Hæc Caro-
 lo Austriaco suppeditavit thesauros, exercitus, classes, terrâ
 marique satellitia, hospitia, & quid non? an non alios illa ru-
 bore suffundit, qui & propinquitate Sanguinis, & unitate
 Religionis, & obligatione Vassallagii, & beneficiorum à domo
 Austriacâ acceptorum memoriâ adstricti, aliisque mille titulis
 devincti, non præstant quadrantem ejus, cujus in tantum, tot
 regna repetendi, conamen opus est. Manebit, tam gloriosum
 Heroinæ Britannicæ nomen per omnia sæcula immortale!
 Cœpta coronet finis!



CAPUT XXI.

De Fœdere clientelari.

I. **H**ujus fœderis extrema sunt Patronus & Clientis.
 Forma verò, sive unio, est ex parte Patroni **Prote-**
ctio, & ex parte Clientis **Submissio**. Fœdus hoc mul-
 tis tam miserabile fermè habetur apud Politicos, quem-
 admodum apud Jurisprudentes cessio bonorum. Rem ta-
 men hanc totam expendam ad amussim Romanam. Client-
 tum quippè conditio hæc apud Romanos erat, ut sicut juxta
 parentes primum locum tenuère pupilli, ita secundum eos
 proximum locum habuère clientes, qui se in fidem patrocini-
 niûmque Senatus populique Romani dederant. Quemad-
 modum clientes inferiores sunt Patronis, ita inferiores cen-
 sentur esse Principes, quando Superioris Majestatem comiter
 observare tenentur. Undè hic non intelligimus clientelas de
 privatis hominibus & in privatorum patrociniis: qualiter Ap-
 pius Claudius quinque millia clientum habuisse fertur: vel, ut
 Festus

Festus ait: Patrocina appellari coepta, cum plebs distributa est inter Patres, ut eorum opibus tuta esset. Sed de Principibus & quasi Principibus liberis, qui ultrò se dedunt & committunt in fidem & patrocinium Principum potentiorum: vel quando, ut Cicero in officiis insinuat, civitates & nationes devictas Victores in fidem recipiunt, ut, licet illæ revindicare se possint, ultrò tamen constitutâ pace patrocinium victorum suscipiunt, nullatenus imminutâ libertate, quam antea habuerunt. Dediti quoque non merentur nomen Clientum, quales erant Falisci, Campani: non verò Latini, ut appositè distinguit Livius: Campanorum aliam esse conditionem, qui non foedere (de quo hic agimus) sed per deditionem in fidem Romanorum venissent: itaque seu velint seu nolint, quieturos: in foedere Latino nihil esse, quod bellare, cum quibus velint, prohibeantur. In foedere clientelari nec dari, nec accipi leges debent. Patroni ad auxilia tenentur clientibus, hi illis ad obsequia & reverentiam. Obsequium clientelare illud intelligo, ubi majoris Principis majestas comiter observatur. Nec amittit inde cliens Majestatem suam, quia Majestas non consistit in externo honore, sed in potestate liberâ in subditos, quæ quamdiu per clientelam non imminuitur, tamdiu persistit illaesa. Stant omninò, eodémque commorantur loco: **Clientem esse alterius, & Dominum suorum subditorum absolutum.** Unde Proculus apertè & lege publicâ asseverat: Sic eos, qui Majestatem nostram comiter observare debent, **liberos esse intelligendum est.**

2. Per ejusmodi clientelas velut maximo arcano Status, Romana Respublica Imperium suum Mundi limitibus definivit: ut Regna olim libera augetet, minueret, donaret, adimeret: Regum filiis tutores daret: bella interdiceret: Reges deponeret: seque tantoperè gravem Regibus faceret, ut, qui olim Romanorum amicitiam ac patrocinium quaerent,

deinceps dominium detestarentur. Ipse Tacitus id agrè tullisse videtur, ubi dixit: Degenerasse Parthos petitum alio ex orbe Regem: jam inter Provincias Romanas, folium Arfacidum haberi, darique, quàm despoticè egerint cum Polemone Principe Ponti, cum Antiocho, Tigraue, Archelao & plurimis aliis Regibus abundè constat ex Tacito, Livio, Floro & aliis. Unum Dionem allego, qui libro 63. describit, quantis adulationibus verbisque plus quàm servilibus coronam Armeniæ à Nerone Tiridates petierit: Ego Domine, Arfacis nepos, Vologesis & Pacori Regum frater, tuus servus sum. Venique ad te, ut te DEUM meum, non minùs ac Mithram, id est Solem colerem. Equidem is ero, quem tu me fato quodam efficies, tu enim fatum meum es & fortuna.) Delirium hoc, non foedus clientelare fuit.)

3. Interim, si clientelam ad amussim essentiæ, quâ foedus constat, expendas: vix merebitur clientela foederis nomen. Foedus enim ultrò citròque obligat ad mutuam defensionem vel offensionem tertii. Clientela verò nudus quidam contractus est inter periclitantem & omni defensione destitutum cum potentiore, qui deindè plerumque pro lubitu cum inferiore procedit. Ut experti nunc & olim sunt tanti quanti Clientes, qui sub protectionis specie ex Regibus & Principibus absolutis servi facti suam deplorant credulitatem. Protectio est prætextus potiùs acquirendi dominium, quàm alienæ jacturæ compatiendi zelus. In hoc verè dixit Machiavellus: Quamvis imbecillior cum potentiore paciscens, libertati suæ non renuntiet, tamen cum sit Protectore multùm viribus inferior, sub specioso dulcissimæ amicitiae nomine facillimè opprimitur superinductâ servitute.

4. Nihil periculosius est, nihil indignius Principi, quàm se suosque alterius patrociniò subijcere. Id Imperii constitutiones & aurea Bulla Caroli IV. ut nemo potentiorum externorum patrociniùm advocet, exprès-

experesè vetat. Primus post protectionem gradus perhibetur
invasio: usurpatio alter: tandem Dominatus.

5. Durissimum attamen necessitatis telum est, omnem
legem exsuperans: Quò sapiùs non jubet ire ratio, necessitas
impellit. Aliud necessitatis effugium non est, quàm velle,
quod ipsa cogit. Fatales ejusmodi necessitates non privatos
solum, sed ipsos aliquando Imperantes afficiunt. Necessarium
& inevitabile periculum sæpè sapiùs Principes quantumcun-
que absolutos adegit, ut se se alterius Principis tutela fidei-
que submittere debuerint, quo ab hostium incursionibus &
alieno jugo eliberarentur, aliquod obsequium potius tolera-
turi, quàm integram servitutem. Instante igitur periculo,
quod non tantum præsentem libertatis amissionem, sed totius
ditionis eversionem minetur, nemo Principi vitio ducet, si ex
duobus discriminibus minus eligat, & potius amico Principi
se suaque clientelari nexû submittat, quàm de universis peri-
clitetur. Quemadmodum superioribus ævis Duces Italiæ Fer-
rariensis & Mirandulanus contra Julium II. Pontificem in Lu-
dovici XII. Franciæ Regis devotionem & protectionem se
commiserunt. Res olim, nunc, & omni tempore usitata.

6. Clientis non se facillè subjiciat valdè vicino propter
periculum invasionis: non Principibus alienæ Religionis cum
jacturâ suæ: nec nisi potentiore, quo securior sit de effectu
protectionis. Patronus ab adverso non suscipiat in clientelam
eos, à quibus plus detrimenti, quàm emolumentum in ipsum
redundat. Magnus Patronis honos, sed vix absque onere:
nam & obnoxios se reddunt potentissimorum inimiciis, &
periculo se suosque status exponunt ingentium sumptuum.
Ex munere enim Patronis incumbit, ut Romanus Consul
Orat. 4. in Cœcil. perorat, Clientum injurias propulsare, eo-
rumque fortunas defendere: nec pejus ullum facinus aestima-
tum est, quàm clientem deserere, cum periclitaretur. Parùm
prudenter, se submitisse Venetorum tutelæ olim Pisanos, quos

illi facile rgeri nequibant; ob difficillimum videlicet & periculofissimum transitum, nimirumque loci distantiam, testatur Boterus.

7. Subditi & Vasalli ordinariè & regulariter non debent, neque possunt se subicere alieno dominio, aut protectioni externi Principis. Perfidia quædam nota est, fidem dividere in alios, **uni debitam**. Dominium & Regnum non admittit socium, neque subditi duos Dominos & Principes. Minuitur legitimi Domini autoritas, ubi Protectoris augetur. Accedit geminum periculum, quo se suumque involvunt Principem; ejusmodi alienæ protectionis nimium cupidi subditi. Primum est amplissima belli materia, ejusdemque fomentum continuum, quod constitutâ etiam pace difficilis sit regressus, venia ambigua, suspecta in posterum fides, & injuria in animis Principum altâ mente reposta. Secundum est poena duplicis virgæ, quâ tum à protectore, tum à Domino per exactiones, tributa, citationes, interdicta, multas &c. vix interruptis horis plectuntur. Æsopi fabulam hic pro veritate allego:

Accipitrem, milvi pulsurum bella, columbæ

Accipiunt Regem: Rex magis hoste nocet.

8. Attamen in casu summæ necessitatis; quid aliud resistendum est, quàm se vel submittere potentiori, cui resistere impossibile est; ad evitandum nimirum majus periculum: vel ejus protectioni se dedere, qui destitutum auxilio, & prædæ expositum contra imminentem vim tueri valeat: nec propterea crimen læsæ Majestatis, aut poenam confiscationis ullus uspiam jure incurrit. Defensio quippè sui suorumque ad naturæ spectat imperium, majus, quovis alio. Necessitas instar juris est, & quæ specietenus injusta videntur, justissima reddit, ob majus nimirum malum, quod indè evitat. Hæc lex non scripta, sed naturæ coæva: ad hanc non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra, ait Cicero pro Milone, in aliquas insidias, in vim aut tela latronum incidisset, omnis honesta

honestâ ratio esset expediendâ salutis. Silent enim inter arma leges: nec se expectari jubent, cum ei, qui expectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quàm justa reperenda.

9. Quod ipsum tamen, ut honestati non advesetur, duplici conditione communiri debet: nimirum, ut ex parte Domini pateat defectus defensionis vel ob negligentiam, absentiam, debilitatem virium, fraudem, aliâsque evidentes causas ex culpâ, vel quasi culpâ Domini. Respectu verò subditorum urgentissima & inevitabilis necessitas tam ex impotentiâ resistendi, quàm ex aperto periculo vitæ bonorûmque. Unde subditi & vasalli, quos Princeps & Dominus tueri negligit, neque se ipsos defendere valent; liberè possunt imminens grave vitæ bonorûmque discrimen, vim & tyrannidem potentioris, vel propriâ deditioe & submissione prævertere, vel alienum patrocinium implorare. Nam à legum peritis simplex amicitia, vel submitio metu & ex necessitate cum hostibus, citra conspirationem contra legitimam potestatem, vel abjuracionem illius, contracta, excusatur. Necessitati parère ad prudentiæ partes refertur.

Illp. in
l. 1. ff.
de offic.
Præfcti.
U. b.

10. Caveas tamen hic duos scopulos: **Dolum nempe & levitatem.** Multi quippè non solum non expectant necessitatem, sed (quantumvis aliud prætendant publicè) clam cum potentiore postea eisdem in protectionem recipiente colludunt, conspirant, in ejusque verba jurant, atque ita spontè ab ordinariâ suâ potestate recedunt, ut aliquando Bohemi cum Palatino & aliis protestantibus Principibus, postea Hungari cum Saborio, & pluries cum pluribus: nostro autem avo cum Tekelio; & jam, dum hæc scribo, cum Ragozio & Francia Rege conspirârunt in excidium sui legitimi Regis. Alii verò omni vento leviores observant tempora, & quocunque melior fortuna volitat, eò se conjungunt & submittunt immemores fidei. Scopuli isti duo sunt, in quos nemo impingit citra perfidiæ notam. Subjungo cautelam:

Submissio clientelaris, non fiat dolosè: non leviter: non indefinitè, id est, in perpetuum quasi cum reiectione legitimæ potestatis: neque amplius se extendat, quàm ad parcendum, protegendum, & defendendum: cœtera omnia, qualis est conspiratio, offensio, secretorum proditio, iniqua sunt, & rebellionem tantùm sapiunt, non clientelam.



CAPUT XXII.

Politicae protectionis ratio.

1. **N**on parùm ad incrementum Principum gloriæ, confert **Protectio** suscepta aliorum Principum vel Rerum-publicarum. Nam quemadmodum clientela miserabile nomen est, ita protectio proxima **Majestati**. Protegere oppressos ex munere incumbit regnantibus, & nihil eos divinitati reddit similiores, quàm ubi suas vires imbecillioribus mutant, eosque indemnes conservant. Divinitas quædam videtur hæc protectionis ratio: & est profectò, si salutariter, atque ex justitiæ normâ præbeatur, Divinum quippè est dare, humanum accipere: illud, si gratis fiat, hoc, cum necesse est. Duplex emolumentum consequuntur Principes ex protectione ritè præstitâ. Primum est, quod arbitri indè fiant suorum clientum, qui satius ducunt controversias suas veridicæ protectoris sui sententiæ submittere, quàm arma ejus, justitiæ duntaxat mancipata, experiri. Hinc quies & altissima pax emergit inter vicinos.

2. Alterum emolumentum, quod Principes ex protectione suorum clientum planè reddantur invicti, cum, certum esse, ajebat Cardinalis Richelius, eum, qui benignam manum tendit amicis, ut à præsentis periculo conservet innoxios, totidem

dem sibi conciliare defensores ad quamvis necessitatem, adeò, ut ad omne institutum arma illorum habeat expedita suis usibus.

3. Et res ita se habet, ut Protectio, quemadmodum olim, ita hoc ævo, inter singularia arcana Statùs computari & reponi soleat à Statistis. Sed quàm arduum sit protectionis officio sine crimine uti, cùm ratio nos docet, cùm exempla. Illam si inspicimus: Primas protectionis cunas amicitiam videbimus, vel commiserationem, fundamenta virtutis dignissima: & sic totus Mundus olim amiciebat Romanorum protectionem. Cum verò adolefceret, perfectamque ætatem attingeret protectio, amicitiam convertit in Imperium, & commiserationem in servitutem miserorum, totusque orbis averfabatur Romanorum fastum & dominatum, cui servire debebant Reges, & regna in provincias Reipublicæ coalescere. Ut jure quererentur Cherusci apud Tacitum: Adimi veterem Germaniæ libertatem, & Romanos super eam attolli. Si exempla expendis; quàm pauci ab omni ævo reperti clientes, qui ex protectione alienam meliorem nacti sunt suæ fortis conditionem: & fermè nulli protectores visi, qui ex protectione non rapti vel in **Usurpationes**, vel in **fraudes**, aut his obnoxii non lapsi in ruinam suam. Nimirum periculosius quidpiam est, quàm imperiti suspicentur, sive protectioni se submittere, sive protectorem agere. Tria autem vitia sunt, quæ contaminant omnem protectionem, licet hæc quomodocunque videatur utilis Regnanti; videlicet: **Usurpatio**, **fraus**, & **imbecillitas**.

4. Imbecillitatem dico, quando protector Princeps eas vires vel non habet, vel non impendit, quibus posset clientem suum ab hostium vel domesticorum, vel exterorum insultibus tueri. Cur Princeps hoc nomine gaudeat, si his, quorum curam gerere tenetur, non consulit, ac prospicit? Quicumque ex metu sumptuum, aut belli suscipiendi aliave ratio-

ne socordem se exhibuerit, & gloriâ carebit (ait Cardinalis Richelius) & turpi ignominiâ maculabitur. Non posse opitulari clientibus imbecillitatis, quam proprius comitatur pudor, & inopiâ, quæ prostituit Principem, signum evidens est; nolle autem subvenire, cum possit; apertam injustitiam, fideique datæ prævaricationem indicat. Protectionis duo extrema sunt honos & onus. Ingentibus sumptibus, milite, comitatu, aurôque opus est, ubi potentia ostentari debet Clientibus suis præstanda, & exteris Principibus formidanda.

5. Reges Franciæ communiter affectant gloriam hanc, nec parcunt ullis sumptibus, nullis laboribus : Unicum tamen est, quod commaculat hanc prætensam gloriam eorum; videlicet, quod communiter protegant seditiosos, & alienos subditos adversus legitimam potestatem ; & vix sine commodo suo, clientum verò plerumque dispendio & pernicie finali. Notoria non refero, testantur hoc Germani, Belgæ, Hungari &c.

6. Cum Saxonix Dux Joannes, Philippus Hassiæ Princeps, Mauritius item Philippi gener, & Albertus junior Marchio Brandenburgensis contra Imperatorem Carolum V. cum quo illi dissidebant, & tantum Monarcham jure metuebant, ad potentiam æmulam & vires Henrici II. Franciæ Regis confugissent: illicò Rex ultroneo assensu non solum patrocinium Principum rebellium suscepit, & ingentem exercitum adversus Cæsarem conscripsit, sed etiam ducenta aureorum millia Germaniæ Principibus belli adversus Carolum gerendi causâ, magnificè elargitus est. Sed quantum ex hoc deinde prætendit Gallia, quantumque emolumenti consecuta, non opus est calamo meo: constat palàm ex instrumento infaustæ illius pacis Monasteriensis, quantum abripuit Germaniæ zelus Gallorum & Svecorum.

7. Fraus aliud protectionis vitium tunc intercedit, ubi fides pactis inserta violatur. Versatur autem illa potissi-

potissimam circa contenta in tabulis clientelaribus circa ab-
ductionem militis bello confecto, circa restituenda deposita
munimenta, oppidaque, vel occupata vel pignoris loco à
Protectore accepta. A magno viro verissimè illud dictum: Card.
Richel.
in Mi-
nist.
Quoscunque patronus sumptus impenderit propter defensum
clientem, tenetur attamen loca occupata in manus Principis
legitimi, cum depositarii tantum vicem gerat, restituere:
quemadmodum enim leges depositi non permittunt quid-
quam tale alienari, ita æquè justum est, eadem reddi, uti in-
justum fuerit, retinuisse. Data fides omnem deliberationem
excludit, neque citrà fraudis notam patronus cunctari audeat
in reddendis illis, quæ gratis à cliente accepit. Fides non in-
tegra manet, ubi magnitudo questuum spectatur. Tacit.
Concl.
l. 11.

8. Protectio tandem degenerat in usurpationem: quan-
do nimirum patronus sub illius specie, vel clientes ipsos, si li-
beri sunt, opprimit: vel si alterius Principis sunt, sub illorum
defendendorum nomine, aliena inolet, & abstractis à legiti-
mo Principe subditis, seditiosè dominatum occupat. Quem-
admodum generosi Monarchæ est, æquè clientum suorum ac
sua complecti commoda; ita summè dedecet regium ani-
mum, qui ex alienis in se emolumenta, vel turpi questu, vel
alio quovis prætextu trahit. Ejusmodi Principi quis fident
amplius clientes, quem tantoperè commodi proprii tenacem
experti sunt? Imò gravissimè falluntur, quos ideò tuendos
suscepit, ut illorum exuviis limites Imperii sui proferret. Lau-
dat in hoc Reges suos eminentissimus Richelius, inquit: Sic
Reges nostri demonstrârunt Duci Nivernio tranquillita-
tem propriæ Reipublicæ nihil magis sibi esse cordi, quàm il-
lam Montferratensem & Mantuanam. Ipse Sabaudus Dux
agnovit nos: non tantùm fecisse Mediolani lucrum, sed Sabau-
diam & Pedemontium ipsi asservisse. Si ita est, fatebimur, pu-
ritatem veræ protectionis assecutos esse Gallos. Assertum hoc
Richelii ad antiqua tantùm se extendere debet, quia, si præ-
sentia spectamus, alios effectus producent protectiones Gal-
licæ,


lica, aliósque exitus sortiuntur eorum clientes. Casimirus ex Rege Poloniae Abbas factus Franciæ: Jacobus Rex magnæ Britanniae extorris, inops, alumnus Galliae: Emanuel Bavariae olim Dux, per publicos feciales inter tubas & timpana in universâ Europâ præcipitatus folio, meret nunc stipendia Franciæ. &c. Si hæc tangunt coronatos vertices, si Principes absolutos; quæ maleferiata fors excipiet alios clientes, præsertim suæ legitimæ potestati subjectos? Ac propterea fit, quod defacto hæc subtili methodo vel occupandi, vel turbandi, vel opprimendi aliena nunquam desint in Europâ nostrâ bellorum causæ, præsertim coronæ Franciæ. Exindè totus quasi Orbis Christianus in duas dividitur factiones, Austriacam & Gallicam, quarum tot, tamque varii, quibus coherent clientes, nova semper jaciunt dissidiorum semina, ut vix unquam vera, sincera & diuturna pax in Europâ sequi valeat. Causam quidem attribuit sagacissimus Statista Richelius æmulationi, quæ à sæculo isto adolevit, ut Austria Galliae, & hæc illius sive incremento doleat, sive ruinâ exulter.

9. Licebit tamen arbitrari, & translatis ipsius Magni Viri verbis retorquere: causam utriusque diversam planè esse. Nam Gallis, uti olim Lacedæmoniis, Monarchia quæritur non in æquo & justo, sed in Utili, & quod ad Statum confert. Unde violare justitiam, alienos, & quidem rebelles, subditos in protectionem suscipere, manifestos hæreticos, quales fuerunt Protestantes Imperii, in turpissimâ causâ dilapidatorum Ecclesiæ bonorum, defendere: cum Turcis & Barbaris pacisci nulla Religio, nullus metus, nulla synderesis. Alia Austriacæ genti mens, quæ justitiâ nixa ad arma nunquam convolat nisi pro defensione Ecclesiæ, & suorum Statuum, quos fermè alio non titulo, quàm connubiis, hæreditatibus, pactisque gentilitiis adepta est. Austria conservationem sui, & causam DEI spectat. Gallia incremen-

crementum Statûs, dominatum supra Europam, arbitrium in res aliorum Principum, invasionem Imperii sub specie protectionis Germanicæ libertatis. Videmus etenim jam in visceribus Germaniæ imperare lilia, Galliâmq; coniti pomœria sua, Rhenum usque extendere. Austria mutilata jam in multis; vix sua tuetur. Et quis (si vel modicam cognitionem publicorum negotiorum habeat) neget hoc hæctenus à Gallis omnibus viribus machinisque tentatum? Sed speramus inposterum versam iri paginam usurpatæ diu à Gallis fortuna, dummodò modernum foedus Austriarum cum tantis Potentiis ininitum perseveret.

10. Romanos similiter sub specioso protectionis nomine olim in immensum crevisse jam supra diximus. Ideò enim cum Latinis, Armeniis, Parchis, Germanis, Frisiis, Cheruscis, Græcis, Hispanis, Siculis cæterisque gentibus contrahebant foedera, ut soli eminent, superioresque indè sensim evaderent, & sibi munimenta essent clientes, velut expositi hostibus pro Republicâ. Non ad honoris, lucri, aut Imperii partem admittebant suos foederatos, sed primò amicum, secundò necessarium, tertio servile obsequium ab illis prætendebant. Aded, ait Boterus, sociale foedus Romani mutabant in patrocinium, ac tandem etiam dominatum arripiebant, atque ita sub æqui foederis specie socios imperiosè sibi parere compellebant. Tale cum Ætolis intercessisse foedus, recenset Livius, quibus & tributum talenta quinquaginta, & obsides arbitrio Consulibus quadraginta accepti; his quidem libertate, illis Majestatem reservatâ. Quàm inanis hæc Majestas, tam vinculata illa libertas fuit. Ideò primùm Samnites, deindè Germani adversus Romanos tam diuturnum bellum gesserunt; quod societatis specie Romani Samnitibus & Germanis imperare coniti sunt, quod tandem malo utrorumque fato evenit. Huc pertinent geminati illi singultus duarum gentium Achæorum & Latinorum Principum adversus Romanorum insolentiam,

quam amicitiae specie colorabant. **Lycortes** ille fuit, hic **Setinus**: ille querebatur, hic gemebat: nimirum sub umbrâ fœderis servitutem pati Latinos: & fœdus Romanorum cum Achæis specie quidem æquum fuisse, re precariam libertatem, tandem apud Romanos etiam imperium extitisse. Ejusmodi protectio nullo justititulo cohonestari potest. Decipula est credulorum, laqueus imperitorum & justum, dignumque supplicium rebellium subditorum, qui nunquam impunè alienum patrocinium quæsiere, nacti plerumque in fine vel servitutem vel extremam pauperiem, patriæque desolationem.



CAPUT XXIII.

De Fœdere Hanseatico.

1. **A**D fœdus Hanseaticum accingimur, quod ipsi **Carolo V.** terribile visum fuisse testatur **Hispanus Scriptor Avila.**

Etymon hujus fœderis ab **Ansâ** est, quæ auxilium aliquod denotat. Sed Germanicè potius **An-See**/hinc dicuntur **An-See Städt**/quasi Urbes ad mare. Longus enim ille tractus à **Narvâ** fluvio **Livoniam** à **Rusliâ** dividente, in cujus ostio duæ ejusdem nominis sunt Civitates, quarum altera **Narva Germanica**, altera **Ruthenica**, usque ad **Rheni** fauces protractus, ubi inter **Hollandiam** & **Zeelandiam** in mare labitur, complectitur terras & Urbes Hanseaticas. Hanseatico fœderi prima privilegia ab **Henrico III. Angliæ Rege** ante aliquot sæcula concessa, ac deindè à **tredecim Regibus** ejus Successori-

cessoribus liberaliter confirmata fuere, usque ad Elisabethæ Reginae Angliæ, quæ huic foederi infecta semper, vires illius ut plurimum novis & ineluctabilibus portoriis & vectigalibus premendo, attrivit.

2. Privilegiorum non una fuit causa; sed præ cæteris ipsa merita erant Hanseaticorum, qui Henrico Bellis afflicto egregiam præstiterunt opem, submisso navigiorum ingenti numero, eâ tamen conditione, ut deperditas aut ruptas naves bello finito exsolveret justo pretio. Victor inde Henricus, sed à Victoriâ redux, enormi tempestate quassatus, deperditus fermè omnibus Hanseaticorum navibus: quarum, cum ingens pretium Rex Henricus exsolvere nequiret, privilegium illud amplissimum loco pecuniæ pro se & posteris suis obtulit & elargitus est, nimirum, ut liberum semper futurum sit Hanseatico foedere comprehensus, negotiari in Angliâ absque augmento portorii aut vectigalis tam in iis, quæ in Regnum inferebant, quàm quæ exportabant. Cujus Privilegii fidem prima fregit Elisabetha, Regina Angliæ, pro centesima, quæ olim solita erat, quartam & quintam mercium partem exigens, non obstantibus omnium fermè Septentrionis Regum, Principum, ac ipsius præcipue Imperii interpellationibus.

3. Foederatorum primum requisitum fuit, ut omnes hujus foederis incorporatæ Urbes in Maris essent littore, aut in fluviorum majorum & navigabilium ripâ eâ maris commoditate & vicinitate, ut semper sive mutuo auxilio ferendo, sive commercia tractando habiles promptæque forent.

4. Alterum, ut essent liberæ; ad minus in iis, quæ urbana sunt, & ad administrandam justiciam inter cives spectant. Civitates etenim Hanseaticæ non sunt uniformes: aliæ enim sunt Imperiales, neminem, nisi Imperium, recognoscentes, aliæ

mixtæ partim Imperiales, & idè in quibusdam exemptæ: aliæ Provinciales ex certo Jurium respectu, Principi suo Provinciali subjectæ: cum in unâ eadèmq; personâ diversissimi respectus concurrere possint. In Germaniâ observat Gailius, esse nonnullas Civitates, quæ certâ lege & conditione Superiorem agnoscunt, & extra pacta conventa placidè suâ fruuntur libertate. Uti Hamburgum Principibus suis Holsatiæ obtemperat, salvis suis libertatibus, quas ab Imperio promeruit.

5. Tertium requisitum, ut essent sub Imperio: Idè Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, Angliæ, Scotiæ &c. Civitates hoc foedere non comprehenduntur, quarum plurimæ ad mare sitæ sunt, non tamen Hanseaticæ, sed vulgò Osterlingæ dicuntur. Hinc Neminem in specialem Protectorem suscipere unquam, qui Imperii Princeps non fuisset: ut paulò post videre licebit.

6. Finem hoc foedus sibi constituit, mutuam videlicet invicem defensionem, & navigationum commerciorumque securitatem. Hinc divisum est in quatuor præcipua membra, sive Civitates, quæ aliis velut subalternis præfunt. Primum est Lubeca, quæ assensu quinque vicinarum Urbium, quales sunt Hamburgum, Rostochium, Wismaria, Stralsunda & Lüneburgum potis est, in communi necessitate convocare in consilium omnes Confoederatos. Ibi commune Dicasterium, & Archivum habetur. Alterum membrum est Colonia: Tertium Brunsviga, sub hisce capitalibus Urbibus & Emporiis omnes Civitates Pomeraniæ, Cliviæ, Marchæ, Geldriæ, Thuringiæ, Frisiæ Occidentalis. Multæ Saxonica & Westphalica. Quartum membrum, ordine ultimum, sed potentiâ & Civitatum numero primum. Nam Borussia totam continet, & extra hanc tres præcipuas Civitates Livoniæ. Ex tantâ Civitatum multitudine constabat foedus Hanseaticum, summè à septen-

septentrionalibus Principibus æstimatum & cultum, adeò, ut se sæpius ejus arbitrio in occurrentibus controversiis submiserint.

7. Protectorem olim habuit Magnum Teutonici Ordinis Magistrum, usque ad Albertum Brandeburgicum; Sed hoc amoto propter Apostasiam à fide & Ordine, ambivèrè Reges Sveciæ, Poloniæ, Daniæ protectionem hujus fœderis. Quibus, propterea, quod Imperii Principes non essent, rejectis; omnium deinde insidiis expositi fuère, & pertulerunt plurima ab Angliæ præsertim Reginâ, ut supra memoratum est, & infra memorabitur. Dux Alençonius, unicus Henrici Galliæ Regis frater, Jus illud Protectionis in Hanseaticis votis omnibus affectabat, & per Legatos Lubecam missos multis pollicitationibus precabatur, qui rursus, quia Gallus erat, & Germaniæ hostis; repulsam passus, remanente interim Orbâ suo Protectore Ligâ Hanseaticâ: Unde omnium livori exposita multum à primævo splendore ac vigore defecerat: præsertim verò, ubi Anno 1588. post infelicem successum ingentis illius Hispanicæ expeditionis, sub Philippo II. contra Angliam, sexaginta Hanseaticorum magnæ navës opimis mercibus onustæ, à Reginâ Angliæ, sub prætextu, quod arma & victualia Hispanis suppeditassent, ad Tagi fauces detentæ, & Londinum in sequestrum deductæ, nec amplius unquam restitutæ fuissent tum incredibili Hanseaticanum Urbium jacturâ. Hoc ictu prostratum fuit totum fœdus, nec reparatum posterioribus temporibus.

Aliæ rursus quidem leges Anno 1604. conscriptæ; nec minus strenuè à nonnullis laboratum de fœdere Hanseatico reparando: multoties tentatum, sed non expeditum, & multos post labores reparatum quidem, sed non integrè; neque decus antiquum obtinuit, nec amplius tot numeravit sibi fœderatas Urbes, quot olim.

8. Hanseaticos foederis nomine non dignantur aliqui, quia cum Urbes illae foederatae vel toti Imperio, vel Imperii Principibus subjectae, publicam Authoritatem Imperii non valuerint, magis conspirationem sapiunt, quam legitimam confederationem. Sed inane hoc est, post 5. saecula & amplius, de tanta Urbium Societate similia comminisci. Tantus temporis tractus, vim legis & specialis concessionis obtinet. Praecipue verò quod multi Reges & Principes Germani & externi Hanseaticis societate juncti, fidem faciant legitimi foederis.





LIBER VI.

ARCANORUM
STATUS

De

ÆRARIO,

Et

OPIBUS PUBLICIS.

CAPUT I.

De instaurando & restaurando Ærario,
& Re Nummariâ Monita & Ar-
cana.

I.



Nivérforum mater Natura, camporum, nemo-
rúmque fructus, cum tempore perficit. Ab-
strufos terræ finus Sol penetrat, & rudem ma-
teriam excoquit in pretiofiffima metalla. Ars
ipfa crefcit in apicem fenfim. Difciplinæ omnes
rudimenta habent, & perfectionem poft intervalla attingunt.

(T r)

Adeò

Adeò Natura & Ars, perficitur semper in melius. Sola ætas hominum deteriora videt, auro argentum, argento æs, æri ferrum succedere: Non fabulantur Poëtæ, sed veritatem dicunt, cum mundi ætatem in quatuor dividunt sæcula: aureum, argenteum, æreum, ferreum, à perfecto decrescit in imperfectius. In Politicâ modò crescit malitia, & decrescit virtus. Videmus semper in deterius vergere Imperia & Regna. Succedunt invicem pejora tempora, plures necessitates, major egestas, graviora onera.

2. Habent profectò, quod agant Principes in tantâ rerum perturbatione. Quanti si redderent, quod debent, ex Regnis ad casas & mappalia reverterentur: quoties hostis præ foribus, & miles non est domi: Quanta suscipiuntur Bella, & moventur in campum myriades hominum, quos plus decerare oportet cum fame & egestate, quàm cum hoste. Nervus ubiquè deest: Necessitas adest: egestas obest: Exhausta planè omnia. Quatuor Imperii sunt fulcra, *Religio, Consilium, Opes & Arma*. Sub Religione comprehendo omnem Virtutem: sub Consilio Leges, Justitiam & regendi methodum: sub Armis Jus fœciale Belli, Pacis, & fœderum: sub opibus ærarium (libri nimirum hujus scopum) Tributa & Vectigalia. Quæ ultima, sicut & priora, propriè ad Jus providæ Majestatis spectant: Cum his conservatur Status, sine his hæsitat Religio, irridetur consilium, cadunt arma, non emittitur, nec venditur Pax, nec contrahuntur fœdera; nec Rex nec Subditi, nec Regnum, nec Respublica sine re Nummaria subsistit. Ubi Nervi succiduntur in corpore humano, necesse est illud prolabi. Status Politici compages, & nervi sunt opes publicæ. Tolle has, turpiter concidet ille.

3. *Res Nummaria* Jus proprium est Majestatis, & Imperantium summum Regale. Constantinus Magnus monetas res suas dixit: hoc est: propriè Regnantium prærogativam esse potestatem cudendæ monetæ; illique in-

primendum Iconium, ex quo Jus superioritatis probatur. Ita multæ Civitates, multique Principes Vasalli, quibus potestate Imperantis jus concessum est, cudendi monetam, illius Iconem vel insignia nummis imprimere consueverunt. Quemadmodum autem alia Jura Majestatis non facile communicantur aliis, præsertim subditis, ita hoc, ex antiquo more gentium, defertur facilius inferioribus, imò ab his præscriptione interdum acquiritur. Sic olim Municipibus Romani concedebant: Sic & hodie communicant Regnantes largiter, suis Principibus vasallis Episcopis, Comitibus, Civitatibus, quod tamen non propriè Regale dici debet, quia id remanet in conferente; sed Ministerium, & quædam vicaria potestas. Tria pertinent ad Monetam, materia, forma, & pondus, ac omnia hæc tria dependent à voluntate Imperantis; adeò ut in hoc Jure Majestatis, supra ipsam naturam se constituent Principes: Nihil enim illa ad valorem, pretium & æstimationem, sed totum hoc confert lex Imperantis, ut in Ethicis suis Aristoteles scripsit.

§. Eth.
c. 8.

4. Hæc autem potestate non abutuntur Principes in rei communis perniciem. Monetæ siquidem usus ex Jure Gentium est, ex quo normam habeat Princeps justæ æquitatis. Natura exigit, res æstimari, ut sunt; & non, ut apparent. Jura Majestatis omnia in Principes collata respiciunt ad stellam illam polarem, quæ est Salus Publica. Non supra hanc, sed pro hæc, militant omnia Jura Principum. Nunquam Principi licet defraudare publicum ex quocunque Jure Majestatis. Bonus Princeps dignoscitur ex monetis, exprobratum fuit olim ab Historicis Antonino Caracallæ. Huic enim, cum cœtera omnia, cum Nummus adulterinus erat: Nam pro argento aurove, quod nobis

lib. 77.

sunt recti, ideóque boni. Arbitrii effectus autem sæpius in transversum declinant, & à rectitudine divariant.

5. Interdum tamen superat pretium materiæ pondus: adulterantur pretiosiora metalla admixtione æris: Jam augetur, mox minuuntur nummi. Ante Numæ tempora Romani scorticos & restaceos denarios; Carthaginenses pelliculas signatas; Rex Ericus lapillos; Fridericus secundus corium, & alii Reges, & Principes alia, & exigua nummorum genera, sic ferente necessitate temporum, habuere. Quæ tamen in usum perpetuum non transierunt, sed cum malignitate temporum evanuerunt: Adeò ut verum sit, totam æstimationem nummariam pendere quidem ab Authoritate publicâ Imperantis, illa tamen quoties alteratur, aut mutatur, augeatur aut minuitur, iusta causa subesse debeat, directâ in conservationem Publici: & id exigente non privato commodo, vel lucro Principis; sed tantum necessitate publicâ, & invincibili. Expertum est nostrum ævum, magnas inde in Republicâ turbationes, murmura; nullam inter homines fidem, suspensâ commercia, usuraria lucra, aucta rerum pretia, cum exiguo aut nullo lucro Cæsaris, Nobilitatis verò, & plebejæ rusticæque gentis ingenti damno, solis inde extremè ditatis Campsorbibus, & Nummulariis, qui degradatam Cæsaris Monetam ad externos Principes transvehant, ac foenerantur cum inopiâ nostrâ.

6. Et profectò: sive restaurandæ, sive instaurandæ, sive reformandæ rei nummariæ magnum Arcanum est: indigetque oculo & cooperatione ipsius Principis. Nec cuilibet in hoc credendum susurrioni, nec confidendum obvio. Provisione ingenti, substituendæ monetæ opus habet. Ex inopinato non solum ne Usuræ sit tempus, statuendæ monetæ alteratio, sed confestim etiam supplenda à Principe nova moneta. Ac tandem, quoad integritatem administrandi hujus negotii (præsertim si è Provinciâ efferrî prohibeatur moneta) nec domi, nec in limitibus, maximè suarum Provincia-

rum,

rum, ullam existimet Princeps esse superabundantem cautelam. Mille præstò erunt Harpijæ, quæ involare tentabunt lucrum. Bituminosum est rei nummariæ officium, adhæret facilè, cui non competit. Agglutinatur digitis, quo magis tractatur. Aristides ararii summus præfectus apud Athenienses demonstrabat publicè: Neminem non eorum Quæstorum & sui & præteriti temporis pecunias publicas subtraxisse; nec ipsum Themistoclem exceptit.



CAPUT II.

De malis Ararii Ministris & Peculatu.

I. **A** Nimadvertat Princeps severissimis legibus, nec facilè parcat publicarum opum Usurpatoribus nullum exemplum faciliùs in consequentiam abit, quàm peculatus, non punitus. Peculatus autem apud Veteres Respublicas dicebatur: *Publicæ pecuniæ subtractio, vel mala administratio.* Gylippus olim grandem ex publico arario pecuniam à Lysandri servo sub tecti tegulas reconditam suspicabatur. Cùm quaesisset, ille sagaciùs, & loco jam fermè deprehenso, ubi latebant nummi, dicebat servus: illic plurimas latere noctuas, ut sub tectis affolet. Nec falsò locutus: nam in Monetâ Atticâ signum erat noctua. Unde astum servi penetravit Gylippus, disjecit tegulas, magnamque nummorum aureorum copiam reperit. Indè Lysander peculatus reus, luit pœnam. Antiquitatem olet hoc crimen apud Principes Austriacos. Vix enim scimus quemquam fuisse ab

hac clementissimâ domo damnatum. Hinc nemo miretur apud tot opulentissima Regna, & Provincias Austriacas, perpetuum pecuniæ defectum, in illis omnibus, quæ Principes concernunt. Apud alios verò, eosque privatos, ingentes montes auri & argenti splendorem regium, & quid non? vix mirère.

2. Galliae statuta, ait Cardinalis Richelius, majorem ferunt severitatem in reos peculatus, licet Principes, Marchiones, & summi Ministri sint. Certè à Ludovico Huttrin dicto, Philippi Pulchri filio; Galliarum Rege, usque hæc tempora propter crimen solius peculatus Engirardus Marigni, Petrus Essars, Joannes Montagu, Joannes de Gyasi, Camus de Bealieve, Richer, Puorfaicte, Carolus Vinevielle, Michael Mariliaeus, omnes hi supremi ærario præfecti, & viri tam magni, quam potentes publicè vitæ supplicium luere. Quam alii exilio mulctati, alii ad perpetuos carceres condemnati, alii Bonis privati, quos longum esset referre. Novissimum est Joannis Fouquet sub moderno Rege peculatus exemplum. Ejusmodi animadversiones publicæ, futuro quidem prospiciunt, sed præterita, & ablata privatis, non restaurant. Interim patitur publicum, & gemunt egeni. Participes se reddunt Principes criminis hujus, quando, cum possunt, non emendant. Ignaviâ Principum exhauriuntur opes publicæ, eorumque supinâ conniventia redduntur Ministri iniqui. Igitur

3. Mature Malo obviandum. Revertenda tantis excessibus occasio: Inquirendum palam & privatim in Ministros ærarii: quæ vita, qui mores, quis splendor, quæ Opes, quæ vox est populi? Non enim satis est dare rationes, quæ multis erroribus, & favoribus subjectæ: sed Principis fas est, intimè inquirere, undè tam subito privatis hominibus, publica tractantibus, opes tantæ? tota dominia? tanta
sup-

suppellectilis Magnificentia? tantus fastus? Eiusmodi inquisitione plus obtinebit aliquando Princeps, quàm ex proventu unius Provinciae vel Regni. Non fertilius, non pingvius praedium est, quàm Quaestor incautus. Semper habebit Princeps hic, quod metat: semper ex tali spongiâ fugere valebit. Vespasianus Quaestorum patrimonia primum de omnibus facultatibus subducere, reliqua fermè, veluti rapinas, fisco redere solebat.

4. Ludovicus XIII. sub Mariliaco fisci Regii Praefide ex unâ tali inquisitione obtinuit septem Milliones, & nisi aliqui ex Quaestoribus Cardinalem Richelium fautorem habuissent apud Regem, in duplum ascendisset gratuita multa. Ideo praeter consuetas rationes, quas inferiores quaestores supremo Praefidi aliunde reddere debent, à Rege sancitum fuit, ut quovis decennio in actiones, & statum Quaestorum eo modo inquireretur. Certus ex hoc vel de respiscentiâ vel de opimâ multâ. Interea rationabiliter suspectos, licet non convictos, de peculatu, vel malâ administratione; sine ullo respectu personae vel meriti, officio repente, & ex improvise privare oportet. *Repente*, quia tales omni momento nocent Publico. Ubi mali occasio semper praesto est; nunquam correctioni protractione indulgendum. Dixi *ex improvise*: ut quasi in delicto deprehendi videantur; neque tempus habeant, sibi vel aliis resarciendi, aut compensandi, cum periculo ararii, taliâque patrandi: unde consultò, & permissâ longâ deliberatione sibi vel providere, vel occultis machinis alium rebus colorem dare valerent.

5. Maximilianus Bojorum Dux filium successorem testamento monuit: ne spongiosas, picatas, avarasque manus ad Quaestoris supremi munus admitteret; sed deligeret viros abstinentes, integros, æqui observantes, quibusve rapinâ non opus est. Ita libentius subditi subibunt onera, si fraude se

premi non suspicientur. Olim Persæ, & nunc, ac fermè, non rarò, Turcarum Sultani Eunuchos ærario præficiunt, quibus non opus ex amore uxorum vel prolium defraudare publicum, sed famæ potiùs ex merito augendæ, studere, quàm capitis periculo cum dedecore se subicere, quod alii viri nimis uxori, vel hæredum amantes, turpiter neglexère. Optima hæreditas filii, gloria Patris.

6. Etiam Galliæ Reges summum Fisci præsidium Episcopis & Abbatibus aliquando potiùs commiserunt, quàm Ministris suis, vel Principibus Regni: illà ipsà ratione ducti, ac Turcæ, & Persæ: ut illi nimirum fidelius præessent ærario, ac publicam tractarent pecuniam absque periculo adorandi Mammonem, nummorum illud numen, quod toties illi tales in administratione Sacramentorum ejurant, & ex sacris pulpitis detestantur.



CAPUT III.

De cumulando Thesauro.

1. **Q**uærent & controvertunt Politici: an Principi expediat cumulare Thesauros? Ratio in utramque partem dubitandi est. Cupiditas enim habendi, est jam quædam avaritia, quod vitium turpissimum esse in Regnante proclamant Politici. Inde liberalitatis, & generositatis (quæ virtutes propriæ magnorum virorum) igniculi extingvuntur. Nec hoc satis, sed lucri illa vehemens cupido ad infima quæquè, & abjecta præcipitat animos regios; ad usuras, ad monopolia, quæ pauperum vera sunt spolia, & Nobilitatis inopia. Alphonsus secundus, Rex Neapolis, planè cum saginatis porcis merebatur. Oleum deinde, segetes & fructus potiores

tiores Regni coempturus, edicto vetabat, ne subditi aliò divederent: Exindè, aucto in coempta pretio, angariabat tam exteros, quàm indigenas. Indignum sanè, quæ de tanto Principe narrantur!

2. Habere Quæstui Rempublicam, non modò turpe, sed plerumque perniciosum est. Ex Privatorum bonis cumulati thesauri alliciunt hostes, & his fermè cedunt in prædam. Oraculum olim Apollinis Pythii erat: Spartanos & Lacedæmonios, opulentissimos olim populos, ex auri cupiditate perituros. Vaticinium in veritatem transiit, ubi populi illi suis Victoribus immensam prædam, multo sudore priùs congestam, certum avaritiæ fructum, permisère. Ita Sardapalus suis interfectores quadraginta millones: Ita Darius Octoginta millies myriades Alexandro; Ita Cives Constantinopolitani, qui ex avaritiâ negabant Imperatori in munimenta, in militem, & defendendæ Urbis auxilium pecuniarium; vitam deindè & conjuges, & sobolem, ac immensos thesauros terræ suffossos cesserunt Turcarum Tyranno. Hæc merces est avaritiæ, ut suo sudore gaudeant alii, suumque laborem aliena dissipet inertia.

3. Transeant hæc in suo sensu: sed Cassiodorum audio: *Regem pauperem esse animal periculosum.* Quid per hoc intellexerit magnus ille vir? vix occurrit; nisi quod Tacitus aliquando edixerit de malis Principibus, qui, arario exhausto, hoc deinde per scelera supplere solebant: Principes egeni, in necessitate constituti, valdè gravant subditos, & unâ vice exhauriunt totum, quod est cum subditorum exterminio. Ubi sensim & successivè, atque in tempore necessitatibus providissent, nec Respublica foret in periculo, nec subditi, nec cives exanimés & exhausti. Turca cum Bellum aggreditur, vel illud ab aliis expectat, quamprimùm ex arario solvit militem, totumque indè Belli apparatus instruit. Defectum autem ararii resarcit intereà ex publicis proventibus, & accepta refundit, vel ex antiquis vel novis

r. Var.

lib. 2.
Annual.

tributis : Sicque Portæ Ottomannicæ ærarium in omnem necessitatem semper promptum, & sufficiens est. Quàm præposterum illud, tunc consultare de pecuniâ, & collectationibus, cum de aggressione hostis consultandum foret. Princeps, qui ærario destituitur, multum inutiliter consumit temporis, cum de conquirendo deliberat, & optimas inde, cum victoriâ, occasiones deperdit. Vel si tunc intempestivè ex subditorum opibus corradit nervum rei gerendæ, facilè se periculo domestico seditionum subijcit. Ladislaus cum ex agro Casinate ab hostibus depulsus Neapolim profugisset, & ad avertendum majus imminens periculum grave tributum populo indixisset : quidam ex suis Ministris, Gosellus Orilia nomine, Regem privatim commonuit, ne, dum hostium impedire conatus vellet, id ipse agat, ut suos in se subditos ob tantum tributi onus concitaret. Adeò periculosum est, in rerum perturbatione pecuniâ destitui.

4. Errat Machiavellus, cum negat, pecuniam esse nervum belli, adeoque non esse necessariam Principi, sed sufficere, quod locupletes habeat subditos quantumcunque hi abundant, intempestiva tamen erit, in confusione rerum, omnis collectatio, cum ad arma vix adigi possint, nedum sua conferre velint. Magnus Reipublicæ morbus à defectu ærarii, ac sicuti debile & morbidum corpus facile succumbit suis aggressoribus (humoribus nempe malis) ita Respublica extenuata, ac opibus debilis cedit in prædam hostibus, cum minimè existimat. Ideò prudentiores Principes ex arcano statifico.

5. Pacis tempore instruunt suum ærarium ex opibus publicis, idvè tunc tantum attrectant, cum Reipublicæ maximè exigit necessitas. Habent quod imitentur primos Persarum Reges nostri Principes. Illi ad caput lecti, triginta auri milliones semper velut pro excubiis servabant, agentes, id esse

esse *cervical regium*. Et in eodem cubili ad pedes jacebant ter mille talenta argenti, quod scabellum Regis appellabant.

6. Julius Cæsar post ternum triumphum ovans, præferri sibi curabat sexaginta quinque millia talentorum auri, ac tria ferme millia coronarum aurearum. Ab hoc tertius postea Cæsar, videlicet Tiberius, cum fatis cessisset, in ærario publico reconditos habuit, ut Dion testis est, octoginta milliones & unum. David Rex successori, filio ex Bersabeâ, Salomoni, reliquit centum millia talentorum auri, quæ Cornelius à Lapide ad nostram numerandi methodum reducit mille ducentas milliones aureorum, argenti verò mille millia talentorum, quæ faciunt tantundem; nam una libra auri olim valebat decem libras argenti. Adeò, ut immensa hæreditas obvenit Salomoni, nimirum bis mille milliones quadringenti. Hæc summa quasi exæquat omnes divitias Regnorum Peru, Chili, & Javæ, quæ aliàs Regna dicuntur auro lustrata.

Appian
lib. 2.
Bell.
Civ.

7. Posterioribus temporibus nec thesauri, nec æraria visa, vel audita ampliùs: Licet graviora onera & tributa, majora commercia, cultior terra, auctiores artes, & novi prope modum, qui auro argentove fluunt, mundi reperi. Cujus defectus causâ ipsa Principum prodigalitas, & abusus rei nummarie: Vel illa per tot tamque diuturna bella alieni Domini cupiditas, quæ exhaurit æraria & per scelera supplet. Ubi ejusmodi abusus fuerit, nec spes erit supernæ benedictionis, nec naturaliter eorum copia magna esse potuit, quorum facilis est abusus & perditio. Ingens thesaurus est, nosse rectè uti pecuniâ.

8. Attamen ita colligant & augeant Principes ærarium, ut inde Respublica non patiatur. Si enim hæc patitur, id est, si suprà vires exhauriuntur subditi, tandem his remanebit nihil, cum

quo agant, mercentur, & rem familiarem, opesque augeant. At si hoc non fuerit? Undè postea Principes supplementa ærarii accipient? Actum est de ærario continuando, nisi incrementa continuent opum privatorum. Noscet autem Princeps moderamen hoc ex ipsâ constitutione Status Regni, quantum hoc inferre valeat, quia regulam generalem hic præscribere nequimus. Interea hoc vero verius est: Usque dum opes apud subditos crescunt, & lucra augentur, vel saltem illis permittitur exemptum capitale, ut inde sua augmenta habeant, poterit cumulari ærarium: secus res tota concidet. Ventriculus usque dum digerit, & cibum in alias corporis partes distribuit, crescit & ipsum corpus, & augetur viribus & sanitate: Ità profectò, si populo Principes permittant tantum, cum quo lucrari, mercari, & rem familiarem augere valeat, crescet & augetur etiam res ipsa Principum: Si omnia verò demant, uterque peribunt. Exhaustiuntur maria, si non augentur. Ex nihilo crescit nihil. Ex semine vel radice producit natura sua augmenta. Impossibile est, ut crescant opes publicæ, ubi decrescunt privatæ.

9. Duplex ærarium habeant Imperantes: ordinarium unum, extraordinarium alterum. Unum ad omnes Reipublicæ usus: Alterum in casibus extremis. Sic Xistus V. Pontifex, sic Henricus IV. Gallia Rex, præter ordinarium, confecerant alium thesaurum multorum millionum nunquam attingendum à Successoribus; sed an vitio horum, an necessitate temporum, uterque deinde exhaustus? in incerto est. Hoc certum, quod Sixti sensim exhausti hoc, quo scribo, Anno, in Bellum Ferrariense.

10. Apud Romanos planè triplex ærarium cumulabatur: unum erat, in quo civium tributa, sociorum vectigalia, nationum subjectarum collectæ, prædia, & proventus Cæsarum asservabantur. Ab hoc omnes Belli sumptus sustentati. Alterum

terum ærarium sanctius appellabatur, in quo ad ultimos casus Reipublicæ, solum aurum recondebatur, ut Livius refert de secundo Bello Punico. Tertium fuit particulare & in specie pro Bello Gallico, quo cum ingentibus diris, & impreca-tionibus conferebat populus pecuniam, non aliò applican-dam, quàm ad motus Galliæ adversus Rempublicam.

11. Ejusmodi ærarium in Germaniâ fermè ad quodvis Bellum colligit Imperator ex normâ matriculæ Imperialis; & aliàs coeteri etiam Reges & Principes in subitaneis motibus ac Reipublicæ casibus, præter ordinaria tributa, extraordina-rias collectas (quæ autem sæpè mutantur in ordinarias) indi-cunt. Quod præcipuè contingit vitio Regnantium, apud quos ordinarium ærarium, vel malè provisum, vel minus suf-ficiens, vel planè exhaustum est. Húc respexit Tacitus in-quiens: Quod si ærarium ambitione exhauserimus, per scele-ra (id est, per insolitas & nimias extorsiones) supplendum erit. Absit hoc à justo Principe, qui moniti loco potius habeat: 1. Annal.

12. Ærarium Publicum non esse rem solius Principis, sed etiam Principatûs. Tributa à Publico conferri in beneficium publicum, non in libidinem Principis. Par-cendum esse Privatorum Bonis, usque dum ærarii publici Vires sufficiunt. Jus Maje-statis rei nummariaë vinculatum esse lege illâ Regnorum omnium fundamentali:

Salus Populi suprema lex esto.

13. Porrò insensibilis augendi ærarii methodus est, ipsa Regnantis parsimonia, cujus extrema deflectunt vel in vitium, avaritiæ vel prodigalitati. Illa verò in legitimâ quâdam me-diocritate consistit omnium, quæ in externum apparatus

Principis cadunt. *Nequid nimis.* Adagium fuit Octaviani Augusti, Principis aliàs splendidi, magnifici, qui ausus Romanæ libertati frænum superstruere Principatûs: Adeò moderatio, ac mediocritas nihil officit splendori & Magnificentiæ regiæ.

lib. 1. Oe-
conom.

14. Ad Parsimoniam autem spectat, quod Aristoteles pro fundamento ærarii collocavit:

Impendia majora non facere, quàm sint compendia, vel fructus.

Insensibiliter absumitur ærarium, quando plus excipitur, quàm imponitur.

Tria impugnant parsimoniam: prodigalitas in profusionibus inanibus ac ineptis: Emptionibus inutilibus: in luxu immodico, & in molliem desectente: in conviviis pretiosis & quotidianis: in multitudine parasitorum, & morionum & adulatorum, in fabricis exoticis, sumptuosis, ac Reipublicæ nihil proficuis: denique in iis omnibus, sinè quibus stare potest gloria & decus Principis, commodum Reipublicæ, & subditorum vita tranquilla.

Aliud telum impugnans parsimoniam Principis est nimia tenacitas, avaritia, cupiditas, sordities, quæ dedecent regiam Oeconomiam; imò potiùs Principem prostituunt, depauperant subditos, & Rempublicam confundunt.

Tertium est ignavia, ac negligentia in rebus propriis custodiendis, in expendendâ debite & ritè pecuniâ, in exigendis redditibus publicis, & privatis, in connivendo peculari, in contemnendis modicis, & in iis omnibus, quæ solertiam & sagacitatem œconomicam impugnant. Tantundem est parca tueri, quàm quærere. Illud artis est opus, hoc fortunæ dubiæ. Multi parant pecuniam, sed quam vix servare nòrunt. Frustrâ is totus est in quæstu, quem incuria absumit. Incassum congregat reditus & proventus, quibus tempestivè non parcit. Prodigio nunquam satis est. Nec tamen parsimoniam

moniam intelligo : rusticam aliquam virtutem cémentis indutam, & ad paupertatis jugum damnatam ; sed verè regiam, quæ frugalitate novit defectum supplere ; quæ nec spernit opes, nec iis abutitur, sed eas ita tuetur, ut iisdem utatur in communem felicitatem.

15. Neque Parsimoniam avaritiæ filiam dico : quod enim hæc injustâ cupiditate corripit, hoc illa justis artibus assequitur. Parsimonia parcendo foeneratur, avaritia foenerando nemini parcit. Parsimonia Principis, & publica felicitas, vix unquam dissociari possunt. Ideò summi quique Principes in suis subditis pauperes sunt, quia in se non sunt parci. Sordes vocet, qui volet : Mihi parsimonia magna virtus est. Quanti domi parci, sed foris magnifici ! qui olim domi parsimoniam præstabant, publicas opes munificentius extollebant. Illas ipsas magnas & magnificas opes privata Parsimonia condecorabat. Parsimonia denique, ait Paschalis, id cuique præstat, ut non sit emax, non cupidus, non sumptuosus, quæ sanè non solùm est uberior pecunia, magnùmque vectigal : verùm etiam ad omnia præclara pergenti gradus.

Paschalis l. 6.
de virt.
& vitio.

idem

Naturæ pauca sufficiunt, cupiditati nihil ; qui privatim sunt parci, publicè esse possunt liberales. Lautiora aliis præbere valent, qui non omnia abliguriunt soli. Diu & sapè largiuntur, qui non omnia profundunt.

16. Ex Tripode veritatis æternæ illud audio apud Ecclesiasticum :

Beata terra, cujus Principes vescuntur in tempore suo, ad vesciendum, & non ad Luxuriam. Diu noctûque ore probatur, beata esse illa Regna, ubi Principes parcè vivunt, neque effundunt thesauros suos in illa diurna, noctûrnaque symposia, ex quibus Principibus est brevis voluptas, nec longa vita ; longissima autem Regno ruina. Pingvis culina paupertatis est vicina. Nequè ideò Principes ad abstinentiæ claustra relego, sed excessus illos monstruosos mensarum,

cum dispendio Rerumpublicarum & jacturâ famæ atque vitæ damno. Quale meruit encomium Heliogabalus, quod triclinium loco florum sterneret croco pretiosissimo? vel Cleopatra, quod uno bolo absumeret pretium unius Regni? vel Vitellius, quod unicâ cœnâ exhiberet duo millia piscium, septem autem avium, præter innumera Phaſtanorum atque Pavonum cerebra. An non hæc tanta tamque rara ferculorum copia neceſſariò eſſe debeat ærarii inopia?

Carolus IV. Imperator, unius prandii gratiâ, quod Galliæ Rex paraverat in villâ propè Avenionem, Regnum Arelatenſe, quod priùs Imperii membrum fuit, Gallo tradidit & donavit. Carò ſolvit brevem guſtum, cum æterno diſguſtu Germania.


17. *Ærarii quoquè fontem exſiccant largitiones nimix, non minus, quàm impenſæ inutiles.* Nero inter paucos annos quingenties & quinquagies centena millia aureorum in donaria profudit. Caligula immenſas opes atque theſauros à prædeceſſore coâcervatos intrâ annum abſumpſit. Demetrius, Antigoni filius, ducenta talenta ſcortis dari juſſit.

Alphonſus Neapolitanus, cum omnia inaniter prodegiſſet, & ære alieno gravatus, ſubditorum tandem bona inſiſſet, & gementibus undequaque ſubditis expilavit omnes. Sic ærarium ſcleribus exhaustum, per ſclera impleri debuit. Quod ipſum Tranquillus de præfato Caligula memorat, qui poſt ſeptuaginta quinque milliones anni decurſu dilapſos ad rapinas convertit animum, vario & exquisitiſſimo calumniarum & veſtigialium genere.

18. *Nihil ſub Cœlo indignius eſt, quam ſubditorum labore, ſudore, imò cruore abuti.* Nihil Regnis infeliçius, quàm ſi arrodant illi publicas opes, qui ad illas nihil laboris, nihil induſtriæ contulerunt. Ideòque Principes à Plinio Panegyrico hoc inſtar moniti habeant:

Sumptibus adhibe modum.

Vel Maximiliani I. magnifici semper, sed nunquam profusi Principis thesseram: **Tene Mensuram, & respice Finem.** Sic in principio res sumptuaria instituenda, ne in fine egestas sequatur. Sic tractandæ opes publicæ, ut Sacrosanctæ esse videantur. Nefas sit dispensare publica in fines privatos, ne dicam indignos, & sceleratos. Magnæ opes non tam quaruntur multa capiendo, quàm multa non perdendo. Parsimonia denique Principis, sicut Reipublicæ est magnum Vectigal, ita optimus ararii custos.



CAPUT IV.

Coloniæ augent ærarium, & opes publicas.

I. **C**oloniarum deductio uti est inter reservata Imperii & Jura Majestatis, ita est inter ararii, opumque publicarum augendarum arcana. Indè Romanorum potentia in immensum crevit, & propriè arcanum fuit Reipublicæ Romanæ, accessiones maximas Imperio, Coloniarum beneficio adjungere. Ad naturæ arcanum illa respexit: Arbores enim transplantatæ dulciores & uberiores ferunt fructus, & plantæ minores multiplicantur translata. Apes emigrant, & mella augent in alienis alveariis: Sic Romana Respublica ad devictas gentes, & occupandos inibi vel in partem, vel in totum agros, emisit tenuiores Cives: alienis ibi exuviis cumulavit veteranos milites, & sic repressit tam domi per evacuationem urbis, quàm apud devictas Provincias indigenarum seditiones: denique gloriæ duxit, nomen Romanum ubique terrarum esse: Græcorum quoque & Phœnicum coloniæ amplissimæ, universas ferè maris mediterranei Regiones in-

habitant. A condito planè Orbe deducendarum coloniarum mos fuit & usus. Populus ipse à DEO electus hinc indè agebat colonias, donec in perfectam gentem transiisset, occupatâ Mesopotamiâ, & terrâ illâ promissionis divinæ, quæ fluebat lacte & melle.

2. Etiam posterioribus ævis coloniarum deductiones, non tam ostentandæ potentia, sed magis augendarum opum publicarum, & ararii, à multis Principibus salubriter institutæ: quibus ut insistant etiam alii Principes, exempla moveant Regum Hispaniæ & Lusitaniæ, quorum indè tota, quæ est, Potentia & divitiarum amplitudo. Verùm quantum hi domi crevère thesauris, tantum penuriæ passî in hominibus egregiis, strenuis, & virtuosis, qui auri cupiditate allecti Garamantas, & Indos præ Patriæ dulcedine habuère.

3. In Peruanum Regnum deduxit colonias ex Hispaniis Franciscus Pizarrus Anno 1524. & non multò post in contiguas Provincias, quæ Regnis æquiparantur, Quito les Rejes, Charcas & Lasiera. Unde thesauri immensi, & ex solâ primâ aggressionem viginti milliones aureorum accepti pro Rege.

Inibi ex Potosianâ argentifodinâ tantum quinta pars, quæ unum millionem aureorum conficit, annuatim penditur. In Regnum Chilianum deductæ coloniæ reppererunt Regi suo tantam auri copiam, quæ quinque Regnorum Hispaniæ exsuperat proventus.

4. In Imperium Mexicanum, quod nunc dicitur nova Hispania, induxit colonias Ferdinandus Cartesius, & indè suo Regi sensim & successivè obtinuit non solum amplissimum Dominatum aliquot Regnorum, Urbiumque maximarum, terræque ad vitam victumque humanum, omnium rerum abundantissimæ: Verùm etiam in ipsis visceribus & subterraneis meatibus, quemadmodum etiam in fluminibus & aquis venas indefinentes auri, quod toto Orbe purissimum habetur, ac faciliore arte quam in Peruano Regno extrahitur.

5. Anno 1508. Martinus Villa Garzia, & Anno 1511. Didacus de Velasco, ille quinque, iste quatuor per deductas colonias oppressit Reges, eorúmque Regna opulentissima auro & piscatione Unionum frequentissima occupavit. Ne dicam de aliis plurimis coloniis, tam in Philippinis insulis, & Canariis, quam in Brasiliâ, Platâ, Thucuman, Chichâ, Magellanica &c. Unde non solum aurum & argentum, margaritæ & pretiosi Capilli, sed pretiosissima alia aromata, resque Europæis raræ & caræ, atque ex his maximi proventus in Gazophylacium Regis Hispaniarum penduntur, licet etiam alii in Europâ privati homines mercatores, & campsores inde quasi potiorem partem extrahant. Adcò se exspoliât America, & illustrem auro argentove quotannis reddit Europam; ut mirari liceat, cur in tantâ auri argentique copiâ, esse possit tanta rei nummarie penuria?

6. Lusitanæ quoque colonie illic terrarum ingentes & quasi primos fecere progressus: Opinio est Politicorum, inde plus habere Regem Lusitanum, quam si novem, in Europâ possideret Lusitanias. Non minus felici successu suas inducere colonias Batavi in Americam, in Regnum Mogol, aliasque Indiarum partes, ut jam ibi novam Bataviam, aliasque provincias, sicut & Angli novam Angliam, Galli novam Franciam, possideant; quæ Europam nostram cumulant divitiis, & inventores Principes formidandos reddunt terrâ, marique. Auri vis totum potest, quod potest fieri.



3. Gallia autem caret auri & argenti fodinis, eò autem, ut potiri queat, Vicinis plurimarum rerum egenis abundantia rivos: per commercia permittit, ratione potentissimâ ad Vicinorum opulentiam sibi accommodandam. Unum emporium rectè instructum plus infert Principi, quàm sapè integræ Provinciæ. Ideò in Galliâ pecunia semper præstò est, quia tot scalas habet maritimas, & emporia amplissima, ubi continuus fluxus, & refluxus pecuniæ, cujus ope plura operatur Rex, quàm alii virtute militari. Clavis aurea aperit munimenta, obserrat tormenta, revelat arcana, corrumpit consilia, abbreviat bella, conservat fœdera, enervat hostes, occupat Regna & Imperia. Periclitantur Regna, quorum innouit penuria: Ubi pecunia deficit, deficit annona; ubi hæc non adest, deest miles: Et sine milite, quid aliud Princeps esse potest, quàm ludibrium hostibus, & meta incurfantibus.

Minist.
Riche-
lieum l.
3. c. 1.
ad finem

4. Negotiationis usus non solum per privatos utilis est Reipublicæ, sed etiam per ipsos Principes in tribus casibus: Primus est, quando Privatorum facultates non sufficiunt prosequendis commerciis, vel propter excessivos sumptus, aut aliam similem gravem causam, cui privati non sunt pares. Ita Salomon omni triennio suam classem emisit in Indias cum nostratibus mercibus, quas commutavit cum auro, argento, ebore & ejusmodi pretiosis. Quod & fecit Rex Josaphat, & etiamnum agunt Reges Portugalliæ, Angliæ, Respublica Batavorum, qui omnes cum novo Orbe mercantur feliciter, citra præjudicium regis authoritatis. Labor quippe omnis regius est, qui Regias exigit vires.

5. Secundus casus est, quando commercia sunt tanti proventus, qui excedat spheram privatorum. Ita Respublica Veneta olim emisit suos Galliones usque Alexandriam Ægypti pro aromatibus, quæ postmodum dividebantur in Angliâ & Flandriâ cum maximo lucro Reipublicæ, neque enim

regia lucra privatis permittenda, ut & nunc faciunt Bataviæ Status.

6. Tertius casus concernit præcisè Bonum publicum absque usurâ & omni lucro, ut dum Princeps, quod fecit Augustus & alii Cæsares, pro bono omnium Civium & subditorum apud exteras gentes coëmit annonam & reliqua vitæ sustentandæ necessaria, quæ deinde dividit suis civibus & subditis, cum exiguo, aut planè sine omni lucro. Ingens hoc emolumentum est Publici, & verè regia negotiatio.

7. Præcipuè autem ejusmodi regia commercia procedunt in mari, quia indè sibi Principes non solum comparant authoritatem apud vicinos, sed etiam vires maritimas, quæ plurimum addunt Majestati propter geminatam Potentiam terrâ marique. Ut Cosmus Medices, primus Hetruriæ Dux, edixit: Principem nunquam ad summam authoritatem perventurum, nisi conjugium hoc utriusque potentiae terrestris & maritimæ ritè instruat. Quis Angliam metueret, nisi maris polleret potentia. Undè Hollandorum opes, nisi ex mari? Venetorum vires, & opes solidantur inter fluctus. Genuensium aridum litus foecundatur ex navigatione. Hetruriæ Reguli mercantur utrobique terrâ, ac mari, ubique feliciter, ideò Magni cognominati. Magno egent apparatu commercia maritima, sed lucrum omnes exsuperat expensas, quia mare duplicat sortem, etiam aliquando amplius nullâ usuræ querimoniâ, quod de terrestribus commerciis vix dici potest.

8. At si nullum aliud Principes emolumentum perceperint ex commerciis maritimis, hoc unum sufficiat, quod sint armati in mari; & quidem non aliis, quàm mercaturæ expensis, quod sanè in terrestri militia non obtingit.

9. Ut verò provehantur commercia sive terrestria, sive maritima, ad duo advertat Princeps: Primò an bona, & merces nativæ in Regno, quæ aliò deportantur, alibi etiam haberi possint vel non?

Si alibi haberi nequeant, tunc poterit quidem Princeps eas merces pro libitu taxare, & vectigalibus obnoxias reddere. Sic enim immensam valebit indè extrahere pecuniam sine suorum subditorum onere, utpotè cum onus totum ad externos, qui merces exportant, devolvatur.

Quod si autem aliundè ejusmodi bona & merces haberi, atque ex aliis locis peti poterunt, tunc nequaquam Princeps suprâ, quàm æquum & solitum est, taxabit illas merces; ne periculum subeat aliò avertendi commercia. Cumprimùm enim adverterint externi ejusmodi angariam, subito vela convertent aliò, & commercium instituent cum alio Regno vel Provinciâ, unde eadem bona, & merces deportari possunt. Regnum Neapolitanum abundat serico, & negotium habebat olim, serici florentissimum, providebâtque plurimas indè externas nationes cum maximo emolumento indigenarum. Posteaquam supra quamvis serici libram à Pro-Rege statuta fuisset certa taxa, illicò concidit tota negotiatio, & emptoribus aliò conversis magna deinceps Regno resultavit jactura, ut refert Boterus in Rat.Stat. Principes, qui provehere, fovere, & augere gestiunt commercia cum externis, abstinere debent à nimis vectigalibus, ut indè externi alliciantur, & inde augeantur subditorum opes: Quibus auctis obtinebit Princeps magnum vectigal apud suos ipsos subditos, quos taxare licebit, nihil indè imminutâ negotiatione externorum.

10. Inter cœtera media reducendæ œconomiae sub Philippo tertio Hispano, non extremum fuit, ut restringeretur taxa supra merces ex Hispaniis ab externis mercatoribus deportandas; ut sic auferent commercia, & ad se traherent externos mercatores, qui parva etiam lucra non negligunt. Ubi libertas negotiandi est à Principe, ibi à frequentibus commerciis immensum ditescunt indigenæ, ex quorum opibus abundabit semper ærarium. Parva jactura sæpè ingens lucrum causat.

11. Alterum est, ut Principes prospiciant securitati commerciorum, tam contra domesticorum hostiles insultus, quàm contra viarum, & portuum difficultates. Una navis feliciter redux ex aliquâ navigatione longâ, exemplum dabit centum aliis, quæ eandem navigationem tentabunt. Nemo facilè se conjicit in syrtes, nemo pyratibus committit fortunas suas. Negotiatores publici magis æstimant securitatem, quàm lucrum. Non appellent eò, ubi in ipso portu metuunt insidias. Invigilent hic Principes, ne indigenæ, & domestici insidiantur externis: & si quidpiam à suis contra alienigenas perperam actum, rigore extremo reprehendant. Qui indemnes non sinunt hospites, reversuros non existiment.

12. Emporia deindè sint libera, & gentibus omnibus aperta: sint commoda appellendis navibus: sint provisæ alimentis. Hæc invitamenta, hæc fomenta sunt negotiationum; præcipuè verò, si inveniantur quædam compendia navigationum, sive breviter itinera, quæ olim non erant. Sic quod olim Salomon trium annorum spatio ex Judæâ usque Goâm, & Taprobanam confecit itineris, id nostrates conficiunt inter trimestre. Quæ Ulysses, quæ Hercules per menses & annos enavigavit marium spatia, ut festivè decantant Poëtæ, id nostro ævo audent Batavi, quinque, vel septem, aut ad summum triginta dierum intervallo. Totam enim Orbis madentis circumferentiam anni spatio conficiunt Lusitani. In istis novis navigationibus observârunt navarchi unam certam facilitatem & cursum proprium maris, versus occidentem, ut inter viginti quatuor dies, nisi aliundè impediuntur, Indias occidentales assequi valeant.

13. Ejusmodi viarum compendia mirum in modum frequentia reddunt commercia, & ex his lucra innumera. Plurimum autem juvabunt secura à piratis, & prædonibus maria, & itinera, ut supra diximus, & repetitò dicimus, ut nimirum hæc præcipua cura sit Principis. Sic Veneta Respublica

lica mare sibi desponsatum annulo Pontificio, omni conatu sustinet liberum & immune à prædonibus. Nec minùs Hispani, Lusitani, Batavi, Angli sua maria & navigationes reddiderunt jam valdè tutas, nisi quandoque inter ipsas has nationes exsurgant bella & hostilitates, quas tamen, non obstante bello, sæpè per speciale pactum ad continuanda commercia, cum utriusque partis utilitate, laudabiliter seponunt, & negotiationibus liberum cursum concedunt. Emolumenta enim commerciorum utrosque tangunt, & sine his vix possent, quod possunt. Turcarum Imperatori nunquam deerit ararium, quamdiù manutenuerit sua maria, & navigationes liberas; atque commercia in Oriente, & Occidente foverit. Inferunt hæc præter alia emolumenta Ottomannicæ Portæ non solùm immensam vim pecuniæ, sed etiam ad omnem occasionem belli, innumera navigia, quæ præstò esse debent necessario apparatu instructa, ad omnem Principis nutum. Communi denique Politicorum sententiâ rara & non magna augmenta accedunt iis Principibus, qui altero brachio non complectuntur mare. Imò alii existimant, si cedendum hosti quidpiam, terra potius cedi debeat, quàm mari, adeò inconstans illa aquarum moles cupiditati humanae magis infervit; quàm hæc tam vastæ terræ omnigena fœcunditas.



CAPUT VI.

De Tributis.

I. **H**Æc debentur Principibus ex Divino mandato: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Imperativè loquitur Christus novæ legis primus, & unicus auctor. Debentur ex Jure gentium,

Tacitus.

gentium, hoc si Reges voluit, voluit quoque regendi adminicula. Neque enim quies gentium sine armis, nec arma sine Scipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt. Qui hæc Imperantibus negare ausint, prostituunt Rempublicam, & sibi majora damna accersunt. Hosti namque cedere cogentur, quod renuebant legitimo suo Principi. Totum amittent, ubi partem noluerunt. Extat Novella Justiniani Imperatoris: Non enim aliter conservare licet Rempublicam, nisi præstationes importentur in publicum: ex quibus, & milicæ nutriuntur copiæ, ut resistatur hostibus, ac per agros, & urbes agantur excubiæ. Perfruuntur item reliqui ordines attributis sibi salariis: reparantur quoque muri, & urbes: denique omnia alia proveniunt, quæ communem subditorum utilitatem concernunt. Allegat hic Imperator causas irrefragabiles, cur tributa pendi debeant? Sed & aliæ inventiones, & fucatæ causæ nunquam desunt Principibus, pecunias, tributa, collectas, ex oppressione, & lachrymis subditorum corradendi. Fabulantur Poëtæ, Charontem, Inferorum Navarchum, qui prius pro nautico obolum habuit, deinde duos exegisse. Crescunt necessitates, tempora obveniunt indices pejora, nunquam desunt prætextus, majora exigendi à subditis.

2. Porrò circa impositiones quascunque tria necessaria sunt: Authoritas, & Potestas legitima exigendi: causâ justa propter quam: modus & mensura. Nemo jus habet collectandi, vel tributa imponendi, nisi qui Princeps & caput est gentis, ubi tributa imperantur. Hoc enim jus ad Majestatem spectat, & est Regale solum Imperantis cum suprema potestate, vel Reipublicæ absolutæ. &c.

Licet autem hoc jus in summo Principe ratione Potestatis gubernativæ sit absolutum, & independens, attamen sibi persuasum habeat ex lege illa generali, & regia, quæ est salus populi, nunquam licere tributa populi imponere, nisi in conservationem sui (id est imperantis) Regni & Subditorum.

Modus

Modus & mensura respiciunt ipsam quantitatē. Quantitas autem cum duobus conferri, & proportionari debet. Primò cum causâ, propter quam indicuntur tributa; ne hæc illam exsuperent: & ubi illa cessaverit in totum, vel in partem, tollantur vel minuantur. Secundò cum ipsis subditis, ne videlicet supra vires illorum quantum tributi intendatur, vel exigatur. Id cum M. Antonius in Asiâ luxu & splendore supra regium degens, intenderet, imperaretque populo intra anni spatium geminum tributum, Ibreas quidam nomine, objecit Antonio: Si fas tibi geminare tributa, necesse sit etiam geminare anni tempora, fac, duas æstates, duosque Autumnos habeamus, & nos ultrò ex fructibus indè percipiendis geminabimus tributum, interea tibi sat sunt, quas à nobis habes, centum viginti milliones, reliquum amplius nobis non est, nisi, quam trahimus, misera vita, uxores, plus quam viduæ, liberi jam orphani. Ita dixit Ibreas, & commovit Antonium liberrimus viri sensus.

3. Utinam & nostrates Principes commoverent tot subditorum sangvineæ fermè lachrymæ, profunda suspiria, gemitus, & multoties acerbæ imprecationes! Pompa aulicorum, & fastus in humeros populi recidunt, & quæ ab illis in luxum profunduntur, damna sunt Civium, & calamitates egenorum. Appositè conqueritur Philippus Cominæus sui avi magnus Politicus, & Galliæ primus olim Regis Minister: Magna est quorundam Principum iniquitas, qui, nulla necessitate coacti, pecuniam pro suâ libidine imperant, & amplum alunt satellitium, ut miseram multitudinem in metu continent. Eamque deindè pecuniam temerè, & voluptuariè profundunt nullo cum Reipublicæ bono; & de quotidianis sumptibus nihil remittunt, assentatorum semper stipati turbâ. Sed est DEUS, qui flagitium nullum sinit esse impunitum; & crudelitatem inprimis detestatur, qui, tametsi non loquitur hominibus hodierno die, sicut præcis illis temporibus, tamen, quæ sit sua sententia, & quid à nobis fieri velit,

Hist. Gall. lib. 3.

clare perscriptum reliquit. Et ut ad institutum revertar, nemo est omnium Principum, qui jus habeat, vel teruncium unum exigendi à suis, præter constitutum annum censum, nisi Populus assentiatur. Iste sensus est Philippi Cominæ, Viri summè politici.

At verò, quid etiam de hoc sentiant conscientie arbitri, Doctores nimirum Theologi, breviter & in synopsis contraho.

Ajunt illi, Tributum esse pensionem, quæ subditis imponitur, Principi aut supremo Magistratui solvenda, ut dignitatem & onera Status sustinere possit.

Id distingvunt in ordinarium, & extraordinarium. Illud certam & quotannis recurrentem ex communi lege, antiquâ vel novâ, præstationem continet. Huç referri possunt tributa realia, quæ fundis ex pacto in hærent, sive sint censualia, sive feudalia, aut alterius speciei. Extraordinarium verò est, quod propter supervenientem causam, sive necessitatem Status extraordinariè imperatur, & dici solet collecta seu Talia.

4. Causæ autem, & necessitates, quæ Rempublicam magis obruunt, quàm illi superveniunt, fermè sunt: Bellum, pestis, fames, foedera, matrimonia & itinera Principum, vel etiam pro bono Reipublicæ instituenda commercia erigenda munimenta, deducendæ colonie: defensio Ecclesiæ, & ejusmodi, quæ rarius contingunt in parvis Regnis & Principatibus, sed sæpius in magnis. Constare autem debet primò non solum de existentia, sed etiam de justitiâ ejusmodi causæ, ut vel inde magna utilitas in Rempublicam resultare, vel eam magna calamitas obruere, neque aliâ ratione illi subveniri posse videatur.

5. Secundò, necessarium quoque est, ut tributi ista extraordinaria, ad eum usum (videlicet publicum, non privatum, indignum aut vitiosum) cujus nempe causâ impositum est, expendantur. Et si illa causa, utpotè superveniens, cum tem-

Svarez
lib. 5. de
lig. cap.
15.

Cajeta-
nus, Lef-
sus, Me-

pore prætereat, & expiret, tolli quoque à Principe, & expirare debeat exactio illius collectæ, & impositionis, quas tributū extra ordinarii nomine compellavimus: Et si aliter fiat, tunc necessitas publica assumitur pro formâ, re ipsâ verò fraus est, & rapina; pauperumque oppressio.

6. Imò aliquorum Theologorum mens est, nova tributa, si de eorum justitiâ à populo dubitatur, negari posse (præciso tamen scandalo, vel sublevatione, quæ contra Principem nunquam justificari potest) præsertim si collectam illam immediatè in persecutionem Religionis, vel protectionem turpis vel injustæ causæ applicaret. Malo enim nunquam licet cooperari. Idè enim gentium Doctor præstare jussit tributa, quia Ministri DEI sunt. Cum igitur à Ministerio DEI discedunt Principes, subditosque ipsos pervertere conantur, contribuendi cessat omnis ratio & obligatio.

7. Est etiam hæc, & ad nostrum scopum appositâ doctrina Theologorum: Nempè: licet Princeps subditis tributum extraordinarium imponere nequeat, si fiscus, sive ordinarium tributum ad publica onera sustinenda, & Reipublicæ pericula avertenda sufficiat; non tamen censendum esse sufficere, quando Princeps non potest se defendere, aut publicum bonum procurare, nisi ita se depauperet, ut nihil remaneat, quo adjuvari possit, si iterum intrâ breve tempus ab adversariis invaderetur; maximè, si multos infidiatores habeat: tunc necessarius est thesaurus, eò quòd Adversarii id scientes magis timeant, idèoque facilius pax Reipublicæ obtineatur. Quam Doctrinam Sylvestri veram ajunt alii Theologi, dummodò periculum rationabiliter in futurum timeatur, vel alia honesta ac rationabilis causa subsit, & non ad tegendam avaritiam, vel aliam iniquam dissipationem Principis intendatur. Hæc ex tripode theologicâ.

8. Et me castor! nemo prudens negabit ararium Imperantibus apprimè necessarium esse; sed ne sit spoliarium Civium, cruentarumque prædarum receptaculum, ipsa Ratio

dina, & alii.

Navarræ lib. 3 c. 1
0.255.Sylvestri,
Vasquez,
& alii.Vasquez de reit.
Cap. 5.
§. 3.

Statûs perſuadet. Nam ſi unâ vice exhauriuntur cives, & ad incitas rediguntur, quibus obſecro mediis deinceps, rurfus replebunt ærarii Vacuum? Neceſſe eſt, ut diſſolutio ærarii ſuccedat, ubi media, quibus ſucceſſivè redintegrari deberet, exhauriantur. Minuunt, cum augere videantur. Tiberius Princeps, licet avariſſimus, fatebatur tamen tondendas eſſe oves, non deglubendas. Spem ſemper relinquere nova tonſionis. Prædonum mos eſt, itinerantes ad obolum uſque, exſpoliare; quia illac reverſuros non amplius ſperant: Non ita Principes, quibus, extra ſubditos, nulla alia ſpes. Hinc pro arcano habeant Principes ex ipſâ Ratione Statûs: **Ut nunquam extraordinarias collectas impendant, niſi priùs legitimam, juſtâmq; cauſam ſuis ſubditis remonſtrent, ut indè perſpectum habeant, indiſtas collectas in ſalutem, vel dignitatem Reipublicæ vergere.** Ferrent illi libenter onus, ex quo futurum levamen iſperant. Commonuit paternè filium ſuum D. Ludovicus in teſtamento ſuo, ne ſineret ſubditis ſuis imponere onera ſine urgente neceſſitate, & compellente Regni utilitate, id eſt, ſine graviffimâ cauſâ. Etenim ſi rem ita ſe habere intelligit populus, libenter conferret in commune, quidquid poterit, quia nemo tam amens eſt, qui non cupiat rem ſuam agi, cum agitur omnium: felicitatemque cujuſque particularem dependere à felicitate, & conſervatione Principis & Patriæ. Cooperari tenentur omnia membra, in conſervationem totius corporis, dicat enim hoc ratio, & natura. Labantem Rempubli- cam quis ſuſtinebit niſi Princeps? & ex quibus, niſi ex ſubditorum tributis ſive collectis? in quibus eſſe Reipublicæ nervos, omnium Politicorum calculo verum eſt.

Alterum ex ipſâ Ratione Statûs monitum eſt:
Ne Tributa, ſive collectæ extraordinariæ,

riæ, aut vectigalia, modum excedant. A paucis accipit, qui nimium quarit. Solent etenim illæ nimis graves exactiones populum aut ad mutandum Statum, aut in rebellionem adversus regnantes incitare; quod ex Historiarum monumentis notorium est, ac ipsa persuadet ratio. Nihil enim populo libertate charius, & nihil infra tributa servilius. Perpetua est libertatis cum servitute colluctatio, & extremum Populi odium in tributa. Nemo jugum excutere nefas judicat, quod ferre non valet.

9. Tranquillus de Caligulâ testatur, inaudita quæque tributa & vectigalia geminatò exegisse à populo, primum per publicanos, deindè per centuriones, nullo rerum aut hominum genere omisso, quo facinore sibi tantum populi odium contraxit, ut illius instinctu adhuc in primâ lanugine triginta vulneribus confossus, ipse mortale vectigal exsolvere debuerit Charonti.

10. Quæ in Aquitaniâ seditio? quàm lugubris ibi regii Ministri casus? quanta deindè Regis in suos subditos vindicta? qui Burdigalensium motus? testantur ipsi Gallix Arnales, & hoc totum propter salinas & nimia vectigalia à Rege imposta. Ex eadem causâ Lusitania defecit à Rege suo legitimo, pars maxima Hispanicæ Monarchiæ. Quàm acre telum ad rebellandum tributa sint, cum graviora populis aliundè commotis imperantur, luculenter ostendunt Belgarum vicissitudines: adeò, ut tandem etiam amicæ Urbes aliàs DEO

Thuz-
nus in
hist.

Strada
de Buc.
Belgica.

religiosæ, & Principi fideles, ex insolitis angariis & tributis fidem perderent secederentque in partes. Etenim (ut notant illorum temporum Annales) Belgarum quærelæ de Albani Ducis severitate, superbiâque, non ultra execrationem, atque odium fuere. Nam supplicia paucorum sunt, quantumque multitudinem odio stimulat, tantum metu retardat. At verò tributum, propria cujusque jactura ducitur, quâ qui se gravius premi vident, cum re projiciunt quoque metum,

nullâ-

nullâque futurorum discriminum curâ; avertendæ præsentî, tantummodò injuriæ Ducem quærunt. Quævis alia facilius suffert populus; quàm ea, quæ rem familiarem auferunt.

11. Remedium olim tributorum Frisii ex bello, postquam questui & iræ illorum non subveniebatur, adversus Romanos quasiere, ut ipse Tacitus acerbè tulerit, inquiens: Eodem anno Frisii, trans-Rhenanus populus pacem exuere nostra magis avaritiâ, quàm obsequii in patientiâ, ubi per avaritiam tributa, aut nimis violenta, aut valdè gravia exigèrentur. Sic etiam à Roboâmo Rege Israëlitarum decem tribus defecerunt, cum tanta Regis onera ferre non ampliùs valerent; id verò contingit maximè, si imponantur tributa cum insultatione aut exactiōe militari, quæ graviùs affligit, præsertim liberos populos, quàm ipsa tributa. Discant Imperantes alienis malis sua evitare pericula. At verò vix sufficit solum servare modum, sed & illud caveant Principes:

12. Ne imponant talia tributa, quæ vix, aut difficulter, haberi, aut exigi possunt.

Difficulter possunt haberi ea, quorum in eo Regno vel copia non est, vel planè aliundè peti, & deportari debeant. Sic Frisiis à Drufo impositum erat, ut tributi loco coria bovum penderent, &, ut Olenius volebat, urorum terga. Quæ, cum apud Frisios nec nemora, nec saltus ferrent, armenta aliundè modica domi essent, illicò ortus est tumultus, & Tacito iudice, ejusmodi ardua imperari non debuissent. Difficiles conatus plerumque irrii sunt.

13. Difficulter possunt ea exigî: quæ supra minutias rerum, ut sunt edulia plebis: Vel supra insolita, qualia sunt folia lusoria, aleæ, res vestiariæ, caudæ animalium: &c. Vel supra inconvenientia, ut supra matrimonia, partus, funera &c. imponuntur. Hæc si Princeps solus exigat, præter hoc, quod

ejus-

ejusmodi angariæ, vel extremam Principis egestatē, vel turpem avaritiam indicant, exiguum indè extrahet lucrum, & cum solâ quæstorum exigentiū multitudine infumet duas tertias tributū, murmure interim contra se, & paupertate in subditis relicta. Si verò ejusmodi in censum Publicanis commiserit, ut fermè consuevit, ultrà modum exindè tormentabuntur subditi, à foeneratoribus illis, ex Principis privilegio, supra modum insolentibus, ut fermè aliud in Republicâ audire non erit, quàm iræ, imprecationes, persecutiones exactorum, & similia, quæ plerumque tragico epilogo clauduntur, vel seditionis, vel extremæ paupertatis; ditescens interea Publicanis; qui sibi fermè totum attribuunt, Principi particulam. Novissima prætereo, unum ex Joanne Magno exemplum in lib. 11. Margaretha Norvegiæ illâ, & Daniæ Reginâ depromo. 619. Hæc enim à Svecis, devicto Alberto, in Regnum assumpta, Svecos & Gothos gravissimis tributis exhaustit, ita, ut certam pecuniæ summam pro quâlibet caudâ jumentorum (ut non pridem unus alius Princeps ob omni pede animalium quorumcunque) exigeret: Florenum pro foco quolibet: marcham unam Stockholmiensem à quolibet Conjugio, præter alia gravia tributa, inter quæ fortè erat Vespasiani urinarium vectigal, quæ singulis mensibus imò hebdomadis iterabat. Insolita, iniqua, indigna hæc sunt Christiano Principe.

14. Ut autem onera & tributa libenter ferant subditi, in id incumbant Principes:

Ut æqualitas in tributorum exactio-
ne sine ullo respectu habeatur. Justum enim est æquūque, neminem immunem esse, cum ex æquo ad omnes utilitas eorum, in quæ infumuntur, redeat. Inæqualitas quantorum malorum causâ sit, liquet ex Florentinorum actis tempore Cosmi Medicæi. Tunc exortæ collisiones domesticæ, & tandem bellum civile, ob inæqualem tributorum exactioem, quibus tenuiores cives magis, quàm opulenti

Picolo-
minius
Com-
ment.
§ 51.

opulenti premebantur. Sed Cosmus fecit, ut singuli suas facultates in censum deferrent. Indè factum, ut ubique servaretur æqualitas, & nemo recusaret adferre sortem, quam omnes ferrent.

15. Neque refert, quod Nobiles in quibusdam Regnis, præsertim Galliâ, à tributis antiquo Privilegio exempti sint: ejusmodi enim privilegia intelliguntur de tributis ordinariis & annuis. Cum enim extrema necessitas Reipublicæ ingruit, cedere debent privilegia necessitati; quia non censentur data in fraudem Publici. Multum in populo operatur exemplum Magnatum, & Nobilium. Major character non eximit à subjectione, nec ulla alia ratio obstat, cur Nobiles non vellent partem exiguam suorum reddituum conferre, cum non solum eodem jure incolatûs cum popularibus gaudeant, sed magis etiam Republicâ fruantur. Deferri quidem prærogativæ debent merito & Nobilitati, sed ubi salus Reipublicæ controversatur, eadem est Nobilium & popularium sors, eadem conditio, idem vinculum subjectionis. Magnam laudem meruere priori ævo, qui tempore belli Svecici post infelicem cladem nostrorum penes Lipsiam Ferdinando secundo pro restaurando exercitu ultrò obtulerunt largissimum subsidium, inter quos, præter Hispanum Regem, & Ferdinandum Imperatoris filium, fuere præcipuè Princeps Eggenbergius, cum centum millibus Imperialium; Cardinalis Dietrichsteinus cum centum millibus Florenorum, cum totidem Antistes Viennensis, cum tantundem Comes de Michna, nec multominus Stralendorffius, alique cordati Magnates & Viri Nobiles, qui in necessitate publicâ prospexerunt abundanter Principi, & utiliter Reipublicæ.

16. Statuerant olim Consules Romani, cum ferox Hannibal incumberet hostilibus armis Reipublicæ; nec nautica res in promptu, nec pecunia in arario, nec remiges essent in navigiis, ut in tantâ necessitate privati cives ex censu ordinibusque sicut antea remiges darent cum stipendio ciba-

rilsque. At desuper fremebant cives, coque deventum, ut magis Dux, quàm materia seditioni deesset, dicebantque, se, ut dent, quod non habent, nullâ vi, nullôque Imperio cogi posse; Bona sua venderent, in corpora, quæ reliqua essent, sævirent, ne, undè redimantur quidem; quidquam superesse, In tantâ rerum perturbatione M. Valerius Lavius Senatum leviter perstrinxit, dixitque, ut priùs in Senatores, & Viros Consulares, Equitèsque, & postea in Populares censum statuerent, & illi exemplo suo inferioribus præirent, & Rempublicam singuli juvarent; effecitque, ut annulos sibi quisque, & conjugii, & liberis, quæve ad DEorum cultum spectant, reservaret, cœterum omne aurum & argentum, æs signatum ad Triumviros & mensarios extemplo deferrent, nullo antè Senatûs-Consulto factò, ut voluntaria collatio, & certamen adjuvandæ Reipublicæ excitaret ad æmulandum animos omnium. Exindè tantum auri argentivè collatum fuit, ut nec Triumviri accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent. Ita sine edicto, sine cohortatione Magistratus, nec remige in supplementum, nec stipendio Respublica eguit. Nemo ferre recusat, quam omnes patiuntur sortem.

Livius
lib. 26.

17. Hinc prudentes & sagaces Principes, ut in ejusmodi extraordinaria onera subditos alliciant :

Ipsi præeunt exemplo; nec solum quædam voluptati suæ subtrahunt; sed etiam suos privatos, vel patrimoniales exemptosque redditus in publicum conferunt.

Hoc unum satis erit, omnes in ultronem obsequium trahere. Cum Lusitani amoto Hispano Ducem de Breganza in Regem assumerent, & ob inopiam suam ille metueret tam lubricum fastigium, accessit Neo-Regem conthoralis sua, undequaque & præter morem ornata pretiosissimis gemmis, & Unionibus, ac præsentibus aliis Proceribus illum totum pretiosum ornatum marito obtulit in subsidium præ-

sentis necessitatis : quo exemplo commoniti Proceres, sibi ipsis ingentem collectam sive tributum indixerunt, mox ad obsequium Principis conferendum & in stabilimentum regii solii. Ita plus exemplo valent Principes Partonæ, quàm imperio.

18. Etiam antiquo ævo reperti Regnantes, qui, velut vatiniani ofores avaritiæ, sua priùs consignabant in ærarium publicum, quàm aliis imperarent. Id de Dario testatur Plutarchus, ac etiam de M. Antonino Imperatore, cui si bello parando subsidia deficerent, ipse vasa omnia aurea, argentea, chrySTALLINA, & myrrhina, gemmâsque & pretiosa quæque, quæ in Adriani ærario sive secretiori thesauro in abundantia repererat, cum aliâ etiam supellectile regiâ, mundoque conjugis suæ publicè divendidit, ne opus esset subditis tributa imperare. Magnum hoc exemplum est, sed imitatores nulli.

19. Verè politicum circa collectas extraordinarias sine strepitu habendas arcanum est:

Quando Princeps non imperat tributa, neque per vim exigit; sed precario requirit Status suos, præsentemque necessitatem exponit. Quod Principibus Austriacis fermè in more est. Verum quidem esse non diffiteor, Principum preces esse armatas, & pro imperiis haberi, interim populo, præsertim olim libertati assveto, aridet quodvis simulachrum antiquæ libertatis. Perindè est etiam Principi, an hoc vel alio titulo? an nomine collectæ, vel tributi? an subsidii gratuiti causâ replere valeat ærarii inopiam? Interim cum Tributi nomen odiosum, & populo ingratum esse constet; expedire aliquando videtur ab odioso illo nomine: & charitativi subsidii titulo potius tantundem quarere & fortè faciliùs consequi. Refert Bembus, Patritius Venetus, de suâ Republicâ, quod hæc in penuriâ publicæ pecuniæ, vel aliis

aliis ingruentibus Statûs necessitatibus subsidiorum tantum nomine petat à subjectis sibi civitatibus, pecuniaria auxilia, obtineatque ea abundantius, quàm alii Principes, quorum subditi audito solo contributionis, vel capitationis nomine, vel gemunt vel fremunt.

20. Porrò Exactores collectarum sæpè graviùs affligunt subditos, quàm ipsa tributa. Audaciam, temeritatem, insolentiam stabiliunt in authoritate Principis, prædonibus audaciores, furibus pejores. Fures cautè surripiunt, obscura quarunt: hi palàm & confidenter delinqvunt, laqueos illi timent justitiæ vindicativæ; hi, quidquid etiam iniquum operantur, justitiam putant. Hæc illos deterret à rapinis, hos impunitas præsumpta trahit in pejora. Parvi fures furcas, magni subsellia Principum occupant! Misera hæc temporum conditio, quæ jam in consuetudinem abit! Hæc sciunt ipsi Principes, sed connivent turpiter, nec existimant se esse participes, imò Authores tantæ temeritatis. Decipi volunt, nec verentur alios decipere exactorum flagitio.

21. Id verò viros probos crudeliter urit, non solum quod illi Ministri mammonæ nihil contribuant in publicâ calamitate, imò sibi lucri loco, conniventibus Principibus, non vereantur attribuere, vicesimam, quadragessimam, aut sexagesimam tributi partem; sed maximè, quod illorum substantia, quæ heri fuit exilis, in immensum excrescat, cœteris in extremam pauperiem dilabentibus. Circumagamus omnes quæsturas Orbis, paucas videbimus innocuas. Impunitate crescit hoc scelus. Ideò prudentiores Politici seriò commo-

Bodinus

U^t sollicitè dispiciant, ne amaritudo hæc affundatur tributo, fatis per ipsam naturam acerbo.

Cardi-
nalis
Riche-
lius.

22. At verò Principes nunquam dulciùs aures vellent subditorum, nec hi gratiorem vocem audient; nec illis se hi strictio-

ri nexu mancipabunt ; quàm si , sublatâ **Necessitate publicâ** , tollantur , vel minuantur **tributa**. Quod ipsum Theologi , & Jurisprudentes , hi de jure , illi de conscientia exigunt , politici verò dissimulando nihil decidunt , sed connivent. Interim hoc magnum amoris argumentum Principis in subditos , subditorumque in Principem reciproci obsequii incitamentum , omnes deprædicant.

23. Eiamnum benè audit Magnus ille Henricus IV. Galliaæ Rex , qui , pace cum Philippo factâ , vestigalia extraordinaria subditis remiseraat. Illis autem Popularibus , quos ex pacto habuit à Sabaudiaæ Regulo , tanquam novus Princeps , novis suis subditis , omnia tributa condonans , meruit , & Regis magni , & univerforum Patris dulcissimum nomen. Ubi hoc , aliis Principibus notatu dignum ! quod Henricus , remittendo tributa , in immensum tamen auxerit ararium , & magis refertum habuerit perdonando , quàm alii Reges Galliaæ post , & ante illum , angariando subditos. Nec hoc mirabitur quispiam , qui vitæ ejus instituta rationemque cognoverit , sed facilè fontem tantæ abundantiaæ inveniet. Ipse in capite administrabat ararium : paucos , sed integros , rei nummariaæ adhibuit Ministros : ac præ cæteris maximum ipsi præbuit in rebus suis **Parfimoniaæ** vectigal. Quidquid enim alii Reges , vel in fastum , vel in gulam , vel in inertes aulicos , vel in ludicra , & crepundia prodigebant , id omne ille in Usus publicos , & in obventuras necessitates reservabat. Et tu fac similiter mi Princeps , si in omnes necessitates promptum & expeditum exoptas ararium.

24. Quod si verò aliqua pars Regni vel populatio hominum per infortunium , sive casum fortuitum oppressa fuerit , vel grave damnum tulerit , **vel duntaxat limitate æquum erit Principi , vel remittere tributa**,

buta, & opitulatione suâ rursus in spem erigere. Remissio autem ejusdem vel tributi, vel præstatio subsidii fiat ad tempus, non in perpetuum.

Ita fit in Orientalibus & meridionalibus locis ob terræ-motus: In septentrionalibus, & mari adjacentibus ob aquarum inundationes, & maris infestationes: In provinciarum confiniis ob hostium irruptiones. Post belli incommoda perpessa, vel acceptas clades, ob devastationes camporum & fœgerum, vel depopulationes hominum. Nam afflictis non est addenda afflictio: Cessare debet inopum mœstus: sublevari pauperum solitudo, quo enim modo mendicitatem depellent, si continuo tributorum quæstu obruantur? necesse est, ut tales miseri, vel planè pereant, vel hostibus se dedant, quod sæpè factum, cum Principum Regnorumque irreparabili damno.

25. Nero Apaniensibus ex terræ-motu periclitantibus per quinquennium tributa condonavit. M. Antoninus Imperator quibusdam oppidis labentibus, non solum remisit onera, sed etiam auxilium tulit. Sic Tiberius, sic Pertinax, sic alii Principes subveniebant infortunio afflictis, aut desolatis Provinciis: vel tributa minuendo, vel planè remittendo, & quidem ex ipsâ Ratione Statûs, ne iste videlicet sub adversâ forte succumbat ac minuatur, sed conservetur potius, & erigatur in spem melioris fortunæ. Ex eâdem Ratione Statûs:

Tacitus.
Capitolinus.

26. Principes in limitaneis Provinciis nequaquam affligant populum insolitis præstationibus: imò præstat ejusmodi immunes esse, ut in fidelitate contineantur.

Satis, me Herclè! tributorum pendunt, si fideles manserint suo Principi. Periculorum hoc præmium est, quibus expositi sunt. Primi illi; qui se hostibus vel opponunt, vel

si à

si à fide degenerant, primi hostes intromittunt in Regnum. Continere hos tales oportet potius pensionibus dandis quam accipiendis. Nunquam illi securi de vitâ, de victu: armati agros colunt: diu noctûque excubant: mercatus nullus cum hoste: Sorte vivunt miserâ. Quæ spes ab his tribui? quanta temeritas, petere? quantum periculum, exigere? Nostrâ memoriâ rebellârunt Cossacci, Coronæ Poloniæ Vasalli, vel potius mercenarii, ob hanc unicam, sed verè magnam causam, quod Nobilitas Polona graviora, quam par erat, genti limitaneæ rapinis assvetæ, & continuo armatæ, tributa imperaverit, ac per Judæos exegerit. Batavi olim, nunc Hollandi, Romano Imperio adjectus populus, quia in limitibus Romani Orbis degebat, Tacito teste, immunis habebatur à communibus præstationibus, oneribus, & quibuscûnque collationibus: ac in usum præliorum sepositus, servabatur velut tela & arma, ad omnem hostium motum prompta. Eiusmodi populos habent Principes Austriaci in limitaneis locis, Croatia, Dalmatiæ, Hungariæ, & nuper recuperatæ Transylvaniæ. Hispaniæ Reges Canarias Insulas: Turcarum Imperatores in hunc finem utuntur Tartaris Europæis, licet quidem Ottomannæ Portæ Vasallis, liberis tamen sub proprio Principe, & immunibus ab omni impositione, nisi cum ad arma & rapinas in

Christianorum terras vocantur.





CAPUT VII.

*De diversis aliis mediis particularibus,
bonis & malis, augendi opes publi-
cas.*

1. **N**on docent errare, qui docent errores intelligere. Ita
Ncelebris ille Historicorum Princeps Cornelius Tacitus
Tyrannorum artes, & aliena usurpandi multa arcana historicè
retulit; non ideò tamen flagitia Dominationis approbavit,
nec se participem reddidit alieni sceleris. Aristoteles libro
secundo œconomix suæ, cum pro fundamento non evacuan-
di ararii posuisset: Impendia majora non facere, quàm sint
compendia sive fructus, subjungit varios modos pecuniam
colligendi (ubi necessitas publica id exigit) arariumque ex-
haustum replendi. Hos inter aliquos, licet æquitati repugnent,
refert, eos tamen Aristoteles non ut imitandos imperat,
sed, ut discrimen pateat inter moderatè providos Principes
& crudeliter avaros.

2. Ponit ergò Aristoteles primum modum, quo Prin-
ceps subditorum bona, (quæ aliquando possidebant) omnia,
sensim per varias & occultas artes ad se trahit. Sic olim Co-
rinthius ille Tyrannus prætendebat votum Apollini factum
de decimâ parte bonorum ipsi coacervandâ. Quod cum ac-
ceptâssent subditi primo anno, repetiit ille altero, & sic sub
specie Religionis pedetentim de anno in annum invasit & su-
stulit subditis omnia. Æquiore autem modo Josephus Ægy-
pti Pro-Rex ex procuratâ maturè, afflatû Divini Spiritus,
& subministratâ indigenis annonâ tempore septenariæ famis,
omnia fermè Ægyptiorum bona, vel in hypothecam, vel in
(Aaa) solutum

solutum data, vel ex fame demortuorum, ad fiscum relapsa, Pharaoni Regi, exactâ fidelitate subjecit.

3. Secundò ex eodem Philosopho Aristotele loca sacra vendere, quod Christianis vetitum. Item immunitates, & Privilegia; sed citra injuriam aliorum: Exulum quoque bona exulibus rursus venditò reddere: tam pro mortuis, quam recens natis exigere tributum: Jus Civitatis vel Nobilitatis nemini communicare, nisi inferat certam summam arario publico: quod etiam nunc faciunt Veneti Patres, & olim Austriacæ Provinciæ in cooptandis ad Provincialatum Nobilibus. Preciis rerum singulis addere nummum, qui in ararium referatur. Exigere tributa ab aliis rebus, in quibus subditi complacentiam habent, nec hi tamen illis destitui velint; ut barba, capilli &c. Sic Candalus, Mausoli Præfectus, cum Lydios capillis adeò delectari cerneret, literas à Rege allatas esse dixit, ut capilli eorum ad præmia mitterentur: quod si verò juxtâ capita postulatam pecuniæ summam malint tribuere, curaturum se promittebat, ut in Græciâ capilli emantur, Regisque mandato satisfiat, quod ultrò acceptârunt Lydii. Et Candalus immensam pecuniam ex tantâ hominum multitudine, pro capillorum liberatione emunxit, raro magis astu, quàm veritate Regii mandati. Eodem modo Dionysius Siciliae Tyrannus pro triremium ac rei navalis apparatu, subditis omnibus spontaneum indixerat tributum: Quod cum contulissent illi, illicò revocavit instaurationem rei nauticæ, quasi hæc opus non esset, & collatam largiter pecuniam, singulis collatoribus restituit plenè; collaudans summòperè eorum pro Patria zelum, qui plus contulissent. In sequentem autem annum rursus idem, & ex eadem causâ, tributum promulgavit; quod subditi æmulatione inter se maximâ, non solum promptè, sed largissimè, spe illius rehabendi, & gratiæ laudisque apud Tyrannum obtinendæ, ultrò deportârunt in ararium: Sed miseri graviter decepti! nunquam

quam ampliùs rehabuerunt , quod semel Tyranni avaritiæ omnia absumenti ingesserunt.

4. Tertiò, idem Aristoteles refert , multos Principes olim exegisse, & ampliâsse tributa per subornationem aliorum, qui multa pollicerentur, neque tamen tribuerent, & ex hinc cœteros allicerent, vel metu, vel pudore ad contribuendum ampliùs. Alii monetam augebant, alii corrumpebant, & adulterabant, & indè lucra (ego damna magis dico) se contrahere existimârunt. Alii proscriptos permiserunt Patriam redimere, vel mortis reos vitam eliberare pecuniâ. Multi præcipuos cives, sive populi Duces carceri mancipabant, donec reliqua communitas pendisset totum tributum. Multi detrahebant stipendiis militum, ast rarò felici exitu. Aliqui vel ex turpibus, vel ex vilibus rebus percipiebant tributa, ut Vespasianus ex lotio. Unde illud : *Odor lucri bonus ex re quâlibet.* Foeteat utcunque materia : ex quâ deductum lucrum; hoc olebit tamen præstantissimè, avaris videlicet illis Principibus, qui turpem utilitatem honestati præferunt. Et alii etiam Romani Cæsares, exhaustum ararium, opulentiorum civium gazâ, quos variorum criminum insimulabant, tanquam damnatorum bonis replebant. Quem in finem sub illis impiis Principibus Tiberio, Nerone, Caligula, infinita delatorum turba in omnes angulos, vicos, compita; planè in secretiora ædium immittebatur, quod apud ethnicos, & infideles, nec ratio, nec honestas, minus apud fideles christiana charitas admittere potest.

5. Narfinis, quod tumulo à Cæsare peremptorum, *hos pro libertate occubuisse*, inscripserint, magnam pecuniam indixit Octavianus, quam cum illi contribuere nequirent, oppidò & agris abegit.

6. Olim servi heris uxorem ducentibus, matronis puerperis, pueris natalizantibus coactâ voluntate contribuebant, quod etiamnum agunt Vasalli ergà Principes suos.

7. Non erubuit Caligula unam manum in publico foro

transeuntibus porrigere, ut Strenam annuam acciperet. Alii quoque Romani Imperatores hæreditatum per testamenta participatione, ærarium augebant. Quod Turcarum Sultani modò practicant, & ex demortuorum Bassarum, & Vesiriorum opulentiam relictis in orbitate, & egestate hæredibus, fiscum largiter implent. Solent quoque prius indicta die opulentiorum mensas frequentare, quos non tam cibariis sufficit reficere, quam pecuniis. Certo siquidem sæculorum numero, quorum quivis 500. Imperiales continet, ultimum obsonium condire debent. Denique omnium opulentiorum hæres necessarius est ipse Ottomannus Imperator. De Regibus Angliæ scribit Lentulus, quod cogendi pecuniam arbitrarium, non cogendi autem ad bellum subditos omnino potestatem habeant. Gallicum igitur bellum proclamant, & innumeram multitudinem, maxime locupletiorum, & bellum abhorrentium contrahunt. Potestate deinde factâ, si quis pecunia se expeditione redimere vellet: & ubi à maximâ parte pecuniam acceperant, pacem cum Gallo esse jubent.

8. Ejusmodi modos extorquendi pecuniam plerumque adulatores, susurriones, lenones, & dispensatores, vel potius dissipatores Regiæ pecuniæ suggerunt Imperantibus. Unde vel illi suam prodigalitatem cooperire, & exhaustum rursus ærarium replere, vel ipsi Principes nova rursus media prodigendi, & in res inanes infumendi corradere valeant. Avertant superi spongiosos hos homines à Republicâ, & à latere Principum! Usu quidem expertum est magna pecuniæ vi opus esse ad Reipublicæ defensionem, sustentationem, conservationem: non tamen ideò à recto & honesto desectendum. Dantur siquidem alia etiam media & adminicula, quibus penes bonam œconomiam & administrationem opum publicarum, magna audere possunt Regnantes citra læsionem justitiæ, & æquitatis, quæ unicum salutis publicæ fundamentum est.

9. Hollandiæ aliquando Ordines, cum publicæ opes impen-

impensis in tot bella, & alias Reipublicæ expeditiones non fuissent, publico edicto, ac etiam promissâ mercede invitârunt subtiliora ingenia, ad excogitandam aliquam tributi sive vectigalis, sine subditorum gravi onere, rationem.

Duo quasi attigerunt scopum, & suum quisque imponendi tributi facillimum modum Ordinibus obtulit.

Unum fuit Chartæ sigillatæ inventum, aliud litium & processûs Judiciarii vectigal. Illud comprehendebat omnia instrumenta sive publica sive privata; quæ offeruntur Principi, aut inferioribus Magistratibus, vel ad petendum, vel ad exequendum, vel ad declarandum, & veniunt supplicum libellorum nomine. Item omnia instrumenta litigiosa, judiciaria, & forensia: Rursus contractus omnes privati, venditionis, emptionis, locati, conducti, dotalitii &c. Omnia testamenta, donationes, chirographi obligatorii, denique omnia, quæ aliquam obligationem continent, & in iudicium aliquando deferri possunt. Hæc itaque publico sigillo chartæ impresso, quasi, authenticabantur à publica potestate, cui ob impressionem sigilli pendebatur certum tributum leve, modicum, congruum, ut scripturæ substantia, vel valor major vel minor exigebat tributi majoris vel minoris rationem: Placuit Ordinibus inventum, nec multum displicuit subditis, cum ab hoc edicto pauperes & plebeji in rebus necessariis non solum eximebantur, verum etiam alii locupletiores non multum, nec sine causâ persolvebant; Interea tamen ob quotidianum chartæ usum plurimum inferebatur arario publico.

10. Alterum autem sive vectigal iudicarium, quod imponebatur temerè litigantibus, id est, cadentibus causâ, non solum cessit in emolumentum Reipublicæ, sed etiam in emendationem eorum, qui jure quarunt, quod injustum est. Nemo etiam agrè ferre potuit hoc vectigal, quod pendere nemo cogebatur, nisi qui impudens, & iniquus fuisset. Nec culpanda eorum Principum providentia, qui malis moribus multas pecuniarias ad fiscum deportandas statuunt luxurique

vestium, supellectilis, auri, argenti, gemmarumque modum ponunt, & rursus licentiam concedunt iis, si tributum desuper indictum persolverint.

11. Neque illicitum censemus in communi necessitate foeneratores, usurarios, publicanos. Item quaestores, & exactores, quorum divitiæ ex publico crevere; ad plus contribuendum adigere, & ejusmodi spongas, civium sanguine & lacrymis plenas, exprimere, ut tandem publicæ utilitati opitulentur, quam aliquando (proh nimium) defraudarunt. Quos, si suspecti sint? juvabit in iudicium vocare: si convicti? planè nec hæredibus bonorum parcere.

12. Taxa supra frumentum, & coetera comestibilia, sicut, & passim in usu est, ita in illâ abusus magnus; Si inde opprimantur pauperes, satius erit in gulosa, & epicurea, quibus pauperes non utuntur, sed locupletiores abundant, animadvertere. Ejusmodi taxæ Accisorum nomen imponitur, sicque à rebus venum expositis centesima, vicesima, decima exigitur. Centesima fuit sub Augusto, quam Tiberius reduxit in ducentesimam levato civium onere. Decimam multi Principes tentavere, quibus aliquando benè, sapius malè successit.

Hispanis est in usu decima pars de venditis stabilibus, quod Alcauala dicitur, & de anno in annum auget ararium quadraginta millibus aureorum.

13. Sunt etiam in quibusdam Regnis tributa matricularia, quæ quisque ex indigenis pendit de iis, quæ possidet in Regno. Vestigalia ex omnibus mercibus terræ marique in Regnum investis plurimum addunt arario, maximè si quædam merces peregrinæ inhibentur, & inhibiti pecuniâ redimi debeat. De mercibus autem aliò deportandis ex patriâ dictum est supra de commerciis.

14. Metallifodinæ, licet multas exigant expensas, cor tamen, & anima sunt ararii, & proprium Regale Principis, atque (si cui fortuna faveat,) vena perpetuò scaturiens opum publi-

publicarum, sine ullo onere subditorum. Felices Principes, qui hoc subterraneo thesauro pollent, dummodò pars major illius inter tot contingentium manus non dispareat. Gallia quidem argenti- & auri-fodinis destituitur, sed illarum loco ex copiâ salis, quod indigenæ carò emere coguntur, maximos extrahit proventus levissimo labore, ut reipsâ ac sine fuco dici possit, in sale aurifodinas esse Gallia. Accedunt proventus ex vacantiis ecclesiasticis, qui in Galliâ maximi & frequentes sunt. Venditiones officiorum: Elocationes Gabellarum, & infinitarum impositionum, sub quibus quidem etiam: sed magis sub exactorum, & publicanorum (qui ejusmodi à Rege pecuniâ præoccupant, aut conducunt) importunitate, & iniquitate gemit, & suspirat populus, ut jure in disceptationem veniat, an expediât ejusmodi exigi ab ipso Principe per suos ministros, an verò aliis privatis (utique cum horum lucro maximo) vendi & elocari, pro certâ pecuniâ, quam illi plerumque in solutum, vel in partem Principi anticipare, vel in menses singulos, aut alia anni tempora exsolvere tenentur.

15. Periculosum sanè est opes Reipublicæ credere fidei privatorum, tam ob defectum authoritatis, exigentium, & morositate subditorum; quàm ob metum, ne illi nimium stringant subditos & luci cupiditate opprimant; vel si tandem impares conventæ pecuniæ reperiantur, ne foro cedant, & discrimen subeat respublica. In manu & Potestate Principis maneat ea, quæ Rempublicam conservant, quæ subditos premunt, quibus Princeps compati potest, alius non vult.

16. Publica privatis non nisi administratoris modo committi debent. Secus intercedent iniqua luci aucupia, fraudes, angariæ, & multifariæ populi oppressiones sub specie authoritatis publicæ, quâ abutuntur ejusmodi publicani. Quis enim tam odiosa, sæpè etiam periculosa, semper autem laboriosa in se suscipiet pacta cum Principe, quibus vix ipse par est; nisi cum spe ingentis fœnoris, & luci, quod autem extrahi

trahi nequit, nisi cum expilatione subditorum. Interim tamen res in consuetudinem abiit, tam in Galliâ, quàm in Belgio & confœderatis Provinciis : & planè etiam paucis abhinc annis, apud optimos & clementissimos Principes Austriacos ; quorum suggestores fortè non penetrant, quod hâc successivâ imminutione opum privatarum, quæ per ejusmodi foeneratores certò certius causatur, tandem nihil habebunt, quod dare subditi, vel arario inferre possent.

17. Lucrum ex monetâ, sive auctâ, sive imminutâ, sive alteratâ, magnum arario advehit emolumentum, si tamen emolumentum dici potest, quod plerumque in Rempublicam invehit confusionem, malâmque fidem exadulteratâ pecuniâ. Nulla majora damna sunt, quàm famæ, fidei, & ubi subditorum opes insensibiliter decreseunt: quod fit ex adulteratâ monetâ, quæ specietenus ditare videtur subditos, re ipsâ nihil est ob defectum intrinseci valoris. Boni Principes non speciem curant, sed rem; néque se, néque suos subditos multa possidere videre volunt, nisi re ipsâ habeant: Potius abominantur ut pestem & ut extremam luem avertunt à Republicâ corruptam monetam. Enimverò sæpè non Principes, sed foeneratores, campsôres, negotiatores, peregrini &c. in iis maximè Provinciis, ubi urgent commercia, & continuus fluxus, & refluxus est tam hominum, quàm pecuniarum, inferunt sensim & successivè adulterinos nummos, & exportant optimos, cum finali tabe totius Reipublicæ. Præoccupandum his solerter: vel jam aucto malo monetario, prohibendum in Republicâ edicto publico: eâ tamen ratione, ne ex festinatâ nimium mali prohibitionem, malum majus, & deterius gignatur. In Reipublicæ administratione aliter considerari debent, qui malè agunt, aliter qui patiuntur. Illi mali, hi miseri sunt, qui agunt, statim puniri, qui patiuntur, sensim juvari debent. Ne decepti falsitate Monetæ, planè in inopiam redigantur. Monendi potius in tempore, ut permutatione mercium, vel pecuniæ melioris, apud externos Vicinos, amendant

dent monetam prohibitam, séque ipsos, & Rempublicam indemnem habeant. Omnium autem optimum remedium futurum, si bonam defectuosæ pecuniæ substituerit Princeps, præsertim si hæc externa fuerit, habitâ inprimis intrinseci valoris ratione.

18. Capitatio quoque inter arcana replendi ærarii numeratur: à 7mo videlicet, usque ad 70mum Annum, inter quod tempus censentur omnes, & in singula capita hominum statuitur census pecuniarius deferendus in ærarium Principis. Capitatio alia arithmetica est, alia geometrica: Illa simpliciter fit sine respectu ad facultates, & est census quidam in recognitionem dominii tantum, usitatus maximè apud Turcas, & alios Barbaros, & quondam sub Tiberio Cæsare, cui se ipse subjecit unigenitus æterni Patris Christus secundum carnem humanam. Geometrica verò secundum proportionem facultatum imponitur, & non est una omnium capitatio, sed multiplex & diversa ut hominis conditio, Status & facultas est. Minus habet iniquitatis posterior à pauperioribus ad locupletiores onus devolvens. Alii quoque modi sunt corradendi pecuniarias opes augendique Principis ærarium, sed Imperantes illi, qui gloriam quæstui præponunt, apprimè satagunt, si vetera alleviare non valeant onera, ne saltem nova comminiscantur, néve suis propriis parcant, ut parcere queant universis.





CAPUT VIII.

De extremis remediis juvandi Ærarium.

1. **I**N arenâ consilium periculosum, sæpè tamen utile. Extremis malis dare remedia, ipsi Podalirii & Machaones, alia vix queunt, quàm extrema. Et in rebus Politicis licebit cum Tacito effari: habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependitur. Hæc namque utilitas, hæc salus publica, hæc conservatio Reipublicæ ad extrema impellit Principes. Ubi domesticâ illi destituuntur ope, ubi sua propria jam contulère; ubi ærarii exhaustæ vires; ubi concidère arma & miles; ubi cœperunt flaccescere commercia; ubi tributa vix sufficiunt ad ornamenta Pacis; aliò profectò flectenda mentis acies: ingrata, insolita, difficilia sint licet. Principes inviti trahuntur ad extrema remedia in extremis periculis. Et hoc ex jure & plenitudine Majestatis, quæ omnium est domina. Ut divini vatis ore expressum: *Omnia, in quibus habitant filii hominum, petre, agri, volucres Cæli, & universa sub ditione Regis. Cujusnam erit, dixit ad Saulem, Propheta Domini Samuel: quod optimum habetur in Israël? an non tuum erit, tuæque familiæ?* an non tot Populi, & gentes velut publico homagio confessa dicebant ad Regem Nabuchodonosor? *Omnis Civitas nostra, omnisque possessio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregesque ovium, & caprarum, equorumque, & camelorum, & universa facultates nostræ & familiæ in conspectu tuo sint: sint omnia nostra sub lege tuâ, nos etiam & filii nostri servi tui sumus.* Denique tantum Principis est, quantum omnium.

2. Exindè licebit Principi in necessitate publicâ , cum opes publicæ, quales sunt ararium, tributa, vectigalia, collectæ &c. non satisfaciunt, Privatorum opes & bona, qualiacunque aggredi vendendo, demolendo, commutando, cedendo &c. sicque salutis Publicæ providere. Dixi: *Saluti publicæ*. Nam Principes Dominium suum circa bona privata suorum subditorum non exercent, nisi quando Reipublicæ salus agitur. Extremum hoc ad opes publicas conquirendas remedium est, & necessitati innititur maximæ. Hæc cuncta exsuperat. Huic cedunt jura omnia privatorum. Nulla potentia ejus effugit leges obsequi. Licet suum cuique relinquere, jubeat justitia, & lex divina, nec Princeps tollere valeat jus quæsitum: nec unius Dominium sine facto illius, transferre in alium: attamen ubi controvertitur salus populi & universorum, quæ Regina legum omnium est, necesse est, ut huic uni condescendant omnia alia jura.

3. Quod si tamen mutatis rebus sine Reipublicæ jacturâ pretium restitui, vel indemnitas haberi is poterit, cui quidpiam Reipublicæ causâ ablatum est; æquitati consentaneum erit refarcire damna. Exemplo Tiberii, qui conquerente Pio Aurelio Senatore, mole publicæ viæ, ductuque aquarum labefactatas ædes suas, resistentibus licet ærarii Prætoribus, subvenit, pretiumque ædium ipsi tribuit, quod in Annalibus commemorat verbis plausibilibus Tacitus.

4. Ex eadem ratione quantumvis Princeps ea, quæ sub totius Reipublicæ Patrimonio comprehenduntur & vocari solent *bona Coronæ*, (ut apud Galliæ Reges) nec vendere, nec commutare, nec abalienare valeat: Attamen ubi salus publica, & Reipublicæ necessitas aliud exigit, nihil obstat. Utilitate namque communi parent omnia privata aut minùs publica; nihil autem tam publicum esse potest, quam salus universorum. Erexerat aliquando in Atheniensium salutem,

adversus Spartanos, muratum propugnaculum Themistocles, quod postea Theramenes diruendum svasit Atheniensibus; reclamante Cleomene: an non puderet muros dejicere, quos invitis Spartanis Themistocles erigi curasset? Respondit ille: Ego vero Themistocli nihil contrarium facio. Quos enim ille muros excitavit pro salute publicâ, eosdem ex eodem fine demolendos svasdeo. Multa quæ olim erant utilia, desiêrunt esse talia, facta deinceps potius perniciofa. Præsens Reipublicæ necessitas exigit ea sæpè amplecti, quæ olim abhorruimus.

5. Alterum remedium in necessitate publicâ, & quidem multò mitius ac usitatius est: **Contrahere æs alienum, five cum usurâ, five sine usurâ, vel apud subditos, vel apud vicinos.** Id apud Europæos Principes, non tamen ita apud Barbaros, in longo usu est. Ut parcant subditis, seipsos obligant; interim plerumque onus solvendi rejicitur postmodum in humeros subditorum. Rem tristem exemplis non declaro. Henricici tamen secundi Galliæ Regis subtile inventum fuit. Is exercitum suum, à Cæsare casum, refecturus, convocatis tribus Regni sui Ordinibus per Cardinalem Lotharingiæ proposuit, & sanxit, ut ex quâlibet provinciâ (quæ Regnorum instar sunt) deligerent mille Provinciales, quorum singuli mille coronatos absque usurâ Regi in creditum darent solvendos expleto bello. Obtinuit: sicque ingentem summam arario jam planè vacuo comparavit; Undè exercitu restaurato, magna auspiciatus, feliciter confecit omnia. Æs alienum auget quidem ararium, sed fidem imminuit Principis, sæpè etiam existimationem, quæ multum fulcitur divitiarum famâ, quam æs alienum corrumpit.

Weber.
Mem.
48+

6. Æs alienum ingravescens, ait quidam recentior, non multum differt à morfu aspidis. Sicut enim quispiam ictus ab aspide, quasi svasi delectatus sopore corripitur, & per

sua-

svavitatem soporis moritur : ità qui pecuniam sub usurà accipit, sentit ad tempus quasi beneficium, sed interim usura per omnes, aere alieno gravati, facultates decurrit, & totam hominis substantiam in debitum convertit, spoliâtque debitorem suis omnibus. Germanorum diverbium est: *Mutum* habere *Novercam*, quæ vocatur *Vende*, hæc genuit *filiam* cognominatam *levi pretio* : hujus frater est : *Apaga foràs*. Istud quidem ad privatos magis spectat; Sed hoc etiam plusquam liquet, quod obaratus Princeps nihil unquam magni aggredi audeat, nec possit. Illud Pusillanimitas ex continuâ necessitate inhibet : hoc desperatio ex memoriâ tantorum debitorum reddit impossibile, sed utrumque ipsius imperantis culpâ obtingit. Cum enim in tempore non abstinerit à contractatione aëris alieni, séque in necessitatibus non restrinxerit; incipiet tandem minimè futurorum sollicitus, sensim asvescere alienis opibus, easque, quæ publicæ necessitati debentur, in luxum extremum convertere, in libidines privatas, in adutores & privatos seu intimos aulae, & in inania quæque. At providi rerum Principis est, ita vitæ rationem cum Alexandro, Antonino, & Trajano Imperatoribus Romanis, instituere, ut ex suis bonis privatis, sibi suisque sufficiat; & arario ex publicis opibus confecto, nunquam utatur nisi ad necessitates publicas, & ex accidenti obortas. Quisquis Imperantium non ita egerit, necesse est, ut deinceps ex aere alieno scaturigines sibi faciat arario replendo.

7. Octavius Fronto Praturâ functus persuasit Tiberio in arctum esse contrahendam argenti, facti, & infecti, vasorum Corinthiacorum, & quidquid pretiosæ supellectilis, item famulitiû & servorum amplam possessionem. Eodem modo Quintus Haterius, Vir Consularis, tracto in sententiam suam Senatu, decretum tulit, nullatenus adversante Tiberio : *Ne vasa amplius auro solida, ministrandis cibis fierent, ne Vestis serica viros scædaret.* Avaritia nulla est, moderatè inter terminos honestatis vivere, sed hos excedere, & rapinis, ac tri-

butis subditos exspoliare, rémque publicam ære alieno obruere, hæc quinta avaritiæ essentia est. Luxus, & avaritia indivi-
dui comites sunt, sicuti parsimonia, & opes.

8. Ex eâdem publicæ necessitatis causâ etiam ab Ecclesiasticis extraordinariæ collectæ (nam de ordinariis realibus & feudalibus nullum dubium est) exigi possunt, quia Ecclesiastici etiam pars sunt Reipublicæ, cujus necessitas illos tangit. Ecclesiastica tamen bona ad instar sacre anchoræ se habent: Religiosè itaque habenda, neque temere violanda, nisi Reipublicæ salus & necessitas ita velit.

9. Opem autem ferunt Ecclesiastica Bona duobus modis: vel cum supellex sacra divenditur, vel reditus & proventus Ecclesiastici in sumptus necessitatis publicæ adhibentur. Primus modus nisi in extremis, secundus sæpius Authoritate Apostolicâ permissus. Ejusmodi Ecclesiæ auxilia Gallia, & Hispania, illa adversus domesticas hæreses, hæc adversus Mauros & infideles Indiarum populos, sæpè experta. Emanuéli Lusitano Regi Papa Leo indulserat Bullam, quâ permittebatur Regi facultas magna in reditus Ecclesiasticos; at summo-
perè querebantur desuper hi: nec Regi visa sufficiens causa, sed à susurronibus instincta: Bullam igitur Rex Ecclesiasticis reddidit, & exemptos fecit. Illi verò in thesauram gratitudinis centum quinquaginta millia coronatorum Regi obtulerunt: an libero, an invito animo? dubium est. Rex enim exindè parum profecit, imò potiùs omnia inauspicatò gessit. Semper in damnum suum inhiant Principes rebus juribusque Ecclesiasticorum.

10. Nec satis est quamcunque prætexere causam, aut Pontificis obtendere licentiam, nisi de necessitate Reipublicæ manifestè constet, adèò ut Pontificis licentia non sufficiat, nisi adsit Reipublicæ necessitas, vel magna utilitas.

Ut plurimum verò concedunt Papæ Principibus partem reddituum Ecclesiasticorum ob bellum Religionis vel adversus hære-

hæreticos, vel infideles Saracenos, aut eliberanda loca sacra ex potestate infidelium.

Sic Alexander VI. ut Maximiliano I., & Venetæ Reipublicæ, utriusque piè decertanti adversus Turcam. Sic Leo X. Francisco Primo, sic Carolo Quinto Paulus tertius, sic Leopoldo nostro Innocentius XI. aliique Pontifices ex sacris redditibus opitulati sunt.

11. Modestia Principum, Ecclesiasticos reddit promptiores ad subsidia: cum Imperantis preces arctius vinciant, quam mandata. Interim tamen Richelius Cardinalis in Ministerio Galliæ asseverat: In potestate Regum esse, Ecclesiasticos, necessitate urgente, ad partem reddituum erogandam adigere, ut subveniant Reipublicæ, cum bona ecclesiastica ejusdem sint conditionis cum cæteris per eum cursum rerum. Neque enim per Filium DEI, aut Apostolos à tributo communi eximebantur, Ecclesiâ id temporis bonorum immobilium vacuâ. A pietate igitur Imperatorum, & Regum hanc, obtinent gratiam, eâ tamen lege, ut summis Reipublicæ necessitatibus ne desint, cum successoribus sine scrupulo liceat receptare necessaria.

12. Olim nefas erat panem propositionis vesci præter Sacerdotes & Levitas, sed cum David fame periclitaretur, non veritus est à Sacerdotibus petere, neque Sacerdotes panem sacrum abnuertunt. Cujus exemplo Christus ipse defendit discipulos suos, vellentes spicas, die Sabbathi, adversus Phariseos objurgantes, quod discipuli Sabbatho per fata irent, & spicas vellent, manducarentque. Necessitas quidem excuset non potest sive natura, sive Ratio Status. Excusant Historici Fridericum Ahenobarbum, quod in summâ inopiâ à sacris locis subsidia acceperit, quibus deinde, cum melius habuit, largiter benefecit. Utróque deindè jure ob necessitatem urgentem Bona Ecclesiastica alienari posse certum est, etiamsi necessitas sit tantum privata, quanto magis, si publica,

dum de
rebus
Eccle.
alien.
lib. 2.
offic.
c. 28.

ca, unius Regni vel Provinciæ? Luculenter de hoc differuit S. Ambrosius: Docuimus multò commodiùs esse, ut animas DEO, quàm aurum serbaremus. Aurum non habet Ecclesia, ut seruet, sed erogat & subueniat in necessitatibus, quid opus est custodire, quod nil adiuuat? an ignoramus, quantum auri & argenti de templo Domini Assyrii abstulerunt? Nonne meliùs ea conflant Sacerdotes propter Eleemosynas pauperum, si alia subsidia desint, quàm sacrilegus contaminata auferat hostis? Nonne dicturus est Dominus? Cur passus es tot inopes fame emori? & certè habebas aurum, ut ministrares alimoniam? Cur captivi deducti sunt in commercio, nec redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? melius erat vasa viventium serbare, quàm metallorum. His non potest responsum referri, quid enim diceres? timui, ne templo DEI ornatus deesset, responderet: aurum Sacramenta non quaerunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum est. Et verè illa vasa sunt pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Hæc S. Pater.



CAPUT IX.

De Augmentatione Statûs.

I. **A**ugmenta Statûs varia sunt: vel inter Pomœria sua, vel extra.

Inter Pomœria sua vel augetur *in populo*, vel *in artibus*, vel *in ipso territorio* & Provinciâ.

In Populo fiunt augmenta primò per introductionem peregrinarum coloniarum, de quibus suprâ. Secundò per affectum populi: sat potentes sunt Princeps illi, pro quibus

stat

stat populus universus. Tertiò per reformationem morum, institutionem Magistratum administrationem justitiæ: per leges sumptuarias, per publica studia, per præmia & supplicia. Sat habent in his imperantes, quòd impendant conatus suos.

2. In Artibus autem, sine quibus nulla floruit Respublica, augebit Princeps Statum suum, si vel introduxerit novas, vel auxerit antiquas, vel utrisque tolerabilia & congrua imposuerit vestigalia. Vigor Artium plebis excutit otium: Nullus seditionum metus ab industriosa & occupata plebe. Et profectò nulla etiam res, quæ Statum ditare, & augere magis possit, quàm artes, & industriæ hominum, quarum aliqua necessariae sunt, quæ ad victum, amictum, & habitationem pertinent: aliae commodæ & utiles, quæ ad defensionem & conservationem vitæ civilis spectant. Aliae serviunt pompæ & ornamento: aliae palato: aliae omnibus: aliae quibusdam: aliae bello, aliae paci: omnes verò pretium mercedemque laboris exigunt. Exindè promanat populi invicem continua communicatio, vendendo, emendo, fœnerando, commutando, transportando, adeò ut talis respublica videatur esse in perpetuo motu & pecuniarum indefinenti fluxu & refluxu. Selimus Turcarum Imperator multa millia artificum ex Ægypti & Tauri partibus Constantinopolim deduxit. Et Poloni, cum Henricum Andegavensem ad Coronam postulassent; inter cœteras hanc etiam ponebant conditionem, ut centum familias excellentium artificum Poloniae Regno inveheret. Princeps, qui connititur suum Statum sive Populo, sive pecuniis augmentare; connitatur priùs fovere, ac promoverè artes: neque crudam materiam ex suo statu exportari sinat, sed elaboratam, ut laboris pretium in statu remaneat, nec cum crudâ materiâ aliò emigrent artifices; sicque & Populus & pecunia minuatur.

3. In Territorio ipso Statùs maxima quæque emolumentum

lumenta Reipublicæ obtingent, inculta colendo, & culta meliùs excolendo. Quanti Principes possunt ex suis propriis terris meliùs cultivandis eruere milliones auri, quos quærunt apud miseros subditos per immodica tributa, capitationes, & quandoque usurpationes iniquas, sicque ad incitas redigunt subditos, & sterilitati mancipant campos cum subditorum detrimento, & nullo Statûs augmento. Ne dicam de pretiosissimis metallis, auro, argento, ære &c. quæ in visceribus terræ multis jam sæculis expectant industriam alicujus Principis, qui meminerit, non tantùm rapinis, & alienis usurpationibus, sed etiam ligone, & malleo, posse opes comparari. Leo Imperator duas artes dixit, quæ Rempublicam constituunt, Agriculturam nimirùm, in alimentationem militiæ; & Militiam in defensionem Agriculturæ. Maximè augebit Statum Princeps, si omnem operam impendet, ut sterilitas camporum ubertate reficiatur fructuum; ut arida humectentur aquæductibus: ut paludes, & stagna exsiccentur declinatione aquarum; ut dumeta & arbusta evellantur ex vallibus; ut montes inculti plantentur vitibus, vel excolantur in agros aut saltus, & ad ejusmodi agriculturæ studia, quorum non pudit alios magnos Imperatores & Reges. Imperator Pertinax plenum eorum dominium concedebat illis, qui inculta & deserta excoluissent in spem ubertatis. Tiberius, Tacito teste, magna planè operatus est in excolendis circa Romam campis, & multoties arte emendavit naturam, exsiccando fluida, inaquando sicca, complanando clivosa: nec pepercit sumptibus, nec dandis præmiis abstinuit, ubi ex culturâ emolumentum speravit. Veneti multum præstiterunt in suis lacunis ad delictum & commodum patriæ. Nec minora Duces Florentini, Principes Estenses, Cives Mediolanenses & reliqui Principes Itali; ut Italiam indè jure Europæ paradysum dixerim, omnibus non minùs deliciis, ac naturæ commodis affluentem. Hæc Statûs augmenta tutissima sunt, quæ sedulus Prin-

ceps sine strepitu, sine subditorum magno onere, sensim & successivè intra pomœria sui Imperii procurare valebit.

4. *Extra Statûs pomœria* verò augmenta fiunt non modica, licet adversæ, vel propitiæ forti magis subjecta, tam apud amicos, quàm suprâ inimicos. Et hoc quidem primo armorum bellicque fragore, ut Lacedæmonii, ut Romani, ut Scythæ, ut Gothi, ut Hunni, ut Vandali, aliæque barbaræ gentes, quarum cum ferociam, & multitudinem angusti patriæ lares ferre nequibant; disjectis, velut torrens, repagulis, exundârunt in aliena Regna, Imperia, & Provincias, ubi, devictis indigenis, stabilierunt suum dõminatum. Licurgus omnes suas leges ad belli artes, & victoriæ fructus direxit, tenuitque semper subditos suos in armorum exercitio contra alias gentes occupatos, nunquam quæsito per pacis artes augmento sui Statûs. Martis ac Bellonæ filium se probasset Romulus, (cui isthæc Numina propitiæ semper fuère in omnibus expeditionibus belli, & pacis, tam contra vicinas, quàm longè distitas gentes) nisi constaret lupæ lactatum uberibus, indè fuisse sanguinis humani indefinentem sitim. Raptus Sabinarum primum attentatum fuit augendi per generationes, ex Romanis & Sabinis, Statûs sui amplitudinem. Raptum autem hunc, & provectionem armorum in alias gentes sicuti *Belli gloriâ*, ita *Statûs necessitate* cohonestavit. Unde omnes alii Romuli successores, ad belli titulum sufficere gloriæ aucupium; & in usurpatione alieni, justiciam ex necessitate esse existimabant, si victoriæ sequatur. Hoc fucò deindè in ruinâ aliorum populorum, suum fundârunt latè patens Imperium ab Oriente in Occidentem usque. Enimverò leges Romanorum omnes collimabant ad acquirendum, augendum, crescendum, extra territorii sui pomœria. Nec absque causâ: Nam Status eorum primitus erat exilis, modicus & sterilis; viri & indigenæ autem fortes, & magnanimi; consequenter tacitus omnium legum, intentionúmque eorum finis, fuit *bellum, arma & alieni occupatio*. Belli siquidem sua

jura sunt, sicut & pacis. Hinc nemini mirum sit, si deinceps Roma in sua viscera sæviit. Cum enim subjugato quasi toto mundo aliud amplius non haberet, nisi conservationem suæ libertatis; hanc tamen ipsam non erubuit aggredi per suos cives; qui Bello assueti, ampliora, majora, ulteriora semper quærerent; neque tamen reliquum cupiditati suæ quidpiam scirent; in se ipsos igitur arma moverunt, & ex longis collisionibus super se ipsos dominatum obtinuerunt; redactâ in servitutem libertate: ut planè è ratione Status videretur, si super tot Reges, quot civis unus imperaret. Hac ratione Romani extra sua pomoeria auxerunt imperium domi perditâ libertate. Ad eò fortunæ solitum est quoscunque gloriosos ausus semper aliquo nævo inquinare.

§. Alexandri Magni extrâ pomoeria Græciæ suæ, totum Mundum invadentis, ad virtutem moralem proximius accessit finis, quàm Romuli & Romanorum. Ille etenim Philosophiæ quidem totius præceptis instructus; sed illo magis imbutus dogmate Zenonis, Philosophi Stoici, asseverantis: universos homines, cum eadem sint specie omnes, licet quidem divisi per populos & nationes; sub unâ eademque tamen lege ac conformitate morum vivere debere veluti omnes unius Reipublicæ Cives, & unius Mundi patriæ compatriotæ. Et sicuti non nisi Mundus unicus est, & unus Sol, ita non plures nec diversos, sed unum oportere esse vivendi modum, unam omnium patriam, unum omnium patrem, Regem & Dominum. Ac proinde Magnus ille Græciæ Princeps, non minùs sapientiâ morali præditus, quàm patientiâ, temperantiâ, & fortitudine imbutus suscepit arduum hoc negotium reformandi Reges barbaros, gentes & nationes virtutis ignaras, nec non populos illos silvestres, expertes omnis humanitatis, ad Græciæ suæ mores, & civilitatem reducendi. Certum quippè est, eâ rerum tempestate in solâ Græciâ viguisse literas, leges, disciplinam morum, consilia, artes; & nusquam alibi partium Mundi, vel saltem non melius. Igitur Alexander ille,

ille, quos authrice svadâ non potuit, duce bellonâ valuit in unum redigere, & ad virtutis obsequium adjicere, Magnus iste & plusquàm gloriosus in ethnico Principe finis fuit, invidendus Christianis Principibus, si non adnexam habuisset dominandi libidinem. Superavit Alexander in hoc Philosophos antiquos omnes, qui tantùm calamo & verbo docuere sapientiam humanam: ille proprio sanguine, exantlatis infinitis laboribus, instillarum veluit omnium hominum animis, & sensibus. Superinaverunt tam glorioso conatui. Nam vix egressus ex sua Græciæ pomeriis, triginta solum millibus hominum stipatus, nec provisus, nisi ad triginta dies commectur, Persarum tamen Monarchiam domuit, nec hanc solum, sed cum trigesimum tertium ageret annum, totum jam Orbem, ab Oriente in Occidentem percurrit suoque dominio subiecit. Bis Darium fudit cum uno milione, & ducentis hominum millibus: quindecim subjugavit integras nationes, quinque millia Urbium expugnavit, vel deditioe accepit. Hæc Statûs augmenta non alios manent, quàm Alexandros. Fuerunt etiam posterioribus temporibus magni in alieno solo victores: ut Carolus V. in omnibus fermè Europæ partibus, ne dicam in ignoto olim Orbe, & Indiarum atque Africa tractibus. Ut Gustavus Svecorum Rex in Germaniâ: ut Anglus in Galliâ, ut Balduinus in Syriâ, ut Ottomanni Principes in Europâ, ut Tartari in Chinâ, ut Hispani & Lusitani in Americâ. At non æquali omnes sorte, non eodem fine, nec iisdem artibus: Ideo nec augmenta eadem.

6. Secundò: *Jure sanguinis*: quod augmentum innocentissimum, & rarò iniquum est, ut Ferdinandus per Sanctiam Castellæ Regnum habuit: Conradus Montferrati Comes per Isabellam Cyprum: Ludovicus Princeps Tarantinus per Joannam Reginam Neapolim: Philippus Normandus per Irenem Hetruriam: Per Theodolindam Agiulphus acquisivit Regnum Longobardorum. Et quid non domus Austriaca? quot fermè matrimoniis, tot referta, & locuples est Regnis,

vel Regno paribus provinciis. Darius, ut firmaret se in Persico Imperio, Atossa, Cyri filia, nupsit: Alexander, ut videretur socii Imperium legitime occupasse, Roxanam, Darii filiam, in thalamum accepit. Mahometes Abrahami descendente se promulgavit, ut securius terram promissionis usurparet: & etiamnum Ottomanni Cæsares à Græcis Imperatoribus se originem suam traxisse asseverant, ut specie saltem alicujus tituli se Orientem possidere videantur. Adèd jura sanguinis, antiquis, nova addunt augmenta Statuum, vel veterè stabiliendo, vel futura prætendendo, vel præsentia occupando.

7. Tertiò per *Navigaciones*, ut jam suprà insinuavimus: Carthaginenses olim, Ægyptii & Tyrii populi, aliæve gentes arbitrabantur Europam, Africam, Asiam, insulas mari Oceano circumdatas, & post has primò globum terraqueum immensæ magnitudinis, omnisque rei, præsertim auri, & aliorum pretiosorum locupletem: verùm rei nauticæ parùm gnari non se committebant Oceani syrtibus, & scopulis. Post hos audaciores insurrexerunt Saraceni, & transmissò mari occupârunt Siciliam, Rhodum, Hispanias; & aliquot sæculis graves fuerunt toti Europæ. Tandem feliciori auspicio Lusitani, Castiliani sive Hispani, post hoc nostrum mare, repererunt alia maria, & cum his Americam, sive novum Mundum; undè non solum refluxerunt infinitæ divitiæ in Europam, verùm etiam industriâ, operâ, & felicitate Columbi, Cartesii, Pizarri, Garcia, aliorumque Argonautarum, ingentes terræ tractus, Regna, & Imperia, præsertim Mexicanum, Peruanum, Brasilianum, cum Indiarum fermè omnibus populis, primum Lusitanis & Hispanis adjecta, deinceps autem etiam Hollandis, pars non modica ignotarum terrarum, ex navigatione (quarum non pridem unam Admiralius Drago gloriose, & feliciter confecit) in augmentum cessit. Vaticinabatur id Seneca Tragicus:

Venient annis

*Secula feris, quibus Oceanus
vincula rerum laxat, & ingens
Pateat tellus, Typhisque novos
detegat orbis, nec sit terris
ultima Thule.*

8. Quartò, *per Electionem*: ut cùm Principes assumuntur ad externa Imperia, & Regna electiva, qualia sunt Imperium Germaniæ, Regna Angliæ, Poloniæ, & olim multa alia. Sic crevère Austriaci assumpti ad fasces Imperiales Germaniæ, uti & Saxoniam olim, Bavariam, Sveviæ Duces, alique tam ex absolutis, quàm privatis Principibus, & Comitibus Cæsares. Multoties ad Regnum Poloniæ vocati externi Principes ex Galliâ, Sveviâ, Transsylvaniâ: & nuper in Angliæ Solium evehctus Orangiæ Princeps Guilielmus.

9. *Per Adoptionem*: ut Nerva olim adoptavit Trajanum: Trajanus Adrianum: Adrianus Antoninum Pium & M. Aurelium, quinque successivo Ordine Romani Imperatores, qui virtute omnigenâ, supra omnes Antecessores conspicui, & famæ, & Statûs augmenta meruère. Hoc Adoptionis titulo per Joannam Reginam in spem successionis Regni Neapolitani venerunt Arragonii Principes: & sæpè alii in aliis Regnis.

10. *Per Feuda*: Sic auctus Albertus primus, à Rudolpho primo Imperatore nobilissimis Austriæ feudis: & alii quamplures.

11. *Per Protectionem*: Hæ siquidem rarò frustra. Ita Rex Galliæ Henricus IV.; ita Ludovicus XIII., ita modernus cum Germaniæ Protestantes adversus legitimum suum Imperatorem omni neglectâ Religione protegerent, rapuerunt Imperio tres egregios Episcopatus Tullensem, Metensem, Verdunensem, cum amplis suis ditionibus; Alsatiam totam cum Argentinâ & innumeris dependentiis.

Canes, qui à lupis protegunt gregem, sæpè lac ovium emunt-

emungunt. Turcæ iis, quos protegunt, imperare solent. Testes sunt Tartari, testes prius Transsylvani.

Sunt & alii modi (sed sæpè iniqui) quibus Principes extra sua pomeeria crescere & augeri valeat Status, Regnis & Provinciis, quorum occasiones, si justæ sunt, nullatenus negligant, sed centoculari vigilantia prospiciant in omnem partem, ut assequantur suorum votorum finem.

12. Coeterum hoc Arcani loco observent Regnantes:

Ut non assumant Status regendos supra vires suas. Satiùs est suis Statibus rectè imperare, quàm hos, propter illos, periculo exponere.

Priori ævo Fridericus Palatinus à Bohemis ad coronam vocatus, quid indè aliud retulit, quàm suorum Statuum ruinam, Regalium Imperii caducitatem, & miserabile nomen Regis bis sextilis. Quid nuper Bavariæ Octovir, quid Colonia Antistes, ex Galliarum Regis spe, & promissis, emolumentum habuit? cum ille arma Cæsari & olim suo Socero infestus inferret? Ille in Imperatorem refractarius Galliarum lilia sequeretur, quàm quod ambo insumperint immensos thesauros cum suorum subditorum extremam egestatem in alienum obsequium? Invisus uterque suis Vasallis, à S. Imperio Bannitus, Gallicæ protectione gravatus magis, quàm securus, fortunam magis, dum hæc scribo, metuit adversam, quàm sperare potest propitiam. Deflexit nimirum à Patris & avi ventigiis, qui ambo ad Imperium requisiti, renuerunt fasces illius, sapienter providi, nec ignari, ad Imperii vastitatem continendam, opus esse multorum Regnorum viribus. Adeò verissimum est, alienis sæpè augmentis perdi hæc, & sua.

13. Idem est, possidere Status parvos & exiles, quàm maximos sine viribus. Arcanum est verè politicum, conari, ut Status proportionentur viribus Principum, tam externis, quàm internis. Dixi *externis*: quia aliqui plurima complecti, & cum Atlante plusquam

quàm unum Orbem fulcire gestiunt, sed vix modica stringunt, & uni orbiculo succumbunt. *Dixi internis*: Magnanimi quippè martiales, & ardentis Principes, dummodò virtute, & prudentiâ pollentes, includi non debent modicæ spheræ, inclusi enim tandem erumpunt in temeritatem. Julius Cæsar, & Annibal, uterque magnanimus, & suprâ civiles curas erecto animo, domi nihil egissent, ad externa, autem & majora applicati, maxima & portentosa quæque ausi sunt. Domi nesciebant agere civem, foris potuere aggredi ipsum Imperium, quod Julius tandem assecutus, & parum abfuit, quin Annibal prævenisset Julium.

14. Hinc ad tria advertant Ministri Principum. Primò si habeant in vastissimis Statibus suos Principes inferioris capacitatis, valoris, viriùmque; ut Alexius, ut Augustulus, & ultimus Constantinus fuere: Satiùs erit syadere, ut majora non affectent, nec aliena quærant, aut suscipiant, cum vix pares sint suis, imò diminuunt curas, subalternent Provincias in suos conjunctos fratres, & Principes sanguinis. Stabiliora enim sunt Imperia, quorum compendio sufficimus. Nemo pusionem, licet sub giganteâ loricâ, metuit. Secundò, ubi autem Principatus proportionatus est ad Principem, ejusque vires tam internas, quam externas; tunc nec iste quærat augmenta extra Statum, ne imminuat sua propria & extra proportionem veniat, laxando nimirum vires & potentiam suam, quæ appropriata est præsentì Statui, dispersa autem, nec uni, nec alteri, sufficiet. Augebit sua, cum se continebit.

Tertiò ubi verò Status in se floridus, tutus, opulentus; ejusque Princeps Viribus, capacitate, virtute, Ministris, armis, amicis polleat; æquissimum est, ut luminare tantum, non patriis duntaxat recondatur penatibus, sed luceat aliis etiam gentibus, natus quasi ad majora Regna & Imperia. Sic Carolus Magnus, sic Albertus primus, & secundus, sic Carolus quintus, & alii Principes Magnorum Statuum Domini, sed Majores animo, ad alia Regna & Imperii fasces eveci, egerunt

runt magna, cum ingenti commodo alienorum Statuum, & cum aeternâ Gloria suorum: Ubi alii Principes antè, & post ad ejusmodi fastigia postulati, ob inopiam, viriumque imbecillitatem, & fortè magni animi defectum contemptui habiti affligerunt magis quàm rexerunt. Ubi aliena, ex quocunque titulo aucupamur, necesse est, ut conferamus etiam nostra. Hæc verò ubi non sufficiunt utrobique, actum est, de stabilimento. Sapiunt me Castor, præ cæteris illi Principes, qui suos Status potius stabiliunt, & intrinsecus augent, quàm qui alienos quærunt cum periculo, quantumvis mediis justissimis. Qui novum occupaverunt Statum sàmper ventur insidias domi, & foris. Nec sine causâ: quia nunquam defunt æmuli, vicini, potentiores, qui vel suspectam ex livore innato habeant alterius potentiam, vel planè non tolerant. Qui autem armis, & militum favore, vel postulati ad Imperium, vel proclamati; vel per seditionem Populi eVecti ad alienum Solium, hi tales semper habent, quod reformident, ne eodem passu retrogrediantur, quo progressi sunt. Obnoxios se reddunt fluctuantibus quorundam ingeniis, & præter voluntatem licentiùs quædam illis indulgere debent, quàm æquum est. Vel si negant, præcipitium expectent; nisi aut vires, aut animos disjunxerint, ne in faciem insultare valeant, ut Prætoriani olim Claudio Cæsari: *Per nos Imperas!* Otto militum ope eVectus ad Imperium, eorum licentiam, cum comprimere nequisset, dissimulavit, reputans, non posse Principatum scelere quæsitum subitâ modestiâ & præfiscâ gravitate retineri.

Tacitus.

15. Lubeat tandem in exemplum augeridi Statûs, Romanorum aliquot artes inspicere. Hi sanè modica sua initia primùm auxerunt aggregatione suorum inimicorum, quos enim primis præliis vincebant, eosdem sibi, non ut bello captos, sed ut subditos aggregabant. Inter quos Albani, Sabini, aliique populi fuère, coãliti deindè in unam gentem cum Romanis. Magna ratio Statûs est, scire ad consequen-

res fines victoriam adaptare, nec debellare solum hostes, sed illis in rem suam uti. Sic venena transeunt in medelam. Magnis animis sufficit vicisse: Reliquum est; victoriam humanitate cohonestare, & feritatem in homines à fortunâ desertos, exuere. Illa proelia feliciter cedunt, ex quibus non solum præsens securitas Reipublicæ, sed alia futura commoda prospiciuntur. Alexander vicit Persas, sed non desolavit Persiam: Græciæ quidem subjecit, sed unâ Persas in cives accepit. Palmaris in hoc Spartanorum, & Atheniensium error fuit, qui ex more planè cadebant, vel profligabant omnes hostes; & indè desolabant Provincias exiguo sui emolumento: Ideò nunquam eò provêxere sua labara, ut Romani, quibus unâ eadèmq; die iidem hostes, & amici, captivi, & cives fuère. Servius Tullus, & Pomponius Gracchus planè servis manumissis (claris tamen fortitudine & merito) jus civitatis communicabant, ut illis nexus cum Republicâ foret indissolubilius, & Reipublicæ tutius in illos Dominium; frustra enim nobis de invitis pollicemur, frustra suspectos alimus.

16. Secundò ruinabant vicinas civitates: & infestabant, si erigebantur, ut sic illarum indigenæ, necessitate adstricti incolatum peterent Romæ. Nec solum armis, & ruinis sibi aggregarunt populum externum, verùm etiam datâ asylari libertate omnibus gentibus Romam recurrentibus. Sic plerique validi, fortes, sceleris virtutisque gnari; extorres item, mulctati, rapinarum vel latrocinii rei, nec depavidâ facie hominum; sed viri utrique forti assveti, primas Romæ fecerunt colonias. Offerebant quoque jus civitatis omnibus communitatibus, & populis vicinis; quâ ratione, cum inirent multi, in immensum fuit populata Roma, ut Aquilæ ipsius necesse ducerent, apud remotas etiam gentes nidos sibi quarere, & Romanam ditionem propagare, ut deinceps feliciter cessit.

17. Tertio sensim se extendebant, & neo-parta atque

acquifita (nullo intermedio permiffo) de paffu , in paffum , fic ftabiliebant , ut fucceffivè remotiffimis etiam gentibus vicini redderentur , quas deindè fibi jungebant (uti & Reges eorundem) vario officiorum genere , alios titulo focietatis , alios amicitiaè : Sic Ægyptios , fic Afiatcos populos , eorundemque Principes , ex quibus tandem , non nifi exeritis de Republicâ , vel in quibus fperabant , vel quos metuebant , Jus Patritiatûs Romani tribuebant , ut aliqui etiam Regum , tale nomen præ libertate regiâ æftimarent.

18. Quarto , protectionem offerebant oppreffis : ex quâ Romanum Imperium auctum per Capuam contra Samnites defenfam ; & Meffinam contra Geryonem . Ac deinceps hâc arte alii etiam populi non pauci Romanæ ditioni adjecti.

Sub ifto fpeciofo protectionis prætextu etiam Turcarum Sultani Græciam , & Orientale Imperium fermè totum , ficut & Livoniam Poloni habuère . Imitantur etiamnum Galli , ut olim contra Carolum quintum , ita modò contra Leopoldum ; commentitiâ illâ ligâ , fivè confœderatione Rhenanâ , quæ tamen nuper difcifâ , licet tardè , ex opiato Gallico evigilantibus tandem aliquando Principibus Rheni.

19. Quintò , accreverunt Romani fua pomeeria per beneficia in alios Principes quocunque modo collata , qui ingrati animi thefferam , Romanam Rempublicam heredem fecerunt ingentium Statuum . Ab Attalo Rege testamento accepit Afiaè partes , à Nicomede Bithyniæ Regnum . Et pofterioribus temporibus hac ratione Veneti per Cornaram obtinuerunt Regnum Cypri , Genuenfes à Palæologo Michaële Peram : Sforzia Savonam à Ludovico undecimo Galliaè Rege : Efthenfes à Friderico III. Modenam : & à multis fimilibus , apud quos extitit grata acceptorum beneficiorum memoria .

20. Tandem fexto : Romani fibi devicerant fortiffimas gentes per remiffionem tributi , & concessionem omnis liberta-

bertatis, nisi quod belli tempore suppetias ferre debuissent Romanis, qui fortitudine unius Gentis opprimebant alteram, sicque ditionibus crescebant in immensum. Tacitus testatur sæpè, nullum majus in exercitu Romano robur fuisse, quàm externum, cujus sanguine & invictâ fortitudine novas semper adjiciebant sibi provincias; exiguo Reipublicæ dispendio.

21. Porrò magna Imperia, cum maxima sunt, mole suâ sæpè concidunt. Vix datur in summo quies, aut progredi, aut regredi oportet. Hoc ipsum, de quo diximus, Romanum Imperium aliquot successivè Sæculis magno labore, civiùmque cruore, comparatum, tandem sub Augusto ad apicem omnis possibilis potentiae, & amplitudinis deductum; cum amplius non crescere potuit, nec hostes habuit, jurato in Aquilas Romanas toto orbe; consumpsit se otio, & Divitiarum illa affluentia (quæ tanta fuit in aliquibus civibus Romanis, ut Regibus æquiparentur) mater nimirum deliciarum omnium, effœminavit non minùs Principum, quàm civium pectora. Demortuo siquidem Augusto, primò, & maximo Orbis Monarchâ, cum primùm Tiberius fasces assumpsisset Imperiï, cœpit luxus virtutem opprimere; & sic sensim de uno in aliud vitium sub Claudio, Nerone, Caligulâ, aliisque malis Imperatoribus se præcipitare, ut reparando spes nulla planè fuerit. Resurgere videbatur quidem sub Vespasiano, sed rursus labefactatum Domitiani vitiis. Mox sub Trajano, & aliquot bonis Principibus erectum; ast iterum sub eorum maleferiatis successoribus non solùm vitiis corruptum, se cessione Provinciarum imminutum, separatione Regnorum distractum, tandem divisum, & exindè desolatum: ut in hoc, quod etiamnum extat, Imperio, ne quidem umbra sit antiqui, Adeò in immensum aucti Status se ipsos opprimunt.

Omnia summa declinant, media

durant.



CAPUT X.

De stabiliendo Statu.

I. **A**ugere Status, non est stabilire Status. Errant, qui hoc existimant. Auxit Alexander Imperium, quò majus nullum, sed atatem unius hominis non complevit. Carolus Octavus Franciæ Rex nec strinxit ferrum, & occupavit fermè totam Italiam; at quia non rectè eam stabilivit; illicò deperdidit. Quanti olim Status, quanta Imperia, quanta Republica perière! **Examinare omnium causas, & prævertere, Arcanum est stabiliendi Statùs.** Felices Principes, quos aliena pericula faciunt cautos! & qui non suis, sed alienis damnis sapiunt, verè sapientes sunt.

Plato Rempublicam aliàs optimè instruxit, sed armorum parùm meminit. Chalcedonii eligendo ad Regimen tantum virtuosos providerunt interna, non externa Statùs corruptioni. Athenienses cum illi suis quatuor Ordinibus Civium singulis præficerent singula capita, reddiderunt multicipitem Rempublicam, & in factiones distractam. Carthaginenses continuando auctoritatem supremam in eorum Suffetiis, ex populari, paucorum fecerunt Statum. Licurgus sub Ephoris militarem quidem instruxit Rempublicam, & externis formidandam: sed pacis tempore exlegem, & se otio consumentem. Græcorum Imperium divisione periit, quod unitum substitisset. Persarum vastum Regnum nimis in multitudine confidit; & Alexandrum sprevit in paucitate suâ, attamen strenuitati hujus cessit ex ipsâ multitudinis confusione. Sic Chaldaum, sic Medum, sic Assyrium Imperia, quodcumque ex aliquo Statùs pæyo (quæ examinare longum esset, cum examinanda

pro-

propiora non desint) instabilitatis fuerunt exempla. Romanum omnia illa exsuperâsset diuturnâ stabilitate, si minùs crescere siviſſet suos cives, per quos, ubi conservari debebat, periit, privatâ libertatis publicæ oppreſſione.

2. Prima autem ſtabiliendi Statûs ratio eſt, in Rempubli-
cam inducere eam felicitatem, ut cives aliam non deſiderent,
ſed cum præſenti Statu, Regimine, legibus, tributis, Religio-
ne contenti vivant. Hæc felicitas tollit omnes viciffitudi-
nes, quibus aliàs Status eſt multifariè obnoxius. Felix Status
felicem reddit civem, felix civis invictum reddit animum ad-
verſus omnem internam & externam corruptionem. Quis
enim felix civis facilè in ſeditionem cadet? Quis pro aris &
focis, quis pro felici Statu non ſtrenuè decertabit? Pauci Lo-
crenſes vicerunt centum millia ex Crotoniatis. Quanta Athe-
nienſes, Spartani, Carthaginenſes: Quanta aliæ Reſpublicæ
non egère pro Patriâ, donec Tyranni abſuiſſent? Fœminæ
Argivæ confluxerunt cum Exercitu Cleomenis: Spartanæ cum
Pyrrho: Carthaginenſes cum Scipione: Saguntinæ cum An-
nibale. Non metuunt pericula ſubire pro Patriâ, quibus in il-
lâ benè eſt. Privatum conjungunt cum publico: hoc ſi ce-
dunt hoſti, & illud cedere neceſſe eſt. Periclitari igitur po-
tius malunt in fortunis omnibus, & vitâ ipſâ, quàm publicè
eſſe miſeri.

3. Altera Statûs firmitudo eſt Religionis cura. Fuerunt
populi ſinè Rege, ſinè lege, ſinè literis, ſinè Magiſtratu, ſinè
Ordine; extra muros palabundi quaſi feræ, nulli tamen ſinè
aliquâ ſcintillâ Religionis. DEOS eſſe nemo non negat, ait de nat. Deor.
Cicero, colendos autem hos eſſe natura dictitat. Ab omni
ævo Religio primum fundamentum fuit omnis ſocietatis hu-
mana. Fruſtra Deucalion leges dediſſet Græcis, Licurgus
Lacedæmoniis, Solon Athenienſibus, Numa Romanis; niſi po-
pulo perſuaſiſſent aliquam Deitatem, à quâ promanarent, &
juberentur Leges latae. Niſi DEUS palàm locutus fuiſſet Moy-
ſi: Ego ſum Dominus DEUS, qui eduxi te de Ægypto, nun-
quam

quam credidisset populus ille duræ aliunde cervicis legi Mo-
saicæ. Scribi debebat digito DEI in Petrá, tótque subsequen-
tibus comprobari miraculis, usquedùm crederetur. Plato de-
indè asseverat, quod omnis Respublica, Civitas, aut Commu-
nitas mallet esse potiùs sinè Sole, quàm sinè Religione. Hác,
velut fræno, continentur Barbari: Hac ductrice conveniunt in
unum populi: hoc glutinè junguntur gentes gentibus, nationes
nationibus. Ideò Principes, qui vel ampliare, vel contine-
re, vel stabilire Status suos cupierunt, nihil magis vereban-
tur, quàm ne Religio una, quæ conjunxit, divisâ disjungeret
animos civium. Tota nutabit Statûs fabrica, si Religionis
Petra moveatur. Deflorescet Respublica, si in hâc radice in-
arescet. Cùm nova subintrat Statum Religio, non ex eo perit
subitò antiqua: sed unus hanc, aliam alter sequitur; undè ne-
cessariò dividuntur animi civium, qui divisi aliud non gene-
rant, quàm dissidia civilia, & ex his seditiones & turbationes
Reipublicæ. Et tantam vim Religionis in se vidimus his ul-
timis ævis, ut ejusdem Patriæ, linguæ, familiæ homines priùs
invicem amicissimos mutaverit in feras pessimas, & indomi-
tas tigrides, nil aliud, quam mutuam sanguinem sitientes. Bel-
gium, Anglia, Germania, Gallia id experta in suis subditis, id
Principes in suis Statibus, tam ob civilia domi, quàm foris
externa bella, quæ omnia palàm sunt. Nunquam imperan-
tes, stabiles, firmosque credant suos Status, quos Religio di-
vifit. Et hinc eruo

4. Tertium Stabilimentum Statûs nimirum Unionem
tam ipsius Statûs, quam Civium. Unitur autem Status, si Prin-
ceps inde ablata, si usurpata, si distracta, si prolapsa rursus eri-
gat, conjungat, recuperet, conferat. Res non integra etiam
in Jure exceptionem patitur. Homo, qui non omnibus con-
stat membris, ad multa ineptus, & indignus est. Status mu-
tilati, imminuti, præter deformitatem politicam, multis sub-
jiciuntur periculis, & vicissitudinibus, imò contemptui sunt,
ut modò Romanum Imperium, quod aliqua Regna ex-
aquant,

æquant, si planè superiora non sunt. Devictis Jempsalo & Atherbalo divisam in illos Numidiam conjunxit Jugurtha, sibi què adjecit. Augustus præ omnibus aliis triumviratum, à Principatu Romano divisum sibi addixit, ac cum illo firmavit Imperium, quod nunquam stabile habuisset, si triumviralis potestas, cui fas erat, ipsis Consulibus, & dictatorio muneri contradicere, & insultare, apud alium mansisset. Regnum Franciæ divisum post obitum Clodovæi reductum fuit ad suam naturalem unitatem à Clothario. Status in unitate suâ subsistunt, divisi se collidunt invicem, facilè obruuntur ab externis potentiis, tandem pereunt, ut Alexandri Monarchia post ejus excessum ab uno distracta in tot Principes: vel Orientale Imperium sub Augustulo.

§. Unio autem Civium est ipsa concordia sive concors civium animus, hæc sicut omnes actiones morales & Politicas egregiè promovet, ita præcipuè Rempublicam præservat ab omni internâ, & externâ Corruptione. Internam impedit animorum Concordia, externam unita fortitudo civium. Concordiâ res parvæ crescunt, maximæ dilabuntur discordiâ. Scilurus filios superstites habuit octoginta, quibus testamento unicè commendavit fraternam concordiam, quâ reddi possent invincibiles adversus hostes suos: Rei veritatem symbolicè representans in fasciculo plurium sagittarum firmiter colligato, & alio dissoluto. Illæ colligatæ nec frangi, nec rumpi quibant; ubi disjunctæ fuissent; quævis seorsim frangebatur sine remorâ. Ita Julius Cæsar, cum contra tot suos æmulos nihil auderet; disjunxit illorum animos, & vires, uni majora pollicendo, alterum in armorum societatem sibi jungendo, tertium persequendo; sicque disjunctos unum post alterum devicit feliciter, occupato in Victoriæ fructum Imperio, quo nunquam potiundi spes illi erat, nisi dissociasset animos, & cum his arma æmulorum. In unione civium consistit Reipublicæ fortitudo, & civilis perfectio: in hac felicitas; & in felicitate communis stabilitas, & firmitudo Statûs.

6. Quartum stabiliendi Statûs fulcrum est recipro-
cus inter Principem & cives amor. Illex amoris amor est.
Amabunt Principem cives, si hos ille amaverit. Amet, ut
ametur. Amantes pro amato dabunt omnia, contribuent lar-
giter, exponent pectora, vitam & omnem substantiam. Amor
est Virtus unitiva, cum cives inter se, & cum Principe unum
fuerint, una omnium erit causa, idem omnium periculum,
idem hostis, eadem fortuna. Nihil negabunt Principi, quia
sibi negarent, cum illi cum Principe unum sunt. Stabunt pro
Principe, ut pro se. Tuebuntur Statum ipsius, ut unam
omnium Patriam. Invincibiles ejusmodi Principes, dixit Laër-
tius. Domi siquidem nihil metuunt, quia amantur. Nemo se-
ditionem suscitabit adversus eum, quem amat. Malè contem-
ti aguntur in ejusmodi furias, qui verò amant, omni forte
contentantur. Princeps, qui se domi fortem fecerit, nec for-
ris formidabit quempiam; quia omnis fortitudo fortium
unitis viribus pugnabit pro eo; fortis ut mors dilectio. Aman-
tes mercenarii non sunt; causam suam, cum Principis agunt.
Desperatè pugnant, aut vincendum illis, aut moriendum. Ad-
versus autem desperatè decertantes, vel nulla, vel rara, eaque
difficilis victoria. Appositè conclusit Seneca; Unum Regnum
inexpugnabile munimentum amor civium.

7. Quinta stabiliendi Statûs ratio est recta vitæ civilis in
Statu institutio. Hæc etenim internæ corruptioni apprimè
resistit.

Dupliciter autem contingit: Primò, corrigendo vitia,
quæ vitæ civili contraria sunt. Secundò: ut membra Statûs
sive cives tantam virtutem habeant, quanta illis est neces-
saria.

Vitia autem, quæ vitæ civili contrariantur, triplicia sunt,
sicut & triplex vitæ civilis institutio: Monarchica, Aristocra-
tica, Democratica. Primæ, opponitur Tyrannis: secundæ,
Oligarchia: tertiæ Ochlocratia, de quibus supra abundanter
diximus.

8. Tyrannis stabiliet statum, vel artibus Tyrannorum, vel artibus Regiis. Artes Tyrannorum ex doctrinâ Aristotelis sunt, confidentiam tollere inter cives per exploratores: Imminuere vires eorum per tributa & expilationes: dividere in factiones, & unius se caput constituere: externorum armis se tueri adversus odium civium. Verùm quia artes hæc incertæ, nefariæ, scandalosæ, & christiano Principe indignæ; æquius est, artibus Regiis stabilire statum, quæ multò tutiores sunt, nec adversantur conscientiæ, nec superno cuncta regenti Numini. Eæ autem sunt, se populo reddere amabilem. Si talis fuerit, non egebit exploratoribus, securus de reciproco subditorum amore, aliud non volentium, quàm Principis exaltationem, & conservationem. Non opus imminuere Opes, & Potentiam civium, quæ ad ipsius obsequium sunt; nec disunire animos, aut in factiones dividere, quia uniti fortiùs tuebuntur statum, & pacem dulciùs colent, nec externa invocare auxilia; quia bonus Princeps, nec metuitur, nec metuit.

9. Quod si verò hoc virtutis diadema Princeps, assuetus tyrannidi & vitiis, non tam facile induere valeat, induat saltem ad speciem, non quidem, ut fingat se (quod nefarium est) sed ut conservet, ut stabiliat Principatum, quod necesse est è Republicâ; & est humanum: quia occulere vitia minùs sceleratum est, quàm publicè patrare; & quædam, si ex bono fine fiat, ad virtutem est dispositio. Studium continuum apparentis virtutis, potest transire in habitum virtutis; si apparentia illa non ad decipiendum, sed ad conservandum se, & statum collimet. Tiberius Princeps vitiosus, ut celaret vitia, & Imperium teneret; contulit se Capras, ne videretur, qualis esset? Pisistratus se conservavit Athenis in tyrannide, cum clementiâ, & subditorum amore triginta quatuor, & Dionysius Syracusanus sexaginta tres annos. Posterius exemplum est, Elisabetha Regina Angliæ. Subditi interna non speculantur, sed ductum sequuntur externum, si bonus, si rectus, si secundum

leges est. Existimatio illa virtutis, quam de suo Regnante subditi concipiunt filtrum quoddam amatorium est, quod excœcat animos eorum, ne videant vitia suorum Principum. Interim tamen ficta rarò diuturna, rarò stabilia. Aufer ergo, ô mi Princeps, rubiginem de argento, & egredietur purissimum. Aufer impietatem de vultu tuo, & firmabitur justitiâ thronus tuus.

10. Factiones, vitæ civili, oppositum vitium est. Si enim illa, ut Aristoteles dixit, Ordo est Imperantium, & obsequentium: profectò ubi factiones intercedunt non æquale erit omnium obsequium, non Ordo, nec Imperantis esse poterit idem tenor imperandi. Quo plùs prætendent aliqui, minus indulgere audebit Princeps. Utramque fovere partem, erit partes invicem magis concitare. Neutri se addicere, meticolositatem: unam præ alterâ sequi, aut vilitatem, aut injustitiam Principis indicabit, quid ergo? Utrumque Auctoritate supremâ aut opprimere, aut componere, ad Regium munus spectabit. At sæpè hoc magis optare, quàm assequi licet vel ex ipsâ gentis naturâ, aut more inveterato. Igitur sapiùs Princeps ad quædam advertet: omnes factiones (nam de seditionibus non agimus hic) vel inter optimos vel inter potentes emergunt. Quæ inter optimos cives sunt, virtutem pro centro habent, & aliud non intendunt, quàm vel Statui, vel Principi majora merita, & servitia exhibere, ut Athenis inter Themistoclem, & Aristidem, & Romæ inter Scipionem & Fabium æmulatio virtutis magis, quàm quæ fastidio Statui esset, exortam legimus. Ejusmodi nullatenus supprimendæ, sed acuendæ honoribus, & promissis in maximè meritos. At miserum hoc ævum est, ubi nulla amplius virtutis æmulatio, sed livor & Invidia; ubi indigni, cum meritis non prævalent; Occultis molitionibus tentant subvertere æmulos, ac Principes ipsos astu & calliditate circumveniunt. Undè inter potentes præcipuè suscitantur, & à Potentibus foventur factiones, & ex causâ quidem dominationis plerùmque, vel
invi-

invidiæ, vel ambitionis, vel usurpationis, quæ infirmant Statum magis, quàm stabiliunt. Ejusmodi, quæ omninò ex statu tollendæ, medebitur Princeps æqualitate in Rempublicam inductâ. Factiones, ait Aristoteles, illum maximè torquent Statum, ubi nulla æqualitas est inter cives.

11. Hanc autem æqualitatem duplicem ajo: Arithmetica, & Geometricam. Illam invehat Princeps in tribunalia, & subsellia Justitiæ commutativæ, suumque cuilibet tribui jubeat, tam in forensibus judiciis, quàm in privatis contractibus. Geometrica cujusque gradum, merita, & officia expendat, & ex eorum proportione ita æqualitatem statuat, ut non solùm unus alteri non sit impedimento in obcundis muniis, verùm etiam, ut hominibus intra eandem spheram, modum ponat tam in fastu, titulis, aliisque prerogativis, ut singulorum eadem ratio haberi videatur: Quemadmodum singularitas in omni Statu livorem, & æmulationem parit, ita æqualitas illum, & hanc in herbâ occidit. Musica ex dissonis vocibus Harmoniam conflat. Sapiens Princeps etiam dissimiles genere, moribus, gradu, officio harmonicè conjungit. Virtus civium debet esse æqualis, cum modo tamen inæquali; Ideò civibus virtuosis distribuuntur officia & munia cum modo inæquali: Omnia tamen æqualia capacitati, merito, & virtuti cujusque. Sic militi datur militare officium, sic Politico politicum; Sic mœchanico mœchanicum, sic œconomio œconomicum, omnia æqualia Virtuti cujusque inæquali tamen modo: unum enim majus est, alterum minus, præstantius hoc, alio: &c. cuilibet tamen proportionatum. Hæc illa æqualitas est, quæ Rempublicam reddit quietam, ordinatam, felicem, & stabilem.

12. Accedit etiam mediocritas ad firmamentum Status, Mediocres Status, nec deficiunt viribus, nec abundant. Illis se sustentare valent adversus externas potentias. Cum enim illæ non magnæ sint, timentur minùs, & quia non timentur, vix infestantur: ideòque nec violentiæ subjiciuntur, neque

invidia. Cives ipsi in mediocritate fortunæ non abripiuntur facile vehementiâ passionum: Ambitioni non tanta occasio, neque luxui tantum fomentum, quàm ubi omnia affluunt. Ubi curæ angunt animum, ubi prospiciendum futuro, ubi invigilandum suis, nequaquam succedit otium, nec libido stimulat animum, nec fastus necessitati conjungi potest. Fortunâ, & affluentia non conservantur Status, sed virtute & labore. Qui virtute non creverunt, & ampliati sunt, fortunæ plerumque, impotentia corruerunt. Roma in statu mediocri rarò turbata domi, quia foris agebat strenuè. Cum metueret à vicinis, cum peteretur ab hostibus, libertatem conservavit. Posteaquam verò magnitudo Imperii ambitioni indulserit aditum, ac civium potentia plus æquo major factiones concivit: Ubi jam nulli hostes, nulla bella, nec Marius cimbras habuit, nec Sylla Armenos, nec Cæsar Gallos: Cùm omnia quieta, omnia in otio, omnia in affluxu, & abundantia; tunc Roma Orbis Domina; facta fuit suorum civium mancipium. Adeò media tutiora sunt extremis. Veneta Respublica mediocritate suâ se conservat diutius, quàm Roma olim amplitudine suâ immensâ. Omnia orta occidunt, & aucta senescunt.

13. Præ omnibus stabiliendi Status ratio est fortissima, si ab uno regatur. Unus omnibus imperet, omnes obsequantur uni. Quod non solum in Monarchicis, sed etiam in Poliarchicis, multorum vel paucorum statibus observandum. Nam & hic sive multi, sive pauci, unum tamen fieri debent, quo ad jus Imperii. Qualescunque Status, quò magis ad unitatem reducti, minus mutationi obnoxii. Tyranni ipsi nequaquam diu substiterunt in Imperio, nisi unitate potestatis, & extirpatione eorum, quibus jus aliquod ad Regnum esse potuit, se conservassent. Tot Sæculis Ottomanni Principes hæc arte Orienti imperant. Romulus, & Remus æquales conceptu, æquales partu, æquales sanguine, æquales nutrimento, æquales ætate; Sed ratio Status æquales non vo-

luit Regnò. Regna ferrent duos Rectores, si Rex socium ferre posset. Duorum Regimen non displicet subditis, quia inter hos multi mali. Nullus enim sic delinqueret sinè spe asyli, & tutò offenderet, quia semper defensorem haberet. Unius gratià deperdità, pateret novæ gratiæ aditus apud alium. Omnia tunc licerent, excepto, quod licet. Regnum est unius, Respublica plurium. Hujus cum se ad unitatem reducit, perit natura; illud pluralitate extinguitur.

14. Regnum duorum non est, vel saltem non diuturnum, sicut enim naturaliter omnis imperare desiderat, ita magis ille, qui imperio proximus est. Hoc desiderium vehemens est; quod ex ipsâ securitate, & certitudine Successionis impellit hominem ad tollendum vel extirpandum socium, ut solus imperet.

Dardanus, ut solus regnaret in Samo, occidit Jassium fratrem germanum. Ex pacto duo possunt regere, sed rarò felici exitu. Convulsa fuit Germania sub Duumviratu Ludovici Bavari, & Friderici Austriaci. Solebant quidem Romani Imperatores designare Cæsares, & Collegas Imperii: qui potius Ministri erant, & Coadjutores; respectumque debebant, ut creati suo creatori, quoties autem exorbitabant; toties ad arma itum, nec facile sine exitio alterutrius quies Reipublicæ restituta, dato in posteros documento: Regnum non capere duos. Secretiores Principum arbitri sæpè viderunt in suo Principe animum alienum à filio, qui vel naturâ vel electione destinabatur Successor. Alii amicis suis ultrò confessi, ejusmodi abalienationis insolitæ, & inhumanæ causam, se nullam habuisse, nisi quod natura abhorreret videre solij sui successorem. Major multò aversio erit in Collegam solij, in socium Imperii.

15. Sunt & aliæ rationes stabiliendi, & firmandi Statûs, de quibus hoc opere hinc indè diximus abundanter, imò ad hoc centrum omnia collimant. Cuncta repetere supervacaneum: hoc tamen addo, quod de Ptolomæo, Ægypti Rege,

sapient-

sapientissimo, refertur. Is aliquando, cum septem legatos ex diversis Rebuspublicis ad se missos audiret : & ut res exigeret, responderet omnibus : Corollarii loco hoc à Legatis petiit, ut quisque tria diceret, quibus sua Respublica firmaretur, & persisteret. Cœpit Romanus Orator, ac dixit : Romani diurna divinè colunt. Rectoribus suis summè optemperant : reos graviter mulctant. Ubi hæc tria sunt, perfectam reddunt Rempublicam. Primum facit eam felicem, quia colentibus DEOS prospera omnia eveniunt. Alterum, nimirum obtemperantia, bonam Politicam inducit; omnes enim, ait Aristoteles, nati sunt, vel ad obediendum, vel ad imperandum; Utriusque communis finis est bonum publicum. Tertium, id est, *pœna fontium, à Republicâ avertit iram Deorum.* Supplent quippè Dii flagello publico privatam impunitatem, ut Neronis tempore, ubi sceleratum esse conspicuum erat, Cœlum sæpe effulsit in vindictam, & enormibus tempestatibus, & exundationibus abluit fœculentos Romani Populi mores, ut Tacitus testatur. Impunitas scelerum, DEorum vindictam provocat.

Carthaginensis subjunxit : In Republicâ nostrâ bellare nunquam desinunt Nobiles : nunquam laborare plebeji : nunquam docere Philosophi. Et rectè, nam occupata foris Nobilitas internè nihil attentat, & externis formidandam se reddit. Plebs laboriosa opulentiam facit Rempublicam; Doctrina Philosophorum inducit disciplinam morum. Sic armis, sic opibus, sic probitate firma est Respublica.

Legatus autem Siculus dixit : Apud nos integritas est Justitiæ in tribunalibus, veritas in foro & negotiis, æqualitas inter cives. Magnum hoc est : Nam æqualitas in civibus nunquam dividit Statum, sed unit. Veritas rara aliàs avis in foro. Justitiæ non aptior sedes, quàm in tribunali. Sacræ literæ indignant, periisse Regna propter injustitias, & diversos dolos.

Post hunc Atheniensis Legatus disseruit : Respublica nostra

fra non admittit, ut divites sint partiales, pauperes otiosi, & Rectores Statûs imperiti. Primæ duæ prærogativæ impediunt corruptionem Statûs internam; Ubi enim partialitas non est inter Potentes, neque otium inter pauperes; ibi nec factiones Nobilium, nec Insolentia plebis ex quibus velut fontibus scaturiunt omnes seditiones, & ex seditionibus facillè mutatur Respublica. Tertia prærogativa autem, videlicet peritia gubernandi, conservat in se, & præservat ab externis motibus Statum.

Hunc excepit Rhodianus Legatus, & dixit: in suâ Republicâ senes esse honestos, verecundos juvenes, foeminas solitarias, & nequaquam garrulas. Ejusmodi reddunt Rempublicam modestam, quietam, & virtuosam.

Adjunxit Lacedæmoniorum Legatus: In Spartâ non regnare invidiam, quia omnes sunt æquales: neque avaritiam, quia omnia sunt communia: neque otium, quia omnes indefessè se labori impendunt. His tribus prærogativis collimabant Spartani, ut in Rempublicam perfectam inducerent Unionem inter Cives, quæ Statûs omnis, ut jam alibi diximus, felicitas & firmitudo est. Æqualitas enim Unionem continet, bonorum communio hanc fomentat, & labor assiduus sustentat.

Sicionius tandem conclusit Legatus, suam Rempublicam non permittere, ut cives abeant peregrè: nec tolerare Medicos, qui occidunt sanos: nec Oratores, qui assumunt causas & processus.

Primum impediēbat profectioes maximè Nobilium ad externas gentes, ne patrios cum peregrinis moribus corrumpērent, quod etiānum faciunt Veneti, qui Nobilitatem suam familiarem nolunt habere, cum aliis nationibus; & sua negotia potius per institores agunt, quàm ut exirent ex Patriâ: Per secundum: Diætā & parcitatem victûs exclusis medicis invehēbant: ac per tertium; litigantium numerum imminuebant.

16. Hæc & alia Statûs fulcra consideratione digna sunt; interim, si summam dicendum, certum est, totam firmitatem Status duobus contineri; uno nimirum imperante, eoque capace; & subditorum Unione inter se & cum Principe. Ab illo derivabunt rectum Consilium, justa administratio, divinorum cura, Patrii moris observatio, Statûs defensio, & tutela, præmia, pœnæ, auctoritas domi, forisque. Ab unione civium resultabit industria & labor, opes, & arma, & super omnia promptum ac fidele obsequium. Hæc sola sufficiunt quodvis stabilire Imperium.



CAPUT XI.

Quid oberato Principi agendum?

1. **D**ebitorum onus primitus insensibile, ita lentè in extremam egestatem premit hominem, ut tandem tunc agnoscat se inopem, cum se videat insufficientem excutiendæ farcinæ aris alieni. Eundo lentè, tamen assequitur peregrinus scopum: & *paupertas*, ait Salomon, *advenit ut viator*.

Apud Persas, ut refert Herodorus, publicâ infamiâ notabantur *Mendaces* & *oberati*. Et quidem posteriores, propter priores. Quia impossibile judicabant: *debere, & non mentiri*. Contrahere debita, est fundamentum ponere mendacio, occasionem præbere ingratitude; inire periculum perjurii, jacturam quærere bonæ fidei.

2. Debitorum duo extrema sunt: Aut extremè animo angustari: aut omnium oblivisci, & turpiter vilescere. Secundum vix cadit in ingenuos. Vilescit, qui se obligare non erubescit. Honestatem exiit, qui bonæ fidei famam negligit.

git. Indormit turpitudini, qui sui oblitus, omnes curas excutit. Hi videntes non vident, nec audientes audiunt: Sopor nimius reddit insensibiles. Solebat Romæ obælatorum civium subhastari supellex, ac casu talem mercatum transiens Augustus, culcitram conspexit, quam illicò per suos Ministros emicuravit: admirantibus autem iis, per irrisum Cæsar dixit: Insomnes ego duco noctes: fors culcitra hæc, sub quâ hic Vir tot Curis obnoxius quievit, somnum conciliabit. Nullus peior indebito viro status est: Panis, quem rodit, alienus est: laboris sui fructus alii colligunt. Declinat obvios, quibus debet; omni momento metuit vincula, aut residui, quod habet, direptionem. Semper deniquè angitur animo, & excruciat curis, donec exsolvat, vel debitum usuræ, vel debitum naturæ.

3. Ita quidem privati hominis, Principum alia fors est. Si isti subditis debeant, non solvunt: si exteris: subditi exsolvere coguntur. Nemo quidem prudens in dubium verteret, quin æs illud, quod Principes in necessitate publicâ & ineluctabili constituti, & Reipublicæ causâ contraxerunt; à Republicâ, & subditis exsolvi oportere. Verùm quædam major dubitandi ratio est, si Principes prodigi, non solum æri publico (quod subditi annuatim conferunt) insidiantur, dissipant: sed alienum etiam propriâ culpâ contrahunt, & in vanissimos aut impertinentes usus prodigunt; nec tamen unquam satisfaciunt.

Durum hoc est subditis: & sæpè in seditiones commovit Regna. Nec semel tantum præcipitavit de solio illos tales, qui ejus Potestate abusi, deprædati sunt aut deprædari voluerunt Rempublicam.

4. Divinioris scientiæ periti, & conscientiarum arbitri exsolvunt obligatione Vasallos solvendi pro Principe debita, malâ fide, quia non Reipublicæ causâ contracta. Præsertim verò, si ordinarium æs, quod sufficiebat, malè dilapsum est. Debita suos tenent Authores.

Cajeta-
nus Sva-
rez, de
Lugo.

ctum non est, nec ipsius discrimine reparari debet. Vera quidem hæc sunt theoreticè, sed practicè aliud svadet Ratio Status, quam Theologi nunquam impugnant in rebus adiaphoris, & nisi in scelus defleat. Non solum ad ea tenentur Vasalli, quæ Conscientiæ necessitatem inducunt, sed etiam ad ea, quæ Reipublicæ expediunt. Quis autem refragabitur Reipublicæ expedire, non habere Principem obæratum? præcipuè verò are apud externos Principes, vel Respublicas contracto. Princeps, quod quædam malè insumpserit, non ideo à suis Vasallis deferendus. Cum Principe siquidem semper periclitatur Respublica. Si Capiti malè, omnia membra dolori opiculantur. Princeps, & Principatus, Rex & Regnum, ita connexa sunt, ut alter alterius onera ferre necesse habeat: Renitentes subditi, Principem externis præcipuè nominibus obæratum, non solum exponunt ludibrio, cum ipsorum subditorum dedecore proprio, sed Rempublicam ipsam discrimini obijciunt, ne ob debita dismembretur, dividatur, mutiletur, vel alienò dominio cedat. Dignum hoc reflexione est, ac Reipublicæ summè expediens, se ultrò collectis subjicere potius, quàm are alieno gravato Principi occasionem dare mutilandi, vel dismembrandi suos Status. Præsens hæc necessitas est, subsidio digna. Maximè verò, si subsidium hoc sensim, & per insensibiles collectas exigatur.

5. Ejusmodi casibus necessitatis succurrere sæpè facile possent Provinciales, nisi pervicaces essent, rebúsque Aula non oppidò affecti. Ex Minutiis ipsis corradere valerent ingentem summam, si vellent: Ubi deindè Princeps cogitur, qui priùs tantum rogabat, per Commissarios majora imponere, & exigere, quibus fermè pares non sunt. Exempli gratiâ: Si more Romanorum censerentur jungere camporum & unum quidem annuis 6. solidis, Mercatores verò & foeneratores à centum florenis 20. solidis, particularia verò æraria Civitatum, Communitatum à suis proventibus trigesimâ

parte. Sanè census talis in 3. 6. vel 9. annos protractus multum inferret, nec tantoperè gravarentur subditi.

6. Clotarius tertiam partem Ecclesiasticorum proventuum sibi addixit, quod fermè excessit non solum Potestatem Regis, sed ipsam possibilitatem proventuum, ex quibus tot Ecclesiastici alimentari tamen debebant. Childericus octavam partem vini sibi attribuit. Dux Albanus ab omnibus & quibuscunque vendibilibus Decimam imposuit Belgio præter alia dari solita; quod fermè nimium erat. Res quippe una, decies consequenter venundari poterat; & absorbebat tali casu decima totum rei pretium, quod fermè præstitis aliis præstandis, æquitati repugnabat; & magnæ in Belgio seditionis causa fuit.

7. Modica aliqua Auxesis quorumcunque proventuum, ut sunt telonia, census, Dacia, tributa &c.&c. quæ ordinariè, & annuatim in Cameram Principis penduntur, non tantoperè gravabit subditos, dummodò illa Auxesis non se extendat ad comestibilia, & quotidiana: quia cum hæc in necessarium alimentum, vel usum cedunt hominibus, æquum non est, ut necessitas ipsa oneretur, cum ipsa necessitas sit sibi onus sufficiens. In aliis attamen, quæ ad fastum, & voluptatem referuntur, iniquum planè non est, sed salutare; si aurea, & argentea supellex, mundus muliebris, superbi amictus, bellaria & curiosa &c. quæ ordinariè in vitium provehunt mortalium animos, Gabellis, multæ, & impositionibus taxentur. In his verò omnibus auxesis illa cadat super exteros aliquantulum, sed magis super indigenas, qui ejusmodi pretiosis, curiosis, & inutilibus in vanitatem, & luxum abutuntur. Coeterarum autem portoria, & taxæ mercium, parum indigenas, sed tantò amplius exteros corripunt. Turcarum Imperator ab exteris decimam, à suis vigesimam exigat, potissimum ex illis mercibus, quæ exportantur. Materiam autem crudam; nec elaboratam, quia ex hæc manufacturæ augentur, si aliundè proveniet, modicum: si abvehatur ex

Provincia, tunc vel asportare non sinat, vel taxet plurimum. Sic manufacturæ fovebantur domi cum commodo Civium & Principis.

8. Attamen præ omnibus salubrior modus ad æs solvendum alienum collectandi est per seriam Justitiæ vindicativæ administrationem. Ubi enim quis suâ culpâ damnum sentit, non sentire videtur: Vel ne sentiat, suâ intererit emendare, & vitare pœnæ causam. Pro cujusque delicti gravitate, nisi ultimum mereatur supplicium, minor vel major pecuniaria multa jure imponitur, & à reo fisco penditur. Leges frustra præscribuntur, quarum prævaricationem nulla pœna consequitur. Ternum resultat bonum, ubi staturæ transgressoribus pœnæ sine respectu exiguntur. Nam divina indè Nemesis placatur: homines emendantur: & Principis gazophylazium augetur. Constitutiones Imperiales condemnant blasphemos in unam Marcham auri. Quanti hinc proventus forent! Idem sensus, & pœnæ statutum fit in aliis delictis, quæ secundum vires tam patrantis, quàm illorum gravitatem omninò, & jure multari valent.

9. Ex consimili ratione taxari valebunt querelæ & actiones Injuriarum, Violentiæ, contumaciæ, fractæ pacis &c. & quidem ut Actor in Principio statim taxam illam fisco pendat: Reus enim victus absque hoc tenetur in expensas. Si autem ipse actor deperdat litem, reus erit ut calumniator animadversionis, vel pœnæ Talionis; utroque modo manebit taxa fisco.

10. Non minùs in civilibus actionibus, quarum non pauca ad vexam potius, quàm juris ergò instituuntur, pensionem aliquam ante litis contestationem imponere licebit; cum aliundè jure promissum sit, de pœnâ temerè litigantium. Undè triplex commodum redundabit in Rempublicam. Primum, ut olim Catonis votum fuit, nempè *foro pellentur murices*. Causidicos intellexit ille, quorum perfidia tam venalis est in foro, quàm merces publicæ in mercatu,

catu, ut aliquando dixit Tacitus. Alterum *litium abusus*, qui charitatem christianam, & quietem vitæ civilis valdè lædit, sensim minuetur. Tertium: ex litium pensione quasi quotidianâ, crescet ararii emolumentum.

De Carolo IV. Bodinus testatur (ut jam supra commemoratum est,) quod Regis rescripto in Galliâ cautum fuerit; ne lites in dicasteriis audirentur, nisi quavis ad fiscum prius deponeret duos coronatos, ab adversario, si is deperdat, trahendos: Secus in pœnam temeritatis ex proprio luedos. Romani verò olim decimam partem à temerè litigantibus in ararium publicum exigebant, ut refert Sextus Pompejus. Caligula verò ab utrâque parte, perdente, & vincente, quadragesimam partem sibi adjudicabat. Adcò hoc nihil novi est, cum antiquitus in usu erat, licet nobis novum esse videatur, quod nostrates Principes hisce diffieillimis temporibus à nobis exigunt. Verumtamen ab antiquis, ad hæcè magnum discrimen est: Quia moderni Regnorum ac Provinciarum Vasalli, vulgò Provinciales dicti, præsertim in ditionibus Austriacis aliundè plurima annuatim pendere, & contribuere solent, quæ veteres illi non solebant, sicque illis jure videntur hæc exotica, quia nimia & non usitata. Cæterùm plurimæ Germaniæ Provinciæ non armis subjectæ, sed multæ à primis antecessoribus, quibus se illæ, vel ultroneâ voluntate dederant, vel ex pacto; & cum certis præstationibus, bonâ fide commiserant; vel salvis & juratis antiquis privilegiis se subjecerant, vel Imperatores ipsi benemeritis in gratuitum donum aut feudum tradiderant, jure vel successionis, vel hæreditatis, vel nuptiarum devolutæ sunt in præsentem possessores; adeoque præfatæ Provinciæ prætendunt mitius regi, & non exoticis illis perniciosisque angariis, maximè in cives tenuiores, plebémque miseram; præteritis aut exemptis ditioribus, Aulicis, aliisque, qui ex publico se saginant quotidie; à suis Principibus affligi. Hoc suspirant illæ miserae, quibus respirare quasi non datur.

II. Accedunt proventus ex bonis vacantibus. Bona enim vacantia jam antiquo jure debebantur fisco, & etiamnum debentur. Ex quibus divenditis ararium augeri, vel æs alienum exsolvi potest. At nimia aliquorum Principum liberalitas, ejusmodi bona, vel in Ministros, vel in Aulicos, vel in Monachos, & Ecclesiasticos, sæpè etiam in moriones confert; nequaquam adhuc redintegrato arario, vel ex soluto ære alieno, quod neque ex rectæ œconomix usu, nec ex Justitiæ Legibus rati haberi potest. Immodicæ largitiones perfundant ararium, ut necessariis non sufficiat. Quod ex Justitiâ debetur dari vel solvi, nullam dandi, & solvendi moram admittit ex quocunque liberalitatis, clementiæ, aut pietatis prætextu. Gemunt creditores, & cœlos interpellant singulibus adversus misericordiam, quæ destruit Justitiam. Bona vacantia, vel ad fiscum relapsa sunt supremæ providentiæ quædam subsidia, quæ Princeps ad ea applicare debet primitus, ad quæ ille ex Justitiâ tenetur; ut sunt solvenda debita. Nam reliqua suppeditant Ordinarii proventus. Similiter fide commissa, donationes mortis causâ, testamenta (maximè si Extraneos instituunt) taxari possunt. Item mechanica collegia, & tribus, ubi in arcam opifices contribuunt: cur Principi aliquid dare indè renuerent? Nullus propterea magis gravabitur & manebunt tamen Collegia, licet quidpiam privatæ arcæ dematur in Bonum publicæ. Eodem modo Montes pietatis, vel Collegia, quale est Genuæ S. Georgii, ubi privati deponunt suas pecunias in censum cum levi vel tolerabili usurâ; Econtra ex monte illo vel Collegio erogantur pecuniæ aliis mercatoribus, & Campsoribus cum gravissimâ usurâ; undè quotannis ingens lucrum eruitur: adeò, ut solum Collegium S. Georgii in necessitatibus, Reipublicæ in momento valeat uno millione auri succurrere. Ex præfato Collegio Genuenses Insulam Corsicam redemerunt.

12. Tandem facillimus Principis contracta debita solvendi modus est, si ipsius Provinciæ, & Status proportionabili

bili æqualitate hoc onus aris alieni in se fuscipiant, & omnia Principis debita, sensim solvenda inter se dividant. Ad faci-
 tandum hoc, indulgebit Statibus unam alteramvè, aut plures
 ex præfatis impositionibus, quibus liberè uti in eum finem,
 nimirum solvendi æs alienum, valebunt. Ubi rursus caveat
 Princeps, ne indultum hoc transeat in merum prætextum,
 gaudeântque Status concessio subsidio, nec tamen solvant de-
 bita: Quod in fraudem non solum Principis, sed totius Po-
 puli cederet, forètque hoc, abuti publicis mediis cum boni
 publici injuriâ. Id nec Princeps tolerare, nec Status ipsi ci-
 trà Synderesin praticare queunt. Ita sub Ferdinando secun-
 do & tertio Hæreditariæ Austriaci Domini Provincie sol-
 vendis Aulæ debitis se submiserunt. Ita Anno 1594. Dux Ba-
 varie cum suis Statibus transegit, ut isti tenerentur Ducis de-
 bita, quæ se extendebant ad quadragies septem centena mil-
 lia, intervallo duodecim annorum planè, & adæquatè exsol-
 vere, præter ordinaria tributa dari solita.

13. Ad ejusmodi ultroneam Statuum submissionem
 procurabit reciprocè Princeps primò: ut ex solutis debitis,
 hoc sine indultæ taxæ, & Gabellæ, sive telonia, quamprimùm
 tollantur, neque ejusmodi gravissima extraordinaria & gra-
 tuita media in consequentiam vel præscriptionem abeant.
 Hoc quippè cederet non solum contra jus, & æquum, sed con-
 tra datam fidem Principis.

Secundò, ut tollat ille deinceps sumptus inanes, restrin-
 gat voluptuarios, & œconomicâ lance moderetur necessarios
 tam domi, quàm foris. Ne rursus se obstringere cogatur ari
 alieno; & posteriora reddantur pejora. Valdè enim desipit,
 qui proprio malo non sapit.

Tertiò, ut omni possibili modo gratificetur suis Provinciis,
 & Statibus, qui tantum exantlati sunt Onus. Non infidietur
 illorum libertati: manuteneat privilegia: promoveat ad publi-
 ca Patriotas; fidat se suis, non externis: consultò agat res Bel-
 li, & Pacis, pecunias publicas non in prædam dedat Aulicis: Pa-

rimonium suum committat fidei virorum proborum, non usurpationi adulatorum. Ejusmodi grato Principi nunquam deerunt subditi in quacunq̄ necessitate: nec se talis facile gravabit ære alieno. Si tamen iniquitas fortis adversum quid tulerit, ultrò subditi supponant humeros oneri. Felix Princeps, qui suos pro se esse sciat.

14. Postremum denique alienum æs refundendi medium est, ut Princeps tunc de remedio cogitet, cum plagam suscipit æris alieni. Nisi provideantur, nisi determinentur, ac certò habeantur media solvendi, antequam se obstringat Princeps debitis, certo certius crede, ea non refusum iri, nisi cum ingenti difficultate, & incommodò Reipublicæ.



CAPUT XII.

*Exemplo Hispaniæ, Galliæ, Angliæ
ostenduntur modi conficiendi Ærarium publi-
cum.*

I. **A** Scopo non deflectam, si Regnorum aliquot expendam, sive copiam sive inopiam. Exempla plus instruunt, quàm dogmata: Usus magis, quàm Theoria. Oeconomia quidem Regum in exactione potiùs, quàm in quæstù, & industriâ se occupat. Non vult parsimoniam: contenta, si modò in prodigalitem non incidat. In luxum sapiùs, quàm in avaritiam, impingit. Paucos imitatores habent Medici Principes, quorum vis maxima ærarii ex œconomiâ, & quæstù. Pudet hujus alios, sed magis pudeat egere. Interim felix Princeps nemo est, nisi qui locuples; ac plerumque invidiam aliorum Principum patitur, qui ærarii sui nervis conpagem Reipublicæ continet; nec aliena indiget ope.

Qui

Qui par est sumptibus, cuius subsidia nunquam desunt. Quales in hoc Angli sint, Galli, & Hispani? (primæ in Europæ potentia) paucis expediam. A Primis ordior.

2. Inter Insulas mundialis sphaeræ [maximè celebris Britannia, interfuso Oceano, ab Europæ continente discernitur: à Septentrione vastissimo hyperboreo, ab Ortu Germanico, à Meridie Britannico mari alluitur, ut ex hoc ipso fitu, qui navigationibus, commerciis, tam indigenis, quàm externis opportunus; verùm etiam ex omnigenâ metallorum copiâ, ex manufacturis pretiosissimis, ex tenuissimarum lanarum pannificio nobilissimo, ex multiplici mercaturâ, ex Indigenarum frequentia, & opibus; ex soli ad vitæ humanæ necessitate, præter vinum, aliâs rerum omnium abundante fertilitate; opulentissimum reddatur Tri-Regnum Angliæ, Hybernæ, Scotiæ; uno Britannici Imperii nomine complexum.

3. Et exindè facilè conjicitur, tam rem ejus monetariam, quàm ipsos redditus Regni, quibus publicum ærarium repletur, vulgò dictum **Scaccarium**, in quem censuum, & reddituum principalium, tam qui ex provinciis proveniunt, quàm qui aliundè solent obvenire; qualia sunt telonia, vectigalia, decimæ, decimæ quintæ, indictiones, Capitationes &c. inferri consuecunt, fermè immensos esse.

4. Primi redditus obveniunt ex ipsâ à Rege in summâ quantitate, tam aureâ quàm argenteâ causâ monetâ, quam Angli per libras Sterlingorum exprimunt. Quid autem hæc, aliis nationibus insolita species monetæ sit? operæ pretium duxi quædam prænotare.

Hæc Sterlingorum Moneta Originem exindè habet. Sub Henrico Rege Angliæ ejus nominis IV. celebratum fuit Concilium Londini Anno Salutis 1249., in quo inter alia salutaria decreta; illud quoquè pro commodo publico sancitum fuit; quod grossi argentei, qui tempore illo, permittente avaritiâ Regis, valdè tondi, & à bonitate argenti depravati, inter ho-

mines currebant, dissolvi, & loco illorum moneta Sterlin-
gorum cudi deberet, ab effigie Sturni aviculæ, quæ Anglicè
Sterling appellatur, in alterâ nummi parte expressâ, ita voca-
ta. Erat autem avis illa olim pars aliqua insignium, quibus
Reges Angliæ utebantur. Valor hujus monetæ, sive libræ
unius Sterlingorum, transcendit quatuor nostros aureos: aded,
ut parvus Anglicæ monetæ numerus valore suo ingentem sum-
mam exæquet nostratis pecuniæ: Quod prænotare necesse
fuit, ut palàm redderetur sub expressione exigui numeri, in-
gens quantitas reddituum Regni Angliæ.

5. Et profectò nullibi opes pecuniariæ majores: Solùm
in duabus Societatibus eorum, qui vernaculâ *Aventurieri*
vocantur (sunt autem ii, qui, speciali privilegio, soli queunt ex
Belgio in Angliam, & vicissim, mercimonia invehere.) Et alii,
qui lanificia exportant, *Stapolieri* vulgo dicti, quorum multi
reperiuntur ita locupletes, ut quinquaginta, & sexaginta mil-
lia librarum Sterlinarum possideant singuli & passim innu-
meratâ pecuniâ: quæ summa ducenta millia aureorum no-
stræ monetæ exsuperat. Imò falsamentorum mercatores
præfatum pecuniæ numerum attingunt, ut indè ex privato-
rum opulentiâ pecuniariâ concludi queat ipsa ærarii publici
indefinens pecuniæ accumulatio. Undè enim ærarium, nisi ex
privatorum opibus?

6. Alii reditus proveniunt ex ipso patrimonio Regni,
quod consistit in Provinciis Coronæ annexis, & excedunt sep-
tuaginta millia, centum octuaginta octo libras Sterlingorum:
Ex Ducatu Lancastriæ percipit decies septies mille, trecentas
novem libras: Ex redditibus Abbatiarum & aliarum domo-
rum, quas Rex Henricus, ejectis Monachis patrimonio Regni
asseruit, centum & quinquies mille septingentas, & quinquag-
inta duas libras. Quæ summæ simul acceptæ aliquot millio-
nes florenorum conficiunt.

7. Tertia reddituum species est ususfructus annuus ex
omnium pupillorum bonis, quæ coronæ obnoxia sunt, usque
ad

ad XXI. ætatis annum. Immenſam inde pecuniam perciperet Rex, niſi tutelæ in alios divenderentur, vel ab agnatis pupillorum redimerentur, à quibus non rarò X, imò XX. millia librarum Sterlingarum pro unâ tutelâ Regi penduntur. Sed hinc multa emanant planè inconvenientia (ut Legatus ille Venetus coram Senatu de Regno Britannico retulit) tùm quia bona pupillorum negliguntur: tùm quia ipſi pupilli male tractantur, cum ut plurimùm tutores mercenarii ſint, qui tutelæ lucri cauſâ à Rege emunt, ſuamque tantùm utilitatem reſpiciunt, affinitatèſque quaſi vi, non liberè contrahunt, filios ſuos, filiàsve, aut nepotes, aut proximos cum pupillis in matrimonium fraude conjungentes: Neque obſtat, quod à parte tutorum nulla ſit ad pupillos proportio ſive in divitiis, ſive in nobilitate: Undè conjunctis nobilibus, atque ignobilibus, & ſtirpes degenerant, & graviffima proficiſcuntur inter conjugatos odia, ac divortia frequentiffima. Interim obventur tantorum reddituum regio arario benè fit.

Honori-
rius.

8. Idem intelligendum eſt, de matrimoniis quorumcunque: nemo enim, qui bona ſub Coronâ poſſidet, matrimonium contrahere audeat, niſi Regis beneplacitum impetraverit, utpotè qui matrimoniorum ex vetuſto Britannia privilegio Dominus eſt. Et licet Rex in ſimilibus liberalitatem quandam demonſtrare ſoleat, nihilominus tamen ex ejuſmodi Matrimoniis collecti redditus aſcendunt in annos ſingulos ad triginta millia librarum ſterlingarum. Prætereà moris in Anglia eſt, ut pupilli ex minorenni ætate egreſſi, qualiſcunque conditionis ſint, antequàm juris ſui facti adminiſtrationem fuorum bonorum adeant, tantundem coronæ pendant, quantum ex hæreditate emolumenti uno anno percipi poſſit.

9. Quartò maximi cenſus proveniunt Coronæ, ex infinitis quaſi feudis Nobilium, quorum ſolummodò equeſtres ad ſexaginta millia ſunt, quod genus reddituum dicitur *Rilieve*.

10. Quintò Portorium, ab omnibus mercibus, quæ evēhantur, magnam pecuniæ ſummam arario invehit. Exigitur

autem tam ab Anglis, quam peregrinis: sed non sine aliquâ differentiâ. Nam in aliquibus quadruplo magis aggravantur peregrini quam domestici. Extendebat se verò portorium hoc, exceptâ annonâ, & iis, quæ ad victum hominum pertinent, itémque apparatu bellico & nautico; mercibusque exceptis, quæ in Regnum importantur eo consilio, ut rursus exportentur, aut ut inde panni linei aut serici texantur, denique auro, argento & gemmis: tempore Regis Jacobi ad librarum sterlingarum centum viginti sex millia, Octingentas septuaginta quatuor, quæ summa ex postmodum aucto portorio transcendit modò trecentas sexaginta mille libras sterlingas, sive unum millionem, quadringenta quadraginta millia ducatorum aureorum. Adeò magni proventus redundant ex promotis diligenter commerciis vix sensibili subditorum gravamine.

11. Sextò in computum Angliæ redituum accedunt quoque emolumenta omnia, quæ ex metalli fodinis, in singulos annos, in magnâ abundantia (cum vix ulla hujus protho-Insulæ pars, hoc naturæ beneficio destituatur) à Coronæ quæstoribus percipiuntur.

12. Sunt quoque reditus Episcopatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium, & quo tempore Abbatia suo jure fruebantur (erant autem innumeræ) plurimus erat proventus, ut habet Honorius in Relatione Venetâ. Earum enim distributio, quemadmodum & Episcopatum, ad Reges pertinet, qui dum plùs minùsve earum collationem differunt, sibi illarum fructus acquirunt. Posteaquàm verò Henricus VIII. ingenti totius Europæ scandalo bona Ecclesiastica occupavit, seque ab Ecclesiâ alienavit, præfati reditus duplo auctiores facti, sunt, ut quasi incredibile sit ex unâ insulâ, sine subditorum extraordinario gravamine, tantum auri & argenti extrahi, & in ararium publicum conferri posse.

13. Proximi his reditus sunt ex bonis toties fisco adjudicatis: ex pœnis, & mulctis pecuniariis, à delinquentibus Nobilibus,

bilibus, Ecclesiasticis, & Officialibus aliquando etiam ob leves causas, sine respectu personarum Indies exigendis. Sanè in nulla Orbis parte tot recensentur supplicia, quàm in Angliâ: quibus plerumque accedunt confiscationes bonorum.

14. Et præfati quidem Angliæ proventus ordinarii dicuntur, nam in eo Regno extraordinariè gravari haud solent subditi, nisi in extremis necessitatibus, præsertim belli. Tunc enimverò Reges Parlamentum indicere solent, & ejusdem auctoritate auxilium ab omnibus suis subditis imperare. Idque duplex: Primum vocant *Subsidium*. Est autem pensitatio quædam, quam omnes omninò subditi, è bonis suis omnibus, ratione quædam æstimatis (quæ quidem levissima est) Regi, aut certis momentis, sive per partes; aut simul, & semel solvunt, idque semel, bis, prout parlamentum decernit: id enim juris habet ejusmodi extraordinaria subsidia auctoritate suâ limitandi, augendi, circumscribendi, ut res, tempus, & præsens necessitas exigere videatur.

Smithy
de Rep.
Angl.

Pro singulis autem libris sterlingis quibus bona æstimata fuerint, solvunt Laici: indigenæ quidem, quorum bona mobilia valent tres libras, annuatim, pro singulis Libris 11. Schiling & 8. denarios. Avenæ autem 5. Schiling: & 4. denarios. Dein quibus bona sunt immobilia, indigenæ quidem pro singulis Libris annui antiqui reditus 4. Schil. avenæ 8. Ecclesiastici autem ex annuis suis redditibus pro singulis Libris pendunt 4. Schilingos. Hæc de subsidio primi generis.

15. Aliud auxilii extraordinarii genus, quod ab iisdem parlamentariis comitiis Regi indulgetur, *Dena*, & *Quindena*, appellatur; harum quoque binæ, ternæque, interdum & plures successivè solvendæ, Regi obarato, vel in necessitate aliquâ constituto conceduntur. Est autem quindena hæc, & dena taxatio certa, pro decimâ quintâ, aut decimâ parte Bonorum, civitatibus, Burgis, & Oppidis, non viritim, sed generatim imposita; in Oppidis quidem dena, in pagis autem, & ruri quindena solvenda.

16. Solet quoque interdum Rex sine Parlamenti auctoritate à locupletioribus subsidium petere; quod benevolentiam, sivè auxilium gratuitum vocant, præsertim autem ab Ecclesiasticis Præsulibus Angliæ, quorum numero 26. Primarii sunt, ac supra modum magnis reditibus in annos singulos gaudent.

17. Superfunt & multi alii pravidendæ pecuniæ modi, qui, ut relatio habet, Veneti Legati, profectò plurimi essent, ac Regi peritiles, si modò vellent, aut auderet, partem aliquam illorum gravaminum, quæ in aliis nostratibus Regnis practicantur, & (quod miserandum) in morem, sine ullâ spe remissionis, transferunt introducere. Verùm in hac parte vel nolit, vel non audeat, revera mirabilis est, & perrara Regni illius libertas, undè nullum Europæ Regnum minus oneratum & plus opulentum est.

18. Etsi quândoque, ut diximus, Parlamenti interventu in necessitatibus publicis subsidia extraordinaria sanciantur, ea tamen svavi quodammodo, neque minùs legitimo exiguntur. Primum enim est, ut sciatur causa necessitatis sufficiens & publica, quæ valdè alleviat onus contribuentium. Secundò, ut fiat sine respectu & indifferenter ab omnibus subditis peregrinis & indigenis, & ex æquâ proportionem. Tertio: ut Bona non rigidè æstimentur, sed obiter. Quarto, ut subsidium non pendatur immediatè, nec totum simul, sed per partes, & intervalla.

Quintò: nè ejusmodi subsidium in consequentiam vel continuationem veniat; sed ad tempus præsentis necessitatis expendatur.

Quæ omnia eò collimant, ne graventur subditi, & tantò libentius succurrant, quantò minus inviti sunt. Difficile ab invitis obsequium expecta coacta subsidia tardiùs præstantur. Ars quædam esto demulcendi mulctatos: subdent colla, & bona rogati. Vix in Europâ aliud ararium supra Angliæ est, licet hoc ex oppressione subditorum non erigatur. At
sicut

sicut Regnis, ita nec arariis, idem naturæ beneficium esse potest. Britannia in seipsâ secura est à naturâ suprâ omnia munimenta melius cincta non indiget copiis, non classibus, non aliis Regnorum dispendiis, nisi plura quærat, & majora ambiat.



CAPUT XIII.

Continuatio Materie in Gallorum Regno.

I. **M**edium tenuere Beati. Ita Galli vel ex hoc felices, quod licet illi ex naturæ vehementiâ non mediocres, extrema magis ament, quàm media: in medio tamen Europâ fortunâ collocati sint, an in vicinorum perniciem, an in salutem? hæreo: hoc verò certum; in Regni sui commoda quamplurima. Omnes, præter paucos, quasi christiani Orbis Principes Galliæ finitimi sunt, in quos ferè arbitrari potest, sive ex illis sibi faciendo amicos, sive disjungendo, qui sui inimici sunt. Peti potest ab omnibus, sed sejuncti non sufficiunt. Par tamen est omnibus, nisi offendat omnes. Regnum ex duodecim quasi Regnis in se unum; nec in partes disjunctum, nec in plures divisum. A naturâ undequaque vel Alpibus, vel Pyrenæis, vel mari, vel maximis fluminibus munitum. Ex soli fertilitate nullius rei aut externæ opis indigum: imò ferax omnium, ac in alios liberale. Undique mari alluitur, & maximos, eosque navigabiles fluviôs, vel in meditullio, vel in extremitatibus exortos, in mare præcipitat. Unde totius Europæ commerciorum commune existit emporium. Mosella, Arari, Rhodano cingitur: Sommâ, Sequanâ, Ligeri, Garumnâ secatur; seque utrique

per illos mari mediterraneo, & septentrionali communi-
cat.

2. His omnibus perspectis, an quispiam de ararii Gal-
liæ opulentiâ ambiget? Ubi enim tot naturæ, situationis, ac
commoditatis adminicula sunt, longè abest omnis inopia.
Ubi undequaque scaturiunt fontes divitiarum, ibi nulla ege-
statis metuitur siccitas. Abundantia omnium, excludit in-
digentiam. Qui aliis conferre potest, sibi satis habere debet.
Attamen ut rem propiùs videamus, examinemus in specie re-
ditus illius.

3. Horum primarii ex Patrimonio Regni (quod vulgò
le Domaine dicitur,) arario inferuntur. Rex enim verò Pipinus
primus sui generis, & Caroli Magni genitor cum primum
Franciæ fasces adeptus, omnes suas ditiones quas in Austrasiâ
& alibi possedit, Coronæ incorporavit, & inde cœpit patri-
monium Regni *Le Domaine* superius dictum: quod deinde
per Successores Reges, præcipuè verò Capetingos & Borbo-
nios in immensum ampliatum est. Dixi Patrimonio *Regni*
non Regis: quia Bodinus testatur, Reges Gallos ultrò confiteri:
**Dominium rerum in Galliâ publicarum
non esse Principis, sed Status.** Et exemplificat
in Carolo VII. quia prædiorum Coronæ oppignorationem
vetuit, nisi Parlamentum id Procuratore Fiscii rogante decre-
visset. Et Franciscus II. ex hæc juris causâ, plura abalienata à
prædecessoribus, publico decreto Coronæ revindicavit. Pos-
sunt attamen per assignationem (salvo jure Majestatis, quod
in Galliâ incommunicabile est) Principibus Sangvinis in Ap-
pannigium dari.

4. Proventus verò isti ex Patrimonio Coronæ quasi im-
mensi sunt. Nam sub his, præter annum censum de omnium
Bonis, quæ privati, sive ut propria, sive jure Feudi, & Em-
phitheuscos possident, comprehenduntur omnia antiqua
vectigalia, portoria, impositiones, Bona caduca, vacantia,

peregrinorum item & spuriorum, decimæ omnium mineralium in omnibus Regni partibus: Item jura, quæ Rex possidet in Archiepiscopatibus, & Episcopatibus Regni, perfructu Bonis & præbendis Antistitum, donec, qui in demortui locum suffectus est, præeunte Cancellario, jurejurando fidem Regi obstrinxerit.

5. Quæ omnia in tantum replent ærarium Regis, ut sufficiant omnibus plenè Aulæ, Regni, Militiæ aliisque publicis dispendiis. Atque anteriores Reges his solis redditibus vivebant, & conficiebant omnia, domi & foris cum plausu & honore: & ex residuo adhuc magnos comparabant thesauros in futuras necessitates, præter ingentes eleemosynas & beneficia opima Ecclesiæ collata; & alias fundationes pias, civiles, militares, cœnobiorum, academiæ, nosocomiorum, armamentariorum, fortalitiorum &c. &c. quæ etiamnum antiquorum Regum Galliæ pietatem, providentiam, industriam resonant, celebrantque memoriâ nullo ævo oblietandâ.

Duravit autem hæc Regum Franciæ ad solum patrimonium restrictio usque ad Caroli V. Regis Galliæ tempora, ubi ex subditorum Collectis vix trecenta francorum millia recipiebantur. Crevit sub ejus filio Carolo VI. intra 40. annorum spatium ad quadringenta quinquaginta millia; sub Carolo VII. ad unum mediûmque millionem & ducenta millia. Ludovicus XI. auxit hos proventus ex subditis quatuor millionibus & septingentis millibus: sed Successor hujus, & filius Carolus remisit in Comitibus millionem & ducenta millia: Ludovicus XII. multigenis bellis licet gravatus, non tamen gravavit subditos, contentus Antecessoris dispositione. Cujus vestigia secutus Franciscus I. aucto insuper ex suâ parsimoniâ duobus millionibus ærario, quod post excessum ipsius, Henricus ejus filius prodigalitate suâ confestim evacuavit, impositis insuper novis tributis, & contracto ære alieno quadraginta duorum millionum. Abhinc semper creverunt ma-

gis, quàm decreverunt Collectæ; adeò, ut tempore Caroli noni quatuordecim, & Henrici tertii quindecim milliones, septingenta triginta & sex supra millia à subditis pendi debuerint. Sed neque hinc substitit Galliarum Regnantium cupiditas, amplius se extulit sub successoribus, ut sub aliquibus Regibus ad 60., postea ad octoginta, tandem ultimis his angariis supra centum viginti milliones se extenderit, idcirco tantæ pecuniæ summa, præter infinita alia Regni emolumenta, atque reconditas artes cumulandi ærarium; omnibus vicinis formidanda est, perplexamque reddit Europam universam.

6. Porrò sub triplici specie hos proventus considero, vulgò dictos **Tailles**, **Tailon**, **les Crues**. Tributum Primum, id est, **Tailles** primitus quidem in magnâ solummodò necessitate Regni imponebatur: deinde verò sub Carolo VII. ad ordinarios redditus inscripta. **Tailon** alia specietenus tributum ratio; sed reipsâ tantum prioris est augmentum: & invaluit sub Henrico II. ex prætextu, quod militia egeat, ac in disciplinâ contineri nequeat; quin ex prædâ rusticorum suæ egestati sibi subveniat: quod ne fieret, augeri debuit tributum. Eodem modo, quo ad tertiam tributum speciem processum est, quæ **les Crues** dicitur. Auctâ enim militiâ, & ex hinc stipendiis, augere quoque oportebat tributa. Ab ejusmodi tributum impositionibus exempti sunt Principes Regii, Regina, Duces, & Pares, Nobiles, Clerus, Officiales Regis & Regni, Aulici, Urbes & Villæ, aliqua ex rescripto Regis, adeò, ut soli ex tertio ordine, id est, Plebeji, huic gravissimæ angariæ subjaceant, ærarioque publico, præter dicta, & dicenda, inferant circiter duodecim milliones, ut Author libri: **Les États, Empires &c. du Monde**, ex rationario regio luculenter refert.

7. Post tributa consequuntur subsidia, vulgò **Aydes**. Hæc, ait Bodinus, primum Rege Joanne in Angliâ captivo, per

per summam necessitatem imposita in Comitibus Ordinum à Carolo Delphino convocatis, impositis duodecim denariis, in singulas libras omnium rerum venalium, quæ quidem usque ad certam tantum summam attingere debebant, sed postea in perpetuitatem redacta, imò aucta cum magno strepitu Regnicolarum.

8. Rursus Gallis *equipollet*, ut dictum, & alia proveniunt species, quæ (ut refert Du Haillon) libertas saltem emendi vendendique extra Regia horrea (nam sat in horrea certis Regni locis disposita reconditur,) pœnâ capitis in illos sancitâ, qui aliunde, quàm ex illis horreis emerint. Hinc anno 1554. Lege in Senatu dictâ, compellebantur Pictones, Ruppellani, Circuminsulani, Engolismenses, Lemovices, Petreorarii, Santones, præfatam emendi libertatem undecies centum nonaginta quatuor millibus redimere.

9. A parte est gabella salis omnibus communis, quam eò provexerunt Reges, ut quasi Regium patrimonium adæquet, res aliis gentibus maximè in septentrione planè insolita, nec facilis creditu. Sal etenim est, quasi quintum elementum naturæ humanæ; quo sine illa vix diu subsistere valet. Misera in hoc Galliæ conditio, quod in alimentò maximè necessariò, necessitatem gravem experiri debeat! Eò quippè ventum est, ut de suâ atate testatur Bodinus, quod in salinis Pictonum modius salis, qui priùs duobus aureis emi solebat Parisiorum mensurâ, nunc viginti aureis (quis credat, nisi Gallus Scriptor referret) ematur; Vestigial tamen subditis duplo gravius, quàm salis pretium imperetur. Quò fit, ait Bodinus, ut qui longius à salinis absunt in Galliæ finibus, salis modium centum amplius aureis, emere cogantur. Non sunt certiora Vestigialia, quam imposita rebus absolutè necessariis. Sed periculosiora nulla sunt mediâ, quàm quæ præcipiuntur ex alimentis egenæ plebis. Gravior non est seditio, quàm ubi Populus ex ineluctabili necessitate desperat. Ejusmodi tragœdias multoties exhibent Galliæ monumenta.

10. Accedit etiam vectigal vini auctum à Carolo IX. & perpetuum factum : licet olim non imponebatur, nisi in subsidium redimendi Patrimonii, si quid inde per summam necessitatem oppignoratum fuit. Idem accidit, cum vectigali mercium, quæ ex Regno exportantur, primum enim vectigal à Rege Carolo V. ad tempus indictum, sed postmodum continuatum; imò à Carolo VII. & VIII. Regibus, ut etiam à Francisco, auctum. Adeò facile, non ex Juris, sed Regni lege odiosa ampliantur. Thuanus scribit : Lege Regni Sacerdotum collegia res Soli, & immobiles, ignobiles autem prædialia nobilia & Patrimonialia possidere prohiberi : Igitur quadragesimo quoque anno, nè ultrò præscriptio excurrat, redimi debent à Rege, undè hoc nomine magna pecunia arario regio penditur. Idem Thuanus de unâ Provinciâ solâ testatur, solvissè hoc nomine centum millia francorum; unde argumentum est ad alias.

lib. 3.

11. Residuum est Tributum militare, quod indigenæ conferre debent præter alia omnia onera ad Regis ararium pro solvendis quinquaginta millium militum Stipendiis. De hoc ita disserit Thuanus : Præter Regium patrimonium & alia Regni vectigalia Carolus VII. bellis civilibus diu jactatus, cum prævideret magnam potentiam haud diu sine motibus stare posse, summâ Providentiâ tributum peculiare ad alendum militem excogitavit : & ita diù inter gravissima bella militaris disciplina viguit, Regibus honorifica, nec populo gravis : donec per bella civilia, & eorum, qui in gratiâ apud Reges præter meritum floruerunt, avaritiam; exhausto arario, antiqua illa vectigalia, cum cæteris confusa sunt; quo factum, ut disciplina sensim labefactari, mores corrumpi, milites egere; plebs novis subindè imperatis vectigalibus gravari, & discurrere ad rapinas stipendii inopiâ milite, vexari cœperit, ut paulò antè dictum est.

lib. 42.

12. Non minus venalia officia ingentem pecuniæ vim Regio arario accumulans. Non solum, cum illâ emuntur, verum

verum etiam, quod annuatim pro unaquaque libra pretii pro ipso officio persoluti quatuor denarii pendidebeant. Quod Galli *Paulettam* vocant. Ferunt Regem inde quotannis percipere unum millionem, & ferme medium, supra pretium, quod ante ex venundato officio perceperat.

Pauletta autem inde dicitur, quod ab uno nomine Paulet inventa & Regi Henrico IV. persvasa. Ipsi etiam Quaestores multum inferunt Regio Aërario. Sub Francisco I. erat unicus: sub ejus filio Henrico Secundo erant duo. Ludovicus XIII. addidit tertium: Hujus Regina mater voluit adhuc quartum, verum alii tres datis à quovis eorum in donum Regi 50. millibus coronatorum, ab omnibus verò tribus simul sexcentis millibus Francorum, excusserunt quartum. Horum quodvis officium venditur pro uno milione Francorum. Salarium cujuslibet sunt duodecim millia florenorum: & à quolibet floreno, quem in cassam recipiunt, tres denarii pertinent ad illos, quod per annum ingentem summam conficit. Et hæc officia sub Henrico IV. Hereditaria facta fuere, cum multò majori fœnore, quàm divendebatur prius, sed quid Boterus, quid Thuanus de mercatu hoc sentiant? videamus.

13. Boterus meminit hujus opimi reditus, ut jam dictum, Auctorem fuisse Franciscum primum, & supra quam par est, Auctorem Henricum tertium, qui, Thuanò asseverante, in ipso Regni ingressu dignitatibus, & officiis, quæ apud Gallos innumera sunt, immodicum pretium constituit, quo ea à dignis, & emeritis, mercaretur, atque in indignos transferret. Receptum autem erat, ut nisi ejurantes Magistratus Praefecturas ac officia à die Procuratorii, quadragesimum diem superstites, excessissent, eorum fato caduca fierent. Valetudinarii, senesque metuentes suis exuviis, ne in fiscum caderent; mature ordinibus se subducebant per latum Edictum, quo Rex persoluto sibi annuatim, ut dixi, certo nummo officia eorum non fisco accrescerent, sed fas esset hæredibus ex illis pretium

Boterus ibidem

contrahere, non aliter, quàm ex prædiis, vel aliâ quâcunque re hæreditariâ fieri solet, edixit. Quod Thuanus ait, non solum dictu foedum, sed eventu summè detrimentosum Regi & Regno fuit: atquè ad eò familiis singulis, aucto in immensum, & supra spem, fidemque pretio, ut illud plerumque tota Patrimonia vinceret. Cum lien intumescit, cœtera membra tabescunt, necesse est, ut omnes egeant, ubi ærarium superabundat. Et hoc est illud, de quo querebatur Tacitus: *per scelera implere ærarium*. Cum enim videret Rhoanii Marchio, Regem immodicis donationibus evacuarè ærarium, ut olim fecit Caligula; neve continuo æs suppeditando, ære tandem deficeret; id consilii suggessit Regi, ut annua hæc Pensitatio subveniret ærario. Variè hoc à succedentibus Regibus actum, acceptumve, sæpè auctum, aliquando immi-
nurum, quandoque abrogatum, sed mox prorogatum; adeò ut hæc officiorum venundatio etiamnum maneat, ac ingentes, & majores semper in Annum proventus Regio fisco adferat. Ex ungue denique Leonem: & ex hoc unico, quod sub Henrico 4to in solum bellum domesticum, & civile, & quidem ex solis vectigalibus nonaginta milliones aureorum insumpti sint, Gallia immensos proventus opésque publicas concipere licebit.

14. Porrò licet Gallia tantæ opes publicæ sint, totvè (quæ ipsum fermè excedunt cogitatum humanum) adminicula habeat replendi ærarium: Nihilominus tamen tantæ, non solum antecedentibus, ac primis, sed etiam succedentibus, & his ipsis temporibus ærarii Gallia angustia reperiuntur, ut rursus præter præfatos auctosque redditus, novæ exactionum inventiones, & formæ in annos singulos prodeant, & alias semper, easque acerbiores denuò meditentur. Quid hoc rei esse debeat? & quæ? quovè referendæ causæ? Ipsi Gallici primæ notæ Scriptores luculenter enarrant.

15. Enimverò nemo refragari potest, quin Gallia ærarium, posterioribus ævis post excessum Caroli quinti Regis,

sub omnibus fermè Regibus sæpè sæpius magnâ inopiâ laboraverit. Ipse Rex Henricus in Comitibus Regni palàm exposuit *Patrimonium omne regium oppignoratam*. Eo autem moriente fiseus regius ære alieno gravissimè oppressus jacebat, & supra quadraginta Millionses debuisse, testatur Bodinus.

Thuanus
lib. 20.

16. Quam ipsam ærarii penuriam postea Cardinalis Lotharingus Ordinibus proposuit, inquit : Onera Regni vicies quinque centenis millibus librarum Regios proventus excedere. Extat Marchionis Hospitalii oratio apud Thuanum ad Senatum Parisiensem : Scire omnes ita grande æs alienum à Francisco I. & Henrico II. Regibus contractum, ut illud vix per decennium regie pecuniæ, si eò cunctæ referantur, exsolvere queant. Quod de temporibus Francisci Primi haud crediderim, nam, Authore Bodino, (non minùs Gallicarum rerum Scriptore, quàm Thuano) emoriens Franciscus decies septies centena aureorum millia in ærario publico recondita permisit, præter trimestria tributa, quorum dies jam venerat, nec tamen accepta. Ast Calamitosissima Henrici II. dominatione brevi exhausto Patris, id est, Francisci, ærario, usuras centesimas, & ampliores, ipse pactus est. Cum verò pecunia fœnori non sufficeret, usurarum usuras Creditoribus promisit. Sub Carolo IX. Cancellarius, nomine Regis, ad Comitibus retulit, ad eò esse exhaustum ærarium, ut nihil ei à patre, & fratre, præter plorare, relictum videatur. Sub Henrico tertio, confectanea ex Prædecessore dissipante omnia, emergebat ærarii angustia, ut Episcopus Parisiensis ad Pontificem, qui extremam Christianissimi Regni inopiam universali Regum Patri quereretur, ablegari debuerit, obsecrans quinquaginta aureorum millia annui redditus ex Sacro Patrimonio alienandi facultatem. Ipse autem Rex in Comitibus Blesensibus exposuit, decrevisse, se centum aureorum annuorum millia ex Regio etiam Patrimonio in perpetuum alienare, id, ut accedente Ordinum auctoritate, fiat, expetere. Cui Æmarus Burdigalensis Præses Ordinum nomine negavit, & nullo casu

Thuanus
lib. 43.

alienari à Rege Patrimonium Coronæ posse multis verbis differuit.

17. Marchio d' Effiat, Rationem reddens de suâ quaesturâ, ait, se, cum quaesturæ admoveretur, sub Ludovico XIII. nihil in arario invenisse, sed reliqua hujus anni trimestria, atque adeò prima per anni sequentis anticipationem jam exhausta cognovisse, cum interim immanes summæ quam plurimis solvendæ incumberent, quas ille paratâ pecuniâ, quæ fœnore accepta fuit, exsolvit, cujusque usuræ ascendunt ad myriadem librarum annuatim, præter debita priora. Ex quibus planè constat, sicut immanes esse proventus Gallia, ita sæpè majorem penuriam, plerumque vel ex malâ administratione. Quæstorum, vel ex Regis prodigalitate, vel ex tantorum bellorum continuatione.

18. Undè Cleri, ac Parisiensium civium nomine aliquando ad Regem Henricum Tertium supplex perlatus, qui miserabilis non solum urbis, sed universi Regni Status oculis subiciebatur: nam inter quindecim annos sola Urbs extraordinariè, & præter consveta, circiter quatuor milliones librarum pendere debuerit, & duplo ferè majorem summam ordo Ecclesiasticus. Nec rei pecuniariæ administratio, & dispensatio suo vitio carebat, quippè cum constet (referebat supplex) plerosque in eâ avarè versari, & inutilibus sumptibus, ac largitionibus integros milliones absummi, eoque modo, non mediocriter ararium gravari; quod exhaustum miseræ plebis spoliis, atque adeò sanguine farciatur, necesse est. Quod tamen sibi minimè animo duxit Henricus, sed omni potius curâ solutus, & tantum voluptatibus intentus, nullum insanis sumptibus modum faciebat, quibus cum ararium, quamvis multiplicatis toties Regni vesticigalibus, non sufficeret: ad exoticas artes, & perniciofa maleferiatorum, & hujusmodi hominum in plebe excarnificandâ ingeniosorum commenta conversus, quotidie novos Magistratus, nova officia, nova tributa excogitabat, conditis eâ de re Edictis, quæ ipse in Senatu fre-

fremeatè Populo, & prudentissimis inter se tacitè indignanti-
bus, promulgabat, & cum rigore exequi curabat. At si ex uno
famelico multum pecuniæ publicæ decedere potest; quid
opinari licebit; ubi tantus, qualis in Galliâ sub Henrico III.
& Ludovico XIII. erat, numerus quæstorum, coactorum,
fiscalium, ac publicanorum habetur? Acerbè queritur desu-
per Bodinus; inquit: cum antea Imperio Gallorum longè,
latèque patente una Legistarum curia sufficeret, nunc septem
Curias habemus, & cum antea Philippi IV. Edicto quinque-
viri in rationali Curiâ Parisiensium censerentur, nunc ducen-
tos conscriptos videmus: adeò, ut dimidia pars Tributorum,
ac vectigalium stipendiis ac salariis accepto feratur, ut in
privatis Septimaniæ Comitibus, quibus ipse Bodinus adfuit,
compertum sit. Quamobrem rogationem ad Principem ferre
placuit de quæstoribus abrogandis; quâ quidem ratione Prin-
cipem in Septimaniæ Provinciâ tributorum, ac vectigalium
trientem lucraturum argumentis necessariis demonstratum.
Triens autem ferè bis centum octodecim millia librarum
Turonensium superabat. Hoc in unâ Provinciâ, quid in tot,
tantisque? Miseri subditi, miserima plebs; qui sudore, &
sangvine suo tantos faginant! Supina hæc Principum negli-
gentia est, ubi sibi, & publico detrahunt, ac universos expri-
munt, ut aliquorum ingluviem pascant.

19. Vigesimo post anno cum Blæsis Galliæ conventus
haberentur, *Maximus Luborius*, Parisiensium mercatorum
præfectus, & rationum publicarum Præses, palàm in Comitibus
dixit: Vix, ac nè vix quidem pecuniæ publicæ ex asse in ara-
rium Principis inferri quadrantem. Sanè quis hoc credat? at-
tamen plus quàm verum est; quia expertus id, & rationum
publicarum peritissimus contendebat.

Hist.
Galliæ.

His quidem excessibus prudentia Regis mederi, & arario
subvenire potest: non indè tamen sublevabit inopiam subdi-
torum. Manebunt angariæ, tributa, vectigalia, donec Galliæ
Reges ambitioni Monarchiæ universalis modum non posue-

rint. Tot inutilia, totque injusta ac diuturna bella, tanti exercitûs, tantæ militum collectationes, tantæ externorum ministrorum, per Gallicum aurum corruptiones, dolosæ pensiones, tot claves aureæ, non minus animorum, quàm munitamentorum evacuans haud semel, sed pluries ærarium, & adstringunt subditos ad immania onera.

20. Idem malum accidit modernæ Franciæ sub Ludovico XIV. Is sanè delictum erat populi sui primis annis, donec se inter septa amoenissimi sui Regni contineret. Posteaquàm verò se in tanta non necessaria externa, nec semper Regno proficua bella à Monarchiæ universalis tam spe, quàm ambitione trahi sivistet; sensim avitis deliciis successerunt extremæ Regni miseriæ, inopia, desolatio, & egenorum infinitus numerus. Quis enim non videat Regem, cujus olim omnes ambiebant protectionem, quive tot numerabat fœderatos, quot Principes & Reges in Europâ, (præter unicam domum Austriacam) nunc verò destitutum ab omnibus; imò omnium declaratum hostem. Fera hæc tempesta est, quæ tantæ successit serenitati. Anima rerum agendarum pecunia est, & primum mobile optati eventus. Hoc jam se sistere cœpit per tot infelices successus in Imperio, Belgio, Sabaudia, Italiâ, Hispaniâ. Illam quoque jam agit Francia, & ferme expirat per tot necessitates belli. Collapsa sunt commercia, exhaustæ Urbes & Emporia, mendicus civis, populus ad incitas redactus, Clerus desolatus, Nobilitas mercenaria, egestas palam publica & privata. Ipsum pelagus sensim exhauriri potest, si cœterarum aquarum affluxus sistatur. Actum est de omni ærario, ubi eger civis & populus, à quibus, cum profluere deberent opes in illud, sistuntur per interrupta commercia, per deperditam mercatorum fidem, per enervatos Subditos. Dicti veritatem non ita pridem comprobavit ipsa Principissa Sabaudia à Ludovico in Hispanias missa. Cùm enim ad Marsiliæ Emporium appulisset, ibique ad Panisensium mercatorum litteras, itineris subsidia exegisset, nec obolum

obolum planè obtinuit; ut Aula Franciæ cogeretur de aliis providere mediis, quibus Principissa iter Barcellonam usque proficeretur.

21. Magno sanè ære opus est ad sustentanda ducenta quinquaginta hominum millia, quæ nunc præter præsidarium, & subsidiarium militem, rem tormentariam, & classes maritimas; exiguntur in campo. Salomonis & Darii hæc opibus, Persarumque & Peruanis thesauris hæc opus est. Non sufficiunt ad tantam molem ferendam neo-acquisita Galliæ in Americâ, nec inter Afros parta, nec Carhagena, nec nova Francia: Omnium supplere vices, omnium ferre cogitur onera ferè sola Francia. Ideò Nobilitas hujus exhausta, aliud non est quàm magni nominis umbra: quævè pro pane quotidiano exponere debet Regi vitam omni momento. Populus planè omnis emaciatus, & civis prostratus jacet: tot namque in dies singulos oneratur impositionibus, quas per annum totum contribuere vix potis esset. Jam priore bello aurum omne argentumve privatorum raptum sub incudem: Peristromata, resque pretiosæ multo ære gravatæ: glacies ipsa taxata: & à singulis canibus (ne dicam armentis) exactum lytrum. Arborea omnes sive steriles, sive fructum ferentes, libras Francicas duas pendebant, & quinta pars fructuum ære redimi debebat. Et hoc in viridi, id est, priore bello inter victorias & triumphos: quid in arido, id est, hoc ultimo bello inter clades, cædes, & strages? Hi nimirum sunt fructus belli injusti; Paupertas publica.

22. Nequè extra dubium esse potest; quin Gallia unquam quiescet, sed continuo bellorum fluctu movebitur, donec inter rationes Statûs hanc primam habuerit, ubique se Austriacis bellis immiscendi hostiliter, hujusque gloriosissimæ gentis conatibus undequaque, sive justè, sive injustè opponendi, & rebellibus planè subditis, contra omne Jus Gentium opem non tam propitiam, quàm nefariam ferendi. DEum immortalem! quid Gallo Juris olim in Imperio, Belgio

Bohemiâ & nunc in Hungariâ ? quid in Austriacos subditos & vafallos ? Quod Cœlum, aut quis Jupiter Gallum constituit Protectorem aliorum dominiorum ? an Gallia asylaris ara facta perduellium, sceleratorum, sicariorum ? ex quo Juris Gentium, aut naturæ capite Cardinalis Richelius pro lege fundamentali, & plus quàm Salicâ, Regni statuit *Galliam sœdere complecti omnes, qui Austriacorum potentiam formidant.* Hoc arcanum Status, vera tinea est ærarii, spongia opum publicarum, & hirudo sanguinis desolatæ Galliæ. Nec Europa pacem expectet, nec Gallia quietem, nec ærarium abundantiam, nec miserima plebs respirium. donec Galliæ Rex se obstaculum debere esse putat Austriacæ potentæ. Cur hæc cura non tangit alios Europæ Reges, Principes Respublicas ? an omnes desides, uno occinente vigilias Gallo ? Bellum inexhaustus pecuniæ Gurges est ; cui explendo non aurei Persarum montes, non utraq; Indiæ sufficiunt.

Quàm ab hujus nervi penuriâ res Galliæ loborent, non ignorant alii. Palàm fuerunt debita Francisci Primi Casimiro Septemviro ; Helveticis, Germanis protestantibus, ad quadringentis centena millia aureorum : ut gemmæ Regiæ oppignorari, & fidejussores quæri debuerint. Aded cui nimium, tandem parùm creditum. Interea hæc debita unde ? nisi quod armis, & pecuniâ foverit Rex refractarios Imperatori Principes quales erant Protestantes Imperii, & planè ex Imperio Bannitos, & manifestos invasores alieni. Antiqua hæc sunt ; sed graviora modò.



CAPUT XIV.

Continuatio materiae in Hispaniâ.

I. **H**ispania ex amplitudine suâ magis Monarchiæ quàm Regni nomen meretur: in quatuor enim Orbis partes per spatiosas ditiones distracta, in Europâ præter antiqua sibi-que Connexa Castiliæ, Arragoniæ, Cordubæ, Legionis &c. Regna, in Italiam usque se extendit, ubi Regnum Neapolitanum, utramque Siciliam, Statum Mediolanensem possidet, sicut, & in Septentrione nobilissimas Belgii, sive inferioris Germaniæ Provincias: In novo mundo non tam quædam loca, & Regna, sed integra planè imperia & gentes, tractusque immensos obtinet, cum aliis innumeris Insulis, quæ velut repagula sunt adversus Europæos & Ottomannos Principes, novi orbis divitiis & deliciis indefinenter inhiantes. In Africâ & Æthiopiâ nomine Portugalliæ magnas priori ævo ditiones complectebatur, sed nunc dilapsæ, cum Portugalliâ. In Asiâ Indiarum partes, auro, argento, gemmis, margaritarum piscatû, cinamomo, pipere, zinzibere supra alias abundantissimas possidet. Nullus terræ fructus, nullâ fera, nulla avis, nulla animalium, aut piscium species, nullum aroma, vel condimentum, nulla herba aut radix, nullum arbutum, aut frutex, nullum lignum aut petra, nullum os aut Crystallus, nullum metallum, nulla gemma, nulla manufactura aut ars; nullus liquor aut gummi species, nulla denique merx sub Cœlo est, quâ Hispaniæ dominatus careat, imò, quâ non superabundet; & in præcipuis rarisque magis, quàm aliæ mundi Regiones. Natura Hispaniæ Orbem locupletavit, dexteritas

occupavit, Ars excoluit, Imperii disciplina continuic. Ex his conflantur redditus, cumulantur privatorum opes, & ex utrisque impletur, ærarium publicum.

2. Hujus autem emolumenta fermè ex sequentibus constant:

Primum inter ea Patrimonium est Regis, sive Bona Camerae ordinaria, & antiqua; nova etiam & acquisita, in singulis sua Regnis, & ditionibus. Hæc quantum ærario inferre possent, facile divinare liceret; dummodò Rex in quovis suo Regno, & Provinciâ unum alterumvè duntaxat dominium (ne dicam universa) obtineret. Fortassis vile putatur Majestati Hispanæ privato œconomia studio occupari: Feliciter id, & fructuose alii Principes agunt; & egerunt olim Austriaci. Verum hoc, & superiori ævo omnibus fermè Camerae Bonis divenditis, & quod omnium pessimum est, exiguo pretio in privatos, campus latè patere cœpit extraordinariis exactionibus, quæ replere debent antiquos ærarii loculos.

3. Secundò Tributum annuum, quod Regna, & Ditiones Hispaniæ Regi præstant, id autem non concernit Nobiles, & feudatarios, sed plebi solum impositum est geometrica proportione facultatum, quas possidet, diciturque *los Servitios ordinarios*. Quod sæpius etiam extra-ordinariè indicitur, & in duplum augetur. Sic sub Philippo secundo inter paucos annos plebs contribuit tria Servitia, sive tributa extraordinaria, quæ ærario Regio intulerant quadraginta milliones & unum.

4. Tertiò vigesima rerum venalium sub nomine à Mauris mutuato Alcaualæ, quæ deinceps in decimam transit; id est, quoties quævis res mobilis, vel immobilis venditur, toties fisco regio pars decima accumulatur. Hæc decima se extendit universaliter ad omnia venalia, etiam ex opificiis, & manufacturis. Urbes autem potissimum cum Rege contrahunt, & sine ejus impensis pretium pro Alcaualis solvunt, reliqui regiis

giis exactoribus pendunt. Cœpit hæc vigesima primis belli Maurici ad Tariffam temporibus, & in decimam commutata Anno 1366. ubi omnes ordines in Joannis Principis verba Sacramento adacti.

Maria-
na l. b.
16.

5: Item decima omnium mercium, quæ è Belgio, Galliâ, Angliâ, Italiâ, Lusitaniâ aliisque exteris Regnis, & Dominiis in Hispaniam inferuntur. Quod vectigal eodem modo maurice cognominatum *Almoxariff*.

6. Rursus ex omnibus mercibus, quæ Hispali, aut ex aliis Andaluziæ portibus solvunt in Indiam Occidentalem; Vigesimalam Regi pendunt; itemquæ ubi in Indias delatæ fuerint; in eundem modum denuò vigesimalam solvunt, ita tamen, ut Decimam quoque in totum persolvant: & hæc Decima *Almoxariff* Indiæ Hispanicæ vocatur.

7. Vectigalia Decimarum siccorum portuum, sunt Decimæ omnium mercium, quæ terrestri itinere è Regnis Valentia, Arragonia, Navarra in cœtera Hispaniæ Regna devehuntur, aut vicissim ex his in illa. Idem de Lusitaniâ intelligendum.

8. Vectigal Lanæ, quæ è Regno evehitur, multum infert: nam ab uno sacco ponderis viginti quinque librarum, duo, si ab indigenis emantur, sin vero ab externis, quatuor aurei penduntur. Vectigal verò panni, qui foris in Hispaniam invehitur, à singulis 6. aurei solvuntur.

9. Quartò ex metallifodinis in Estremadura, & montanis Morenæ, item ex argento vivo, quod pluribus locis eruitur, ex salinis Regni, ex quibus sal educitur, ex herbis, & piscuis publicis, quæ à Rege elocantur: Ex piscatione piscium, quos vocant *Atun*. Ex elocatione chartarum lusoriarum, & similium, quæ magna non videntur, attamen ab his ararium Regis quorannis magna emolumenta percipit.

10. Quintò, tres species cujusdam tributi particularis, dicti, *El exercitio, della moneda forera: des millions*, valde multumque important Regno. Prima species *El exercitio*. est

tributum illud, quod omnes Hispaniæ terræ reddunt mancipiorum, & triremium gratiâ. Secunda species *moneta forera* solvere cogitur septem Marevedisios, ab uno quoque foco quolibet anno, & à cujuslibet conditionis hominibus. Tertia *Des Millions* extra ordinem pendit Regi duos millones aureorum sive ducatorum. Tributum autem hoc in conventu Ordinum Regni in 4. aut 6. annos Regi conceditur, quibus elapsis rursus illud prorogare solent Ordines.

11. Sextò, Ordines militares S. Jacobi Calatravæ, & Alcantaræ subsidium quoque Regi quotannis pendunt: Et attingit circiter centum Quentos annuos, id est, supra ducenta sexaginta septem aureorum millia.

12. Septimò: Reditus ex Ecclesiâ, qui reverà magni, & vix in aliis Regnis tales. Nam Rex per concessionem Pontificis percipit ex omnibus bonis & terris Ecclesiæ decimas. Item tertium nummum omnium Ecclesiæ redituum, rerumque Ecclesiasticarum in subsidium bellorû, & defensionem Ecclesiæ Catholicæ. Rursus tres alios millones ducatorum aureorum singulis annis pendunt Ecclesiastici ex suis redditibus in ærarium regium. Hoc autem trium millionum Ecclesiasticum tributum cœpit sub Gregorio XIV. & deinceps de sex in sex annos prorogatum. Nullus enim, ait Cardinalis Ossatus in epistolâ 76. Clerus in toto Orbe Christiano, qui majoribus oneribus prematur quàm Clerus Hispaniæ, quique hoc nomine Principi suo sit infensior. Ubicunque aliqua necessitas urget, ad Papam recurrit Rex, & illius concessione novis oneribus gravatur Clerus. Sic Catholici Regis zelus rependitur Ecclesiæ Catholicæ subsidiis.

13. Octavò: Reditus quoquè suos habet Rex ex Hispanicâ monetâ, nempe ex quacunque marca sex ducatorum argenti, quæ in Regnis suis cuditur, Realem unum. Quod lucrum vocatur *El Senneoreaxo della moneda*.


14. Præfati autem permagni proventus extrahuntur tantummodò ex Hispaniâ, eique antiquitùs connexis Regnis: alii autem

autem reditus planè immunes & immensi ex novo orbe , ex Indiis , ex innumeris fermè utriusque maris Insulis, ex Floridâ, Jukatânâ, nova Hispania, ex Brasilia, ex Imperio denique, & Regno Mexicano, & Peruano, & ex aliis etiam Europæ nostræ tam in Italiâ quàm in Septentrione Regnis, & Provinciis.

15. Nihilominus tantarum Provinciarum, Regnorum, & planè Imperiorum moles facit Hispaniam mole suâ laborare. Enimverò tot hinc indè distractæ ditiones distrahunt ararium, ut licet hoc ingens sit, in tot tamen divisum partes, minus sufficit omnibus. Enimverò ut tot invicem Monarchia Hispaniæ uniat maria, suaque tueatur Regna: adversus Franciæ potentiam in Europâ, adversus Anglos, Hollandos, aliosque Europæos insidiantes in Oceano Indiasque & novum Orbem anhelantes, non una classis, non unus exercitus satis est: nec uno arario, tanta dispendia refici possunt. Aurea illa Statua Nabuchodonosoris mole suâ corrui, quia figuli pede innixa tantum *metallorum pondus ferre* nequit.

16. Ex uno colligere liceat Monarchiæ Hispaniæ tam compendia, quàm dispendia. Ab excessu enim Philippi secundi repertus est Codicillus, ubi ipse Rex, se quinque millia quingentas nonaginta quatuor auri Myriades, id est, sesqui millionem consumpsisse asseveravit, quid autem necessariò? Quid utiliter? numeratum non est. Hæc profectò sicut compendia, ita dispendia fermè incredibilia sunt, nisi hæc ipse Rex, Sæculi sui sapientissimus & accuratissimus, dixisset; & quidem ad cereum iustitiam, ubi veritas non caligat.





INDEX RERUM ET VERBORUM ABSOLUTISSIMUS

super
LIB. IV. V. & VI.

De
ARCANIS STATUS.

A.

Abbas Fuldensis est Princeps Imperii, & præcedit omnes alios Abbates. Lib. 4. cap. 6. num. 45. pag. 127. 128. 129.

Abbas faciunt Statum Imperii. lib. 4. cap. 6. num. 45. pag. 128. Alternant in Sessione Elwangenſi, & Murbachenſi. *ibid.*

Abbatiffæ ſunt Status Imperii & Pleræque Principes: Comparent per Legatos. lib. 4. c. 6. num. 45. pag. 128. 129.

Abbatiffa Quedlinburgenſis præcedit ante omnes alias Subſcriptionem Receſſuum. *ibid.*

Aſſa & tranſacta exactè à Legato noſſanda. l. 4. c. 4. n. 21. p. 74.

Agendo procedunt negotia, non verbis. l. 4. c. 4. n. 26. pag. 75.

Æmulationes Athenienſium, Spartanorum, Romanorum, lib. 5. c. 3. num. 2. pag. 208.

Æmulatio fœdera fuſcitatur. lib. 5. c. 3. n. 2. pag. 208.

Æqualitatis & Inæqualitatis ſunt fœdera. lib. 5. c. 2. n. 1. p. 201.

Æqualia fœdera quid. lib. 5. c. 2. n. 2. pag. 201. 202.

Æquales Fœderati ſe mutuè continent. l. 5. c. 2. n. 1. p. 201.

Æquale fœdus duplex. l. 5. c. 2. num. 3. pag. 202.

Æqualitas in Rempublicam introducenda, quæ firmat Statum. lib. 6. cap. 10. num. 10. ad finem. p. 405.

INDEX.

- Ævarium* restaurandum, instaurandum, lib. 6. cap. 1. per totum. pag. 329. Ad jus Majestatis pertinet res nummaria. lib. 6. cap. 1. num. 3. pag. 330. 331. potest delegari, & qua ratione. ibid. pag. 330. 331.
- Ævarium* Angliæ opulentum. l. 6. cap. 12. n. 2. pag. 419.
- Ævarium* ita agendum, ut indè non patiantur & exhauriantur privati. lib. 6. c. 3. n. 8. p. 339. 340.
- Ævarium* duplex est: Ordinarium & extraordinarium. l. 6. c. 3. n. 9. p. 340. 341. Apud Romanos planè triplex. n. 10. p. 340. quale colligit Imperator in Germania. lib. 6. cap. 3. n. 11. pag. 341.
- Ævarium* colligendum ob salutem publicam, non ex libidine, aut ob prodigalitatem Principis. l. 6. c. 3. n. 12. p. 341.
- Ævarii* Ministri inquirendi. lib. 6. c. 12. n. 3. pag. 334. qualis circa hoc Vespasianus. ibid. pag. 335. Repentè & ex improvìso suspendendi ab officio, & ad rationes compellendi, qui suspecti sunt de peculatu. l. 6. c. 2. n. 4. pag. 335.
- Æs* alienum in necessitate supplet defectum ærarii. lib. 6. c. 8. n. 5. pag. 380.
- Æris* alieni effectus. lib. 6. cap. 8. n. 6. pag. 380. 381.
- Æs* in necessitate publica contractum, à subditis solvendum est. lib. 6. cap. 11. num. 3. pag. 411. 412. nisi illud prodegerit Princeps. l. 6. cap. 11. n. 4. pag. 412. Tali casu excusari subditos putant Theologi: Secùs Poli-
- tici & ex ratione fortissimâ. ibid. p. 412. Ostenditur modus debita Principis solvendi. lib. 6. cap. 11. n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. p. 412. 413. 414. 415. 416. quod Clotarius & alii Principes in hoc fecèrè. l. 6. c. 11. n. 6. p. 413.
- Ætates* quatuor mundi. lib. 6. c. 1. num. 1. p. 330.
- Agricultura* auget opes publicas. l. 6. c. 9. n. 3. pag. 385. Excelluère in hac Pertinax & Tiberius Imperatores ibid. p. 385. item Principes Italiæ. l. 6. c. 9. n. 3. pag. 385. 386.
- Albertus* Imperator citatus resistit Palatino & Electoribus, eosque malè tractat. lib. 4. c. 6. num. 43. p. 124. 125.
- Alexander VI.* quasi in feudum dedit novum orbem Hispaniæ & Lusitanæ Regibus. lib. 4. cap. 7. n. 2. pag. 142. 143.
- Alienus* qui se immiscet, amittit propria lib. 5. cap. 18. num. 4. pag. 296. 297.
- Alphonsi* Regis argutum dictum de Palmario Florentinorum Legato. l. 4. c. 1. n. 9. pag. 14. 15.
- Alphonsi* Regis Neapolitani turpis quæstus. l. 6. c. 3. n. 1. p. 336.
- Amici* maximum instrumentum Imperii. l. 5. c. 7. n. 2. p. 236.
- Amor* reciprocus civium & Principis firmat statum. l. 6. c. 10. n. 6. p. 402.
- Amurathes* Turcarum Imperator quâ occasione Europam intravit. l. 5. c. 7. n. 9. p. 239.
- Angli* superant Gallos bello, sed ab his superantur illi artibus transi-

INDEX.

- genda Pacis. lib. 4. cap. 1. num. 25. pag. 22.*
Anglorum egregie navata opera in bello moderno. l. 5. c. 20. n. 10. p. 310. 311.
Anglia Reginae Encomium. l. 5. c. 20. n. 12. pag. 312.
Angliae Keditos. lib. 6. cap. 12. per totum. pag. 418. ex patrimonio Regni quales. lib. 6. c. 12. num. 6. pag. 420. 421. ex pupillorum bonis. n. 7. pag. 421. ex Matrimoniis. n. 8. p. 421. ex feudis nobilium. num. 9. pag. 421. ex portoriis. n. 10. pag. 421. ex Metallifodinis. num. 11. pag. 422. Ex Episcopatibus & Abbatibus. num. 12. ex poenis & confiscationibus. n. 13. p. 422. 423. ex extraordinario subsidio. n. 14. pag. 423. ex denis & quindenis. num. 15. pag. 423. ex dono gratuito Magnatum & Ecclesiasticorum Praesulum. num. 16. p. 424. quorum omnium exactio quam svaavis & moderata. num. 18. pag. 424. 425.
Antiochi Magni responsum ad Legatum Romanorum. lib. 4. c. 2. n. 10. pag. 44.
Antiquitas familiae habet praerogativam praecedentiae. lib. 4. c. 6. n. 50. pag. 137.
Antoninus proprium thesaurum vendidit, ut sublevaret subditos a Tributis. l. 6. c. 6. n. 18. p. 364.
Apologus Senatoris Atheniensis. l. 4. c. 2. n. 5. p. 37. 38.
Arcanum Statisticum crescenti potentiae se opponere. l. 5. c. 3. num. 5. p. 209. 210.
Armis tueri an liceat Praecedentiam. l. 4. c. 6. n. 3. p. 88. 89.
Artes penetrandi arcana, principum. l. 4. c. 3. n. 23. & seqq. pag. 64. seqq.
Ars certa infringendi, foedera. l. 5. c. 7. n. 5. p. 252.
Ars & natura crescit, sola aetas, & felix vita hominum deficit. l. 6. c. 1. n. 1. p. 329. 330.
Artes bonae & malae augendi opes publicas. l. 6. c. 7. n. 1. Per totum. pag. 369. seqq.
Artes & populum & pecuniam augent. lib. 6. c. 9. n. 2. p. 385.
Artes Tyrannorum stabiliendi Status refelluntur. l. 6. c. 10. n. 8. p. 403. contrariae svadentur. ibid. p. 403.
Artes augendi Statum Romanis solitae. l. 6. c. 9. n. 15. & seqq. pag. 394. aggregatio Externorum ars augendi Statum. l. 6. c. 9. n. 15. 16. 17. p. 394. 395. item aliorum protectio. ibid. n. 18. p. 396. beneficiorum collatio. ibid. n. 19. p. 396. Remissio onerum & concessio libertatis. ibid. n. 20. p. 396. 397.
Astus Candali extorquendi a subditis pecunias. l. 6. c. 7. n. 3. p. 370. item Dionysii Siciliae Tyranni. lib. 6. c. 7. n. 3. p. 370.
Astylares aedes non concedit Rex Siciliae Legatis. lib. 4. c. 2. num. 10. p. 41.
Augere Status non est stabilire Status. l. 6. c. 10. n. 1. p. 398.
Augmentatio Status. l. 6. c. 9. n. 1. & seqq. per tot. pag. 384. seqq.
Augmentatio Status variat. lib. 6. c. 9. n. 1. p. 384. in populo. ibid. pag. 385. in arti-

I N D E X

- artibus. n. 2. p. 385. exemplo Selimi Polonorum. ibid. pag. 385. In territorio. num. 3. pag. 385. 386.
- Augmenta* extra Status pomeria. lib. 6. c. 9. n. 4. p. 387. ita Romani auxere suum Imperium, raptu nimirum & usurpatione. ibid. p. 387. Alexandri Magni augmenta in alieno solo, ejus finis, successus. l. 6. n. 5. p. 388. Imitatores etiam habuit posteriori ævo. ib. p. 388. 389.
- Augmenta* Jure sanguinis ut domus Austriaca & alii Reges. cap. 9. num. 6. p. 389.
- Augmenta* per navigationes: num. 7. pag. 390. ut Hispani & Lusitani. ib. 390.
- Augmenta* per adoptionem. c. 9. n. 9. p. 391.
- Augmenta* per feuda. c. 9. n. 10. p. 391.
- Augmenta* per protectionem. num. 11. pag. 391. circa augmenta Status ad tria advertendum. num. 14. p. 392. 393.
- Aurea Bulla* S. R. J. lib. 4. c. 6. n. 22. p. 104. 105. quis ejus Autor, & quare sit lata ibid. p. 105.
- Austriaca domus* prætensiones. l. 4. c. 7. n. 24. p. 165. 166. in Regnum Neapolitanum & utramque Siciliam: Causæ in historicâ fide fundatæ. ib.
- Austriaca domus* fundamenta ad Successionem hispanicam post obitum Caroli II. l. 4. c. 7. num. 26. per totum. p. 169. 170.
- Autoritas* Pontificum. l. 4. c. 6. n. 9. p. 93.
- Auxilium mutuum* sive foedus necessarium. lib. 5. c. 4. num. 2. pag. 216. 217.
- Auxilia* non promittenda, nisi sibi met caveamus. lib. 5. c. 20. n. 3. pag. 306.
- ## B.
- B***ellum* unicum, modò implicat totum ferme mundum. lib. 5. cap. 5. num. 16. ad finem. pag. 231.
- Belli* pericula cum Vicinis sunt communia. l. 5. c. 8. n. 9. p. 231.
- Benevolentiam* sibi complet inprimis Legatus ibi, quo missus est. lib. 4. c. 4. n. 1. & 2. p. 70. 71.
- Bona Corona*, licet in se abalienabilia sunt, licebit tamen abalienare in necessitate extremâ. l. 6. c. 8. num. 4. p. 379.
- Bona Ecclesiastica* subjacent Principi in necessitate publica. l. 6. c. 8. n. 7. pag. 382. idque duobus modis. n. 9. pag. 382. parcè tamen hac potestate utendum. ibid. pag. 382. ubi non sufficit licentia Pontificis quomocunque expressicata, nisi sit causa manifesta necessitatis publicæ, vel utilitatis magnæ. n. 10. p. 383. Cardinalis Richelii Sententiâ in hac materiâ. n. 11. p. 383. item D. Ambrosii Sententia. n. 12. ad finem. pag. 383. 384.
- Bona privatorum* in necessitate Republicæ sunt Principis. l. 6. c. 8. n. 2. pag. 379. refarciri tamen oportebit damnum damnificatis ex publico, si possibile est. capite eod. n. 3. p. 379.
- Brandenburgici* Electoris eminentia. l. 4. c. 6. n. 44. pag. 126.
- Britannia* Magnæ situs & opportunitas ad cumulandum ærarium & opes

INDEX.

- opes publicas. l. 6. c. 12. n. 2. p. 419.
 licet ejus populi non multum à Re-
 ge graventur. l. 6. c. 12. num. 17. &
 18. pag. 424. seqq.
- Burggravii* quatuor Imperii, & qui?
 l. 4. c. 6. n. 46. p. 129. 130.
- Burgundia* Regnum. l. 4. c. 7. n. 20. p.
 161. cur Regni nomen amisit? pag.
 162. quomodo Burgundia unita
 Imperio. p. 162.
- C.**
- C***aligula* strenam annuam accipie-
 bat publicè in foro, porrigendo
 uncam manum, quam prætereun-
 tes cives auro vel ære replerent.
 lib. 6. cap. 7. num. 7. pag. 371. 372.
- Calixtus* tertius à Legato Arragoniæ
 malè habitus. lib. 4. cap. 2. num. 10.
 pag. 44.
- Capitatio* replet ærarium. l. 6. c. 7. n. 18.
 P. 377.
- Caroli V.* abdicatio Romæ. l. 4. c. 7. n. 25.
 pag. 167. hinc Dominia divisa in Au-
 striacos Germanos & Austriacos
 Hispanos: Quomodo? ibid. pag. 168.
- Caroli* abdicatio Romæ agitata. lib. 4.
 c. 7. n. 8. p. 146.
- Carolus V.* odium incurrit apud Prin-
 cipes Germanos propter Legatos
 eorum in Italiâ detentos. l. 4. c. 5. n.
 3. p. 80.
- Carolus IV.* Imperator prodegit præ-
 ter unum prandium Regnum Are-
 latense. lib. 6. c. 3. num. 16. ad finem.
 pag. 344.
- Causa* secundæ omnia debent causæ
 primæ. lib. 4. cap. 3. num. 29. pag.
 69.
- Causa* moventes ad fœdera sunt quin-
 que. lib. 5. c. 3. num. 2. pag. 208. item
 c. 8. num. 4. p. 211. 212.
- Causam* agunt suam Principes Europæ,
 cum Austriacam agunt contra Gal-
 los. lib. 5. c. 3. n. 8. pag. 212.
- Causa* motivæ ad partialitatem. l. 5. c.
 16. per totum. pag. 287. verbi gra-
 tiâ: Spes reciproci auxilii. num. 1.
 c. 16. p. 287. defectus virium. num. 2.
 p. 287. 288. æquilibrium politicum.
 num. 3. pag. 288. amicitia. num. 4. p.
 289. commoda oblata. num. 5. pag.
 290. Respectus supremæ Majestatis
 num. 6. p. 290. aliæ adhuc causæ sub
 num. 7. pag. 391.
- Causa* excusantes à partialitate lib. 5.
 c. 19. n. 8. p. 303.
- Cautela* Anhiépiscopi Salisburgenfis
 l. 4. c. 1. n. 9. p. 16.
- Cautela* circa fœdera cum Infidelibus
 l. 5. c. 7. per totum. p. 235. prima,
 ne fiant temerè. n. 1. p. 236. secun-
 da, ne cum periculo Religionis n. 5.
 p. 237. tertia, cum spe potius conver-
 sionis eorum. n. 6. 7. & 8. p. 238.
 239. quarta, ne inde majorem po-
 tentiam vel aditum in Europam ac-
 quirant. n. 9. 10. p. 239. 240. D. Anto-
 ninus tres adhuc non multum disti-
 tas tradit cautelas. l. 5. c. 7. n. 11.
 p. 240.
- Celsus* Marcinus adhuc etiam addit,
 quæ explicatione indiget. l. 5. c. 7.
 n. 11. p. 240.
- Cervical* Regis Persarum quale? lib. 6.
 c. 3. n. 5. p. 338. 339.
- Character* primæ Classis Legatorum
 quid? l. 4. c. 1. n. 2. p. 6.

INDEX.

- Circuli Imperii* l. 4. c. 6. n. 34. p. 114. quot erant illorum antiquitus, quot nunc. *ibid.* p. 114.
- Civitatum Imperii* scamna duo. lib. 4. c. 6. n. 47. p. 130. habent duo suffragia. *ibid.*
- Classes Statuum Imperii* l. 4. c. 6. n. 34. p. 114.
- Clausula Legatorum* Instructioni inserta (cœtera tuæ Prudentiæ committimus) quomodo intelligenda? l. 4. c. 3. n. 21. p. 64.
- Clientela* non meretur fœderis nomen. l. 5. c. 21. n. 3. p. 314.
- Colonia* augent ærarium l. 6. c. 4. per totum. p. 345. Romanorum exemplo. Item Græcorum. *ibid.* 345. 346.
- Colonia* à Garzia, Velasco, aliisque introductæ in Indias. l. 6. c. 4. n. 5. pag. 347. Item à Batavis, Gallis, Anglis &c. n. 6. p. 347.
- Coloniensis* Electoris sedes in curiâ Imperii, l. 4. c. 6. n. 23. p. 105. seq.
- Comina* sententia de tributis. l. 6. c. 6. n. 3. p. 355. Item Theologorum. *ibid.* p. 356.
- Commercia* l. 6. c. 5. per totum. p. 348. tibi hæc non sunt rara, videtur pecunia. lib. 6. cap. 5. numer. 2. *ibid.* p. 348.
- Commercia* quorum proventus tantus est, ut excedat sortem privatam: vel quæ magnos sumptus & armorum vim exigunt, ad principes spectant l. 6. c. 5. n. 5. p. 349. Ex Commerciis maritinis sibi magnam comparant potentiam Principes, bis metuendi terrâ matique l. 6. c. 5. n. 7. & 8. p. 350.
- Comitum Imperii* 4. Scamna, & habent 4. vota Curiata. l. 4. c. 6. n. 47. p. 130. seqq.
- Competentia* inter officia Imperii hæreditaria & Aulica quotidiana. lib. 4. c. 6. n. 27. p. 108. *Competentia* inter Moguntinum & Coloniensem. lib. 4. c. 6. n. 37. p. 117. utriusque fundamenta. *ibid.* & num. 38. pag. 117.
- Competentia* inter Trevirenses & Coloniensem l. 4. c. 6. n. 29. p. 118.
- Competentia* inter Coloniensem & Abbatem Fuldenses lib. 4. c. 6. n. 40. p. 119. ejus descriptio & exitus. *ibid.* p. 120.
- Competentia* Pontificis pro vicariatu Imperii lib. 4. cap. 6. num. 44. pag. 125. 126.
- Competentia* Saxonix Ducis & Palatini, de Vicariatu Spirensi. l. 4. c. 6. n. 44. p. 126.
- Competentia* Electoris Brandeburgici cum Duce Juliacenfi l. 4. c. 6. n. 44. p. 126. 127.
- Competentia* Principum Imperii. lib. 4. c. 6. n. 47. p. 130. 131. 132.
- Competentia* inter 5. domos Ducales Imperii, quæ nunc alternant. lib. 4. c. 6. n. 47. p. 130. 131. 132.
- Concilium* utiliter inter fœderatos constituitur. lib. 5. cap. 10. numer. 6. p. 259.
- Consensus* Pontificis, an necessarius ad Convocationem Electorum ad novam Electionem Cæsaris l. 4. c. 6. n. 15. p. 97. 98.
- Constantia* in fœderibus exigitur lib. 5. c. 20. n. 11. p. 311. reciproca. n. 12. p. 311. 312.

I N D E X

- Contentiones Legatorum.* lib. 4. c. 2. n. 2.
p. 34. seqq. Item. c. 5. n. 9. p. 83.
& seqq.
- Controversia* inter Estenses Principes &
Papam l. 4. c. 3. n. 15. p. 59.
- Corinthius* Tyrannus sub specie Reli-
gionis omnium bona occupavit l. 6.
c. 7. n. 2. p. 369.
- Coronatio* an de necessitate sit Electi
Imperatoris lib. 4. cap. 6. n. 16.
pag. 98.
- Coronatio* Caroli Magni. l. 4. c. 7. n. 8.
p. 147. 148. seqq. ejus veridica te-
stimonia, ibid. an ante Coronatio-
nem occupaverit armis, vel donatio-
ne à Græcis Imperatoribus accepe-
rit Imperium ibid.
- Corruptela* aliorum ministrorum vitu-
perandæ lib. 4. c. 3. n. 21. ad finem
pag. 64.
- Corruptio* optimi pessima lib. 5. c. 10.
n. 1. p. 256.
- Cosmus* Medices neutralitatis studiosis-
simus l. 5. c. 12. n. 2. p. 269.
- Crimen* temeratorum Legatorum quan-
tum. l. 4. c. 2. n. 10. p. 41. 42.
- Criminosus* Legatus quomodo habend-
us l. 4. c. 3. n. 18. p. 61.
- Criminationes* falsæ contra potestatem
Pontificiam. lib. 4. c. 7. n. 8. p. 146.
147. seqq.
- Cumulare* thesaurum l. 6. c. 3. per to-
tum p. 336. an expediat Principi?
cadit in problema. l. 6. Capite ter-
tio, n. 1. p. 333. 334.
- Cur* olim tanta auri argentique copia,
nunc verò tanta ejus inopia. l. 6. c. 3.
n. 7. p. 339.

D.

- Dardanus* Fratricida lib. 6. cap. 10.
n. 14. p. 407.
- Darius* Persarum Monarcha ex suo
thesauro primus in Bellum contri-
buere solitus l. 6. c. 6. num. 18.
pag. 364.
- David* in necessitate comedit de pane
Propositionis lib. 6. cap. 8. n. 12.
pag. 383.
- Davidis* Regis thesaurus l. 6. c. 3. n. 6.
pag. 339.
- Decima* de venditis stabilibus. l. 6. c. 7.
n. 12. pag. 374.
- Defensio* sui suorumque fœderatorum
est justissima ratio. l. 5. c. 3. n. 9.
pag. 212.
- Defensio* est Juris naturæ l. 5. c. 4. n. 2.
pag. 216. 217.
- Discordia* Fœderatorum dissolvit fœ-
dera lib. 5. c. 9. n. 6. pag. 263.
- Discrimen* sive cladem unius fœderati
sentiant omnes in fœdere compre-
hensi. lib. 5. c. 8. num. 1. p. 243.
Exemplum in Electore Brandebur-
gico sub Brisacco. Ibid.
- Disparis* ubi inter se sunt potentiæ,
potentiori adharendum. l. 5. c. 20.
n. 4. p. 306.
- Diversitas* fœderum l. 5. c. 2. per to-
tum. p. 201.
- Divisi* semper vincuntur, fœderati &
uniti vix. l. 5. cap. 1. num. 3. pag.
197. 198.
- Diviso* æmulum evidens victoriæ
indicium. l. 6. c. 10. n. 5. p. 401.
Id comprobatur exemplum Julii Cæ-
saris & Sciluri Regis Symbolum fi-
liis relictum. ibid. p. 401.

INDEX

Divitia Regni Peruani & Chitiani.
l. 6. c. 4. n. 3. p. 346.
Dominorum cum subditis foedus miserabile, l. 5. c. 5. n. 2. p. 222.

E.

E Neutris tutò stare possunt magnæ Respublicæ, quales sunt Helvetiorum, Venetorum, Batavorum.
l. 5. c. 20. n. 8. p. 308.

Ecclesiasticorum Principum Imperii Sessiones. lib. 4. c. 6. n. 47. pag. 130. seqq.

Ecclesiastici pars sunt Respublicæ l. 6. c. 8. n. 8. p. 382. tenentur contribuere in hujus necessitate. ib. pag. 382.

Edictum Batavorum de Legatis lib. 4. c. 2. n. 10. p. 41.

Electoralis conclusum novissimum ad tollendas competencias lib. 4. c. 6. n. 29. p. 111. 112.

Electorum prima institutio. l. 4. c. 7. n. 8. p. 146.

Electorum Ordo in præcedentia juxta Auream Bullam lib. 4. c. 6. n. 23. pag. 105. seqq.

Electorum Ordo in equitando cum Insignibus. l. 4. c. 6. num. 30. p. 111. 112. sine Insignibus. num. 31. pag. 112. 113.

Electores Regibus pares l. 4. c. 9. n. 35. p. 114. an extra actus Curia? ibid. & num. 36. p. 115. 116.

Electores ad mensam confident in celebratione curia, non autem eorum Legati. lib. 4. cap. 6. numer. 26. pag. 108.

Electorum vices in publicis functioni-

bus gerunt Vicarii eorum, non antea Legati. lib. 4. cap. 6. num. 26. pag. 108. qui sunt eorum Vicarii. ibid.

Electores nihil pendunt pro investiturâ l. 4. c. 6. n. 27. p. 108. 109.

Electoris Bohemiae præeminentia. l. 4. c. 6. n. 41. p. 120. vocandus ad electionem. ibid. cur aliquando non vocatus? ibid. An sit Status Imperii. ibid. pag. 121. 122.

Emporia sunt libera, provisa, commoda. lib. 6. c. 5. n. 12. pag. 352.

Episcopus Parisiensis missus ad Papam, ad remonstrandam Regni extremam inopiam. lib. 6. c. 13. num. 16. pag. 433. Etiam nunc patula est Franciæ inopia magis quam unquam. lib. 6. capite eod. num. 20. p. 436. Causa hujus. n. 21. 22. p. 437.

Epistola Adriani Papæ ad Fridericum I. eorumque contentiones. l. 4. c. 6. n. 11. 12. p. 94. 95.

Europa toti interest impedire omnes Gallia conatus in Dominatu Hispaniarum. l. 5. c. 3. n. 8. p. 211. 212.

Exactorum temeritas. l. 6. c. 6. n. 20. p. 365. tolerata à Principibus ibid.

Exclusio immediatæ Nobilitatis Imperii à Comitibus videtur aliquibus arcantum esse Status. l. 4. c. 6. num. 48. p. 132. seqq. includi possent sine periculo. ibid.

Exempla violatorum Legatorum. l. 4. c. 2. n. 9. p. 39. 40.

Exempla Pontificiæ censuræ in Reges & Regna. l. 4. c. 7. num. 3. p. 143.

144.

Exteriorum Ministri non assumendi à

I N D E X.

- Statibus Imperii in Legatos. lib. 4.
c. 5. n. 8. p. 83.
- Extollant* Legati, laudentque omnia
apud illos, quò missi sunt. l. 4. c. 4.
n. 1. p. 70.
- Extrema* remedia Ærarii l. 6. c. 8. per
tot. p. 378.
- Extrema* extremis remediis curanda.
l. 6. c. 8. n. 1. p. 378.
- F.**
- F**actiones non stabiliunt Statum l. 6.
c. 10. num. 10. pag. 404. tollen-
dæ. ibid.
- Factiones* bonæ & malæ l. 6. ibid. pag.
404.
- Fides* anima est Legationum l. 4. c. 3.
n. 11. pag. 57.
- Fidem* Legati quæ impugnant. lib. 4.
c. 3. n. 14. p. 58. 59.
- Fides* à Legato observanda Principi cir-
ca licita: non quæ contra Deum
sunt. l. 4. c. 3. n. 16. p. 59. 60. in
ejusmodi quid agendum Legato.
ibid. pag. 60.
- Fidem* corrumpit utilitatis publicæ &
privatæ respectus. lib. 5. c. 1. n. 6.
p. 200. maximè his ultimis tempo-
ribus ibid.
- Fingero* Princeps quando se possit? l. 6.
c. 10. n. 9. p. 403.
- Florentia* Dux, Præfæctus Ferrariensis.
l. 4. c. 5. n. 10. p. 228.
- Fœdus* quid. l. 5. c. 1. n. 1. p. 196.
- Fœdus* est ex lege naturali, gentium &
civilis. l. 5. c. 1. n. 1. 2. 3. 4. p. 196.
197. 198.
- Fœderum* olim Religio maxima. l. 5.
c. 1. n. 4. & p. 198. 199. quanta &
qualis apud gentiles. ibid.
- Fœdera* fundantur in fide humanâ,
confirmantur autem jurejurando.
lib. 5. c. 1. num. 4. & 5. pag. 198.
199. 200.
- Fœdus plenum* quid? lib. 5. c. 2. n. 3.
pag. 202.
- Fœdus Regum* Galliæ & Helvetiorum.
l. 5. c. 2. n. 6. p. 203. nunc restrictum
& quare? ibidem.
- Fœdus non plenum*? quid? l. 5. c. 2. n. 7.
pag. 204.
- Fœdus perpetuum* & temporarium
quid? lib. 5. cap. 2. n. 8. 9. 10. p.
204. 205.
- Fœdera inæqualia* quid? lib. 5. cap. 2.
n. 11. p. 205.
- Fœdus clientelare* quid? lib. 5. cap. 2.
num. 13. p. 205. Periculosum ibid.
Cautelæ circa illud. n. 14. p. 206.
- Fœderum* varii fines. l. 5. c. 3. n. 1. &
per totum. p. 207. seqq.
- Fœdera* cujus est inire. l. 5. c. 4. n. 1.
per totum. p. 216. seqq.
- Fœdera* subditorum sunt meræ seditio-
nes. lib. 5. cap. 4. num. 3. p. 217.
- Fœdera* privatorum reipsâ contra Prin-
cipes sunt. l. 5. c. 4. n. 10. ad finem.
pag. 219.
- Fœdera* cum quibus ineunda. l. 5. cap. 5.
per totum. pag. 221.
- Fœdus* cum infidelibus & Apostatis. l.
5. cap. 6. num. 1. p. 232. damnari vi-
detur ab Ecclesiâ. l. 5. c. 2. n. 3. pag.
232. seqq.
- Fœdus* cum Turca arcanum Franciæ
contra Austriacos. l. 5. c. 6. num. 4. p.
233.

INDEX.

- Fœdera* cum Infidelibus simpliciter non sunt prohibita. l. 5. cap. 6. n. 5. p. 234. probatur. num. eod. & 6. 7. pag. 234. 235. seqq. dummodò cautè, & sine occasione peccati contrahantur. num. 8. pag. 235. Exempla in omnibus. num. ibid.
- Fœderis* non una est acceptio. l. 5. cap. 6. num. 2. pag. 232.
- Fœdus* in quibus licet inire cum infidelibus. lib. 5. cap. 6. n. 2. 3. 4. pag. 232. 233.
- Fœdera* infidelium contra fideles aliquando, improbantur divinis literis. l. 5. cap. 7. n. 13. pag. 241. Etiam à fede Apostolicâ. lib. 5. cap. 7. n. 14. 15. 16. & 17. pag. 241. 242. seqq.
- Fœdera* quomodo? quæ? & quando cum infidelibus licent? resolvitur. n. 18. p. 242.
- Fœdus* magis cum vicinis quàm externis præstat. l. 5. cap. 8. n. 5. 6. pag. 245. 246. quomodo? ib. cum quibus. n. 7. pag. 247. seqq.
- Fœderum* firmitas. l. 5. c. 9. per totum. pag. 249. 250.
- Fœdisfragi* semper puniti clam vel palam. lib. 5. c. 9. n. 1. p. 249. 250.
- Fœdus* inter Pontificem, Hispanum & Venetum contra Turcas contractum, & cum victoriâ memorabili ad Naupactum cœptum, quare tam citò dissolutum? l. 5. c. 9. num. 5. pag. 252.
- Fœderati* largitionibus ac promissis ingentibus facillè corrumpuntur exemplo Cyri junioris. lib. 5. c. 9. num. 8. pag. 255. vel diffidentia suggestionem inter illos. cap. eod. num. 9. pag. 255.
- Fœderibus* & pactis sæpè illuditur. lib. 5. c. 10. n. 8. pag. 260. ut Cleomenes Argivis: Daniæ Rex Svecis naufragis: & Legatus Romanus Antiocho. ibid. p. 261.
- Fœdus* clientelare. lib. 5. c. 21. per totum. pag. 312. seqq.
- Fœdus* clientelam arcânium erat Status apud Romanos. l. 5. c. 21. n. 2. p. 312. quantum per hoc crevit Romana Respublica. ibid. p. 313. Cum quibus clientelare fœdus ineundum? l. 5. c. 21. n. 6. p. 315.
- Fœdus* Hanseaticum. lib. 5. c. 23. per totum. p. 324. Etymon. n. 5. pag. 324. 325. Privilegia ab Henrico III. Angliæ Rege. ib. Privilegiorum causæ. lib. 5. cap. 23. n. 2. pag. 325. fœderis hujus requisita. num. 3. 4. 5. p. 325. 326. Protecclor præfati fœderis non esse potest nisi Princeps Imperii. lib. 5. c. 23. num. 5. pag. 326. Finis hujus fœderis. num. 6. pag. ibid. ex quibus constet hoc fœdus. ibid. malè à quibusdam impugnatur. ibid. n. 8. pag. 327. 328.
- Fœmina* secreta facillè revelant. lib. 4. c. 3. n. 24. p. 66.
- Fortioribus* accedere svadet ratio. lib. 5. cap. 20. num. 9. pag. 308. adhærendum tamen debiliori adversus potentiorum, si conjuncti potentiam hujus exæquant. ibid. Ferdinandi V. Catholici rara in hoc prudentia, ib. pag. 309. aliorum quoque exempla. ibidem.
- Fortuna* adversa distrahit fœdera. l. 5. c. 9. n. 4. p. 251.

Fortunam habenti tutius assistendum, lib. 5. c. 20. n. 2. pag. 305.

Francia Reges Dominium, le Domaine, non sibi, sed Regno attribuunt, exemplo Caroli VIII. & Francisci II. lib. 6. cap. 13. num. 3. pag.

Francisci Gallia Regis Legatus à Sforziano Principe capite plexus. l. 4. c. 1. n. 27. p. 23.

Friderici, ultimi Austriaci Imperatoris ætas Regiminis maxima, & cum adversa fortuna continuæ collectationes. lib. 4. c. 7. n. 25. p. 166. seqq.

Friderici Imperatoris. l. conim Pontifice submissio. lib. 4. cap. 6. num. 9. pag. 93. seq.

Fridericus Ænobarbus excusatus ab usu rerum Ecclesiasticorum in necessitate. l. 6. c. 8. n. 12. p. 383.

Fruenti taxa. l. 6. c. 7. n. 12. p. 374.

Functiones Electorum ad mensam Imperialem. lib. 4. cap. 6. num. 25. pag. 106.

G.

G*allia* Reges renunciant toties in Hispaniæ Regna successioni, quoties sibi Infantes Hispaniæ in conjugium assumunt. lib. 4. cap. 7. n. 25. p. 169.

Gallia Regum post excessum Caroli II. usurpatæ Monarchiæ prætextus & commentitiæ causæ refelluntur. lib. 4. cap. 7. num. 26. & 27. pag. 169. 170. 171.

Gallia Reges judicantur à Parlamento Lutetiano. l. 4. c. 6. n. 43. p. 124.

Gallia omnes sædere complectitur

Austriacorum hostes. lib. 5. c. 3. n. 3. p. 209.

Gallia intendit arbitrium totius Mundi. l. 5. c. 3. n. 7. pag. 211.

Galli affectant gloriam protectionis & Asyli communis. lib. 5. c. 22. num. 5. pag. 320.

Gallia Reges ærarii Præfecturam aliquando confidebant Ecclesiasticis, vel Episcopis, vel Abbatibus. l. 6. c. 2. n. 6. p. 336.

Gallia in medio Europæ sita. l. 6. c. 13. n. 1. p. 425.

Gallia quam potens propter Commercium. l. 6. c. 5. n. 3. p. 349.

Gallia reditus. l. 6. c. 13. n. 2. p. 426. Ex patrimonio Regni. num. 3. quanti & quales isti? num. 4. Gallia Reges ex solo Patrimonio vivebant. n. 5. deinde successivè tributa indixere, qui, & quanta? ibid. & 21. p. 426. 427. 437.

Gallia triplex tributum Tailles, Tailon, les Crues. l. 6. c. 13. n. 6. p. 428. quod hoc tributi genus. ibid. item les Aides sire subsidia. n. 7. Æquipollent. n. 8. Gabella Salis. n. 9. Vectigal ex vino, mercibus, & redemptione Bonorum. num. 10. Tributum militare. n. 11. p. 439. 440.

Gallia non sufficiunt reditus, licet sint maximi. l. 6. c. 13. n. 14. pag. 432. Id confessus in Comitibus ipse Rex Henricus. num. 15. p. 432. 433. Cardinalis Lotharingus & Marchio Hospitalius. Item Cancellarius Caroli IX. num. 16. Idem exposuit Marchio d' Effiat in suis rationibus. num. 17. pag. 433. 434.

I N D E X

Gallia omnes hoc ipso, quod Austria-
corum hostes sint, foedere comple-
ctitur. l. 6. c. 13. n. 22. p. 437. 438.

Gallia contra omne Jus gentium pro-
tegit alienos subditos rebelles. l. 6. c.
13. n. 22. p. 437.

Gradus protectionis. lib. 5. cap. 21. n. 4.
pag. 315.

Gramonvillus apud Cæsarem Regis
Franciæ Residens. lib. 4. cap. 3. num.
23. p. 65.

Gurenii Franciæ Legati apud Ducem
Lotharingiæ importunitas. l. 4. c. 3.
num. 23. pag. 65.

H.

H *Anseatica* Urbes quales. lib. 5. cap.
23. num. 4. pag. 325. seq.

Henrici IV. Franciæ Regis dictum de
Legato deligendo. l. 4. c. 1. num. 13.
pag. 18.

Henricus IV. Galliæ Rex quàm mo-
deratus in tributis fuerit. lib. 6. c. 6.
n. 23. p. 366. & tamen præ cæteris
Franciæ Regibus ditior. *ibid.*

Hispania. Hispanus. Hispaniæ præten-
siones. l. 4. c. 7. n. 19. p. 161. 162. in
Cataloniam totam, & Ruffilionem
Comitatum. *ibid.* in Portugalliam
quomodo & quare? Item in Duca-
tum Britanniæ. *ibid.*

Hispanorum & Lusitanorum præten-
siones in Oceanum. lib. 4. c. 7. n. 47.
pag. 184. Eorum fundamenta. *ibid.*
& num. 48. p. 184. 185. Refelluntur
ab aliis Europæ Principibus. l. 4. c. 7.
num. 49. & seqq. per totum p. 185.
186.

Hispania Legatis quæ sedes data Ro-
mæ, quæ in Concilio Tridentino. l.
4. c. 6. n. 49. p. 186. 187.

Hispani Regis protectionem quando
susceperunt Principes Italiæ? lib. 5.
c. 2. n. 12. p. 205.

Hispani & Lusitani creverunt per colo-
nias aliò transmissas. l. 6. c. 4. num. 2.
pag. 346.

Hispania ob amplitudinem suam re-
ctius Monarchia, quàm Regnum di-
citur. l. 6. cap. 14. n. 1. pag. 439. quic-
quid alia Regna singillatim rarum
habent, hoc habet Hispania in se.
ibid.

Hispania ærarium magnum: conflatur
autem ex Patrimonio Regis. lib. 6.
cap. 14. num. 2. p. 440. ex tributis. n.
3. p. 440. ex vigesima rerum vena-
lium. num. 4. pag. 440. ex Decima
mercium Europæarum n. 4. p. 440.
ex vigesimâ & decimâ Indiarum. n.
6. p. 441. ex vectigalibus Portuum
siccorum. num. 7. pag. 441. ex vecti-
gali lanæ. num. 8. p. 441. ex Metallii
fodinis, Sale, pascuis & piscaturâ. n.
9. pag. 441. ex tribus particularibus
Tributis, dictis El essercitio, della
moneda forera, des millions. n. 10.
p. 442. ex subsidio Ordinum milita-
rium. n. 11. pag. 442. Ex subsidio
Ecclesiastico, quod ingens & grave
est. n. 12. p. 442. Ex monetâ in Re-
gnis cusa. num. 13. p. 442. Ex per-
ceptis denique fructibus Regno-
rum extra Hispaniam, in Indiis, no-
vo Orbe, Africa, Asia, &c. qui fer-
mè immensi sunt. n. 15. pag. 443.
Vix tamen sufficiency necessitatibus
publi-

I N D E X

- publicis.num. 15. p.443. Magnitudo redituum constat ex codicillari confessione Philippi II. num. 16. pag. 443.
- Historia* vetus sex præcipuè celebrat Legatos. lib.4. cap.3. num.1. pag. 53.
- Honestatis* rationem habeat Legatus. lib.4. c.3.num.18.pag.61.62.
- Honor* Legatis aliorum Principum à Legato exhibendus, lib. 4. cap. 4. num.4.p.71.
- Hostem* non solum domi, sed etiam foris vincere oportet.lib.5.c.4.num. 10. pag.219.
- Hostilitas* succedit foederibus.lib.5.c.5. num.15.p.230.
- I.**
- I***mbecilles* sequi frustraneum est. lib. 5. cap.20.num.3.pag.306.
- Impartialitas* decet maximè Nuntios & Legatos Ecclesiasticos.l.4.c.1.n. 5.p.11.12.
- Impendia* majora non sint, quàm sint compendia.lib.6. c.3. num.14. pag. 342.
- Imperatoris* præcedentia.lib.4.cap.6.n. 10.pag.94.
- Imperator* componit præcedentiarum controversias. lib.4.cap.5.n.11.pag. 85.86.cap.6.n.6.p.90.
- Imperatorem* jus mittendi Legatos communicavit Statibus Imperii. l.4.cap.5.n.5.p.81.82.
- Imperatoris* prætensiones in Ducatum Burgundia.lib.4 cap.7. num. 20. p. 161,162. Argumenta pro & contra. ibid. & num. 21. pag. 162. 163. item in Ducatum Mediolanensem. n. 22.p.163. Provincias Belgicas. n. 23. p. 164. in Regnum Arelatense. ibid. & alia omnia, quæ Imperio subtracta, vel à Franciæ coronâ modò usurpata sunt. l.4.c.7. n.23.0. 164. Imperator an Vassallus sit Papæ lib.4.c.6.n.14.p.97.
- Imperator*, vel quicumque alius Princeps cogi non potest à Subditis ad Capitulationem nisi usurpative, lib. 5. cap.5. n.2.p.221.222.
- Imperii* Status an Jus Legationis habeant. lib. 4. cap. 5. per totum. pag. 79. seqq. Probatur. num.1.3. & sequentibus. p.79.80.81.
- Imperium* est obnoxium variis litigijs Præcedentiarum. l.4. cap.6 num.6. pag.90.91.
- Imperium* Occidentis cujus autoritate cœpit apud Francos. lib.4.cap.7. n. 8. p. 147. seq. quomodo translatum ad Germanos. ibid.
- Imperium* num beneficio Papæ collatum Cæsari. l. 4. c.6. n. 11. pag.94.
- Imperium* Mexicanum quàm locuples. lib.6.c.4.num.4.p.346.
- Imperii* quatuor fulera. lib.6. cap. 1. n. 2. pag. 330.
- Impositura* cujusdam Nebulonis facta Viennæ sub specie Legati. lib 4 c.2. n.5.p.37.
- Impositura* Philippi Macedonis per Legatos. l.4.c.2.n.5.p.37.
- Incrementa* Status per foedera. l.5.c.3.n. 10 pag.213.
- Infidelitas* sola non est causa tollendi Dominium Infidelibus. l.4.c.7.n.53. 54.p.187. seqq.
- Inju-*

I N D E X.

- Injuria* Legatis illatæ quæ? lib.4. cap.2. num.10. pag.41. seqq.
- Injusti* belli fructus, paupertas publica. l.6. c.13. n.21. p.437.
- Insistendum* à Legato seridè conclusis. l.4. c.4. n.15. p.73.
- Instructio* Legati. lib.4. c.3. n.2. & 3. p.53. 54. publica & occulta. n.4. p.54. cum clausulâ. n.21. p.64. sæpè revidendâ Legato. l.4. c.4. n.21. & 22. p.24.
- Intemperantia* conviviorum nec Principi, nec publicæ rei salutaris. lib.6. c.3. n.16. p.343. 344.
- Interesse* privatum distrahit foedera. lib.5. c.9. n.5. p.252.
- Invisus* Legatus parum operatur. l.4. c.3. n.18. p.61.
- Invisum* vel gratum quid faciat legatum. ibid. p.61.
- Iosephus* Ægypti Prorex quomodo ærarium Pharaonis auxit. l.6. c.7. n.2. p.369. 370.
- Fugurtha* dolosæ Legationes. lib.4. c.2. n.6. p.38.
- Fulii Casaris* thesaurus. l.6. c.3. num.6. p.339.
- Fus* territorij sive supremi Dominij in Gallia incommunicabile est. l.6. c.13. n.3. p.426.
- Fus* Talonis inter Principes. l.4. c.2. n.10. p.41. 42.
- L.**
- L** *Andragvii* quatuor Imperij. l.4. c.6. n.46. p.129. 130.
- Legationes* potius prorogandæ, quàm mutandæ sive gravi causâ. lib.4. c.1. n.32. 33. p.26. 27.
- Legationis* omnis septem qualitates. lib.4. c.1. n.35. p.27.
- Legationis* omnem felicitatem attribuit Legatus Principi. l.4. c.3. n.29. p.69. Cardinalis Richelii de hac sensus. l.4. c.3. n.3. p.69. 70.
- Legatione* expletâ quid Legato incumbat. lib.4. cap.4. num. ult. per totum. pag.75.
- Legationis* limites egredi periculosum. l.4. c.3. n.28. p.68.
- Legationes* ordinariæ, & extraordinariæ, ita etiam Legati. lib.4. cap.1. num.2. pag.6.
- Legationes* omnes sunt vel negotij, vel officij, vel honoris causa. l.4. c.1. n.16. & seqq. p.19.
- Legati* definitio. lib.4. cap.1. num.1. pag.1.
- Legati* dignitas. lib.4. cap.2. num.2. pag.32. Olim munus Angelorum & Deorum. ibid.
- Legati* nomen, quomodo accipiat in recessibus Imperij. l.4. cap.5. num.2. pag.79.
- Legatus* an deperdat avitos titulos per functionem Legationis. l.4. c.1. n.9. p.14. 15. seqq.
- Legatum* quæ scire oportet. l.4. c.6. & 7. per totum. p.87. seqq.
- Legatus* per sit negotiis non supra. l.4. c.1. n.22. p.20. possunt etiam esse de mediâ classe homines, si domi ministri sint de primâ. l.4. c.1. n.23. p.21. non secus. n.24. p.21.
- Legatus* debet callere materiam præcedentiarum. l.4. c.6. n.6. p.90.
- Legato* prudentiâ optimâ sive maximâ opus. l.4. c.1. n.25. p.22.
- (M m m) *Legatus*

INDEX

- Legatus* ne sit in odio illius gentis, quo mittitur. l.4.c.1.n.27.p.23. Imò gratus & acceptus mittendus. lib.4. c.1. n.28.p.23. Linguâ ibid. genio. n.29. p.23.24.
- Legatus* hostilia movens. l.4. c.2. n.14. pag.48.
- Legato* dotes sunt potius externæ quàm internæ. l.4.c.1.n.30.p.24. genus, forma, fama, n.31. p.25.
- Legatus* ne sit anceps in negotiando. l.4. cap.3.n.6.p.55.
- Legato* reflexiones necessariæ. l.4. c.2. n.10.p.41.42.43.44.45. seqq.
- Legato* fide magnâ opus est in suum Principem. lib.4. cap.3. n.15. p.59.
- Legatus* in rebus ambiguus & difficilibus simulatione & dissimulatione se obtegit. lib.4. cap.3. num.17. pag.60.61.
- Legati* cautela. lib.4. cap.3. num.21. pag.64.
- Legati* qualis oratio seu sermo cum Principe, ad quem missus est. lib.4. cap.3.n.26. p.66.67. item c.4. n.7. pag.71.
- Legatus* sit semper paratus ad tractandum. l.4.c.3.n.27.p.67.
- Legato* rimanda & penetranda omnia. l.4.c.3.n.23.p.64.65.
- Legatus* difficulter negotiatur inter Principes nimium effervescentes. l.4.c.3.n.27.p.67.68.
- Legati* quomodo tractandi. l.4. c.2. per totum. p.28. seqq. Suscipiendi, non facile recusandi. l.4.c.2. n.1. pag.28. 29. honorificè excipiendi. lib.4. cap.2. num.2. pag.32. seqq. sedulo observandi. num. 3. & 4. pag.36. seqq.
- an instructi. num.5. pag.37. ne dolerant. num. 6. & 7. p.38.39. non violandi. n.8. p.39. citò dimittendi. n.11. p.46. seqq. astu aliquando distinendi. num.12. p.47. Exempla hujus. ibid. p.48. seqq.
- Legatorum* immunitas asyularis quousque extenditur. l.4.c.2. num. 15. p.51. seqq.
- Legati* quando puniendi. l.4.c.2.n.14. p.48.49.
- Legatum* qualem esse oportet inscribendo. lib.4. c.4. n.18.19. & seqq. pag.74.75. seqq.
- Legatus* qualis in congressu cum Principe. l.4.c.4. num.24.25. & 29. pag.75.76.
- Legati* insolentes. lib.4. c.2. num.10. p.41.42.43.
- Legato* quomodo agendum cum malè contentis. l.4.c.4.n.28.p.75.
- Legatus* nemo est, nisi missus à Principe absoluto. l.4.c.1. num.2.p.5. reliqui agentes. ibid.
- Legati* Ecclesiastici qui? lib.4. c.1.n.3. pag.10.
- Legati* nati. lib.4. cap.1. num.4. p.11. à latere. n.5.p.11.
- Nuntii Apostolici*. lib.4. c.1. num.6. p.12.
- Legati* etiam Religiosi. lib.4. c.1. n.8. p.12.13.
- Legati* qualescunque sint, modò aptissimi. lib.4. cap.1. num.9.10.12.p.14. 15.16.17.
- Legati* qualiter suscipiendi. l.1.c.1.n.13. 14.15.p.18.
- Legatorum* publica securitas consistit in tribus. lib.4. cap.2. num.9. pag.

INDEX.

- pag. 41. quæ illa? *ibid.* num. 10. pag. 41. 42.
- Legati* Electorum & Principum sedent postremi post Principes præsentés. l. 4. c. 6. num. 29. p. 110.
- Legatorum* Electoralium ordo in equitando. l. 4. c. 6. n. 30. 31. 32. pag. 111. 112. 113.
- Legati* Ducis Burgundiæ Sessionem prætentunt præ Electoribus. lib. 4. c. 6. n. 35. p. 114.
- Legati* Archiducum Austriæ & Burgundiæ præcedunt in sessione omnes Principes etiam præsentés. l. 4. c. 6. n. 45. p. 127.
- Legato* Principis Teutonici id negatum. *ibid.* p. 128.
- Legatorum* Pontificiorum quis in Galliâ Respectus. lib. 4. c. 6. num. 49. p. 134.
- Legati* septem numero, Romanus, Carthaginensis, Siculus, Atheniensis, Rodianus, Lacedæmonius, Sicionius, singuli eorum tria protulere, quæ firmant eorum Rempublicam. l. 6. c. 10. n. 15. p. 408. 409.
- Leges* Tauri l. 4. c. 7. n. 25. p. 168. seq. sublata per pactum gentilitium inter Principes Austriacos Hispanos & Germanos. *ibid.* Olim lata in Odium Legis Salicæ. *ibid.*
- Lis* præcedentiæ maxima inter Hispanos & Gallos. l. 4. c. 6. n. 49. pag. 134. quomodo à Pontifice decisa. *ibid.*
- Lis* inter Hispaniæ & Angliæ Legatos. lib. 4. c. 6. n. 49. p. 136. Item inter Poloniæ & Portugalliæ p. 236.
- Lis* de Præcedentiâ inter Patriarcham Constantinopolitanum & Romanum Pontificem. lib. 4. c. 6. n. 7. pag. 91.
- Lis* alia Pontificis cum Friderico I. Imperatore, cujus præferendum nomen in scribendis literis l. 4. c. 6. n. 8. p. 92. eorum similitates & dicteria. *ibid.*
- Lis* ejusdem circa Sessionem cum Imperatore, qui illi succubuit. l. 4. c. 6. n. 9. p. 93. 94.
- Lis* præcedentiæ Imperatoris Occidentalis cum Orientali l. 4. c. 6. n. 10. p. 94. Ejus Legati cum Legatis Regis Galliæ. *ibid.*
- Lis* præcedentiæ inter Electorem Saxoniam & Principem Juliacensem lib. 4. c. 6. n. 44. p. 125.
- Lis* præcedentiæ inter Austriacos & Archiepiscopum Salisburgensem composita lib. 4. cap. 6. num. 45. pag. 127.
- Lis* præcedentiæ inter Ecclesiasticos Principes lib. 4. cap. 6. num. 45. pag. 127. 128.
- Lis* præcedentiæ inter Bavarum & Palatinos omnes, ac etiam Saxones l. 4. c. 6. n. 47. p. 130. quomodo composita? *ibid.*
- Lis* præcedentiæ inter Altenburgenses & Vimarienses Saxoniam Principes l. 4. c. 6. n. 47. p. 131. 132.
- Lis* præcedentiæ inter Aquisgranum & Coloniam lib. 6. c. 6. n. 47. p. 132. alternant Lubeca & Argentina *ibid.* cui ex illis directorium competit. *ibid.*
- Lites* de Præcedentiâ raro terminantur definitivè & in Comitibus Imperii l. 4.

INDEX.

- e. 6. n. 54. p. 139. 140. Idem nunquam finis altercationum. *ibid.* Sedantur attamen ad tempus & quomodo? *ibid.*
- Lotharingia* Dux præterdit Comitatum Sareverdanum & Regnum Jerosolymitanum. l. 4. c. 7. n. 35. pag. 178.
- Lucrum* ex Moneta auget ærarium Principis. l. 6. c. 7. n. 17. p. 376.
- Ludovicus XIII.* Rex Franciæ quantum ex unicâ inquisitione Ærarii Præfectorum multæ habuit. lib. 6. c. 6. n. 4. p. 335.
- Ludovici S.* monitum testamentarium de tributis l. 6. c. 6. n. 8. p. 358.
- Lusitania* Rex quantos habeat thesauros ex Colonis in novum orbem emisit. l. 6. c. 4. n. 6. p. 347.
- M.*
- Machiavelli* in Christianam Religionem injuria l. 4. c. 6. num. 2. pag. 88.
- Machiavellus* negat pecuniam esse nervum Belli, sed malè. l. 6. c. 3. n. 4. pag. 338.
- Magni* principes rarò sine tertii periculo vincere possunt. l. 5. c. 13. n. 1. p. 271. 272.
- Majestatis* Regiæ plenitudo relucet ex Jure divino. l. 6. c. 8. n. 1. p. 378.
- Mandata* Principis non licet egredi l. 4. c. 3. n. 28. p. 68. nec per excessum, nec per defectum. l. 4. c. 3. n. 28. p. 68.
- Marchiones* sunt 4. Imperii. l. 4. c. 6. n. 46. p. 130.
- Maria* quæ sunt in mundo? l. 4. c. 7. n. 39. pag. 181. quo illa pertinent? n. 40. p. 181. 182.
- Mari*, quod naturâ omnibus patet, servitus privatâ lege imponi non potest. l. 4. c. 7. n. 62. p. 193.
- Maximiliani* Imperatoris carcer Bruggensis. l. 4. c. 7. n. 25. p. 167. 168.
- Maximilianus* Baviaræ Dux quales ærario præficiendos rebatur? lib. 6. c. 2. n. 5. p. 335.
- Maximiliani* Cæsaris thesura: Tene mensuram, & respice finem l. 6. c. 3. n. 18. p. 344.
- Mediocritas* stabilit felicitatem status. l. 6. c. 10. n. 12. p.
- Meliori* adhærendum inter pares Potentiâ l. 5. c. 20. n. 4. p. 306.
- Mercedem* merentur & præmium Legati confectâ legatione. l. 4. c. 4. n. ult. ad finem. p. 78.
- Metallifodina* implent ærarium lib. 6. c. 7. n. 14. p. 374. Has supplet gabella Salis in Galliâ. *ibid.*
- Metus* prudens sibi providet de fœderibus & sociis. l. 5. cap. 3. num. 3. pag. 208.
- Ministri* circa augmenta Status ad tria advertant. l. 6. c. 9. n. 14. p. 393.
- Minor* potentia exæquare potest majorem ex aliis causis. lib. 5. c. 20. n. 5. p. 306. 307.
- Minores* Principes necessariò se inter duos potentes uni conjungere debent. l. 5. c. 20. n. 7. p. 307.
- Modus* sancienti fœdera l. 5. c. 10. n. 8. p. 256. 260. fit clarus, non ambiguus, non dolosus, & dubiæ interpretationi expositus, quod sæpè factum exemplis ostenditur. *ibid.*

INDEX.

Modi varii, boni & mali augendi avarium. l. 6. c. 7. n. 3. 4. 5. 6. 7. pag. 370. seqq.

Modus cumulandæ pecuniæ sit honestus, licitus, & non quem adulatores & suffrones præsertim externi, Principi suggerant. lib. 6. c. 7. n. 8. pag. 372.

Moguntini Electoris sedes in Curiâ Imperiali. l. 4. c. 6. n. 23. p. 105.

Moneta requisita l. 6. cap. 1. num. 3. pag. 330.

Moneta valor ex Principis voluntate. ibid. p. 331. sed non in perniciem publicam. ibid.

Moneta levitas ex necessitate sæpè introducta l. 6. c. 1. n. 5. p. 332.

Moneta degradatio, aut reformatio turbat Rempublicam. l. 6. c. 1. num. 5. p. 332. Quid observandum in eâ Principi. l. 6. c. 1. n. 6. p. 332.

Moneta Angliæ l. 6. c. 12. n. 4. p. 419. dicta Libræ Sterlingorum. ibid. unde sic dicta. ibid. ejus valor. ibid. Privatorum in Anglia opes pecuniariæ ingentes. n. 5. p. 419. 420.

Monita ad Legatum. l. 4. c. 3. per totum. p. 53. seqq.

Morbis comparata negotia Politica. l. 4. c. 3. n. 27. p. 67.

N.

Navigatio marium libera est. lib. 4. c. 7. n. 50. p. 186.

Navigatio in mari nihil Juris evincit. l. 4. c. 7. n. 56. p. 188. 189.

Navigatione solâ non præscribitur mare. l. 4. c. 7. n. 60. p. 192. nec consuetudine n. 61. p. 193.

Necessitas impellit ad subeundam clientelam. l. 5. c. 21. n. 5. p. 312.

Necessitas publica valdè excusat l. 6. c. 8. n. 1. & 12. pag.

Negotia minus Principalia Legationis. l. 4. n. 17. pag. 73.

Negotiatio, quâ invehitur annona, & abundantia cæterarum rerum ad sublevandum à caritate civem, maximè ad Reges spectat. l. 6. c. 5. n. 6. pag. 350.

Negotiationis usus aliquando etiam Regibus competit. l. 6. c. 5. n. 4. p. 347. exemplo aliorum. ibid.

Negotiandum quomodo Legato cum Principe, ad quem missus? l. 4. c. 4. n. 11. 12. & seqq. p. 72.

Ne quid nimis, Adagium Augusti Cæsaris. l. 6. c. 3. n. 13. p. 342.

Neutralitas l. 5. c. 11. per totum. pag. 262. seqq. quid illa? n. 1. p. 262. non est licita vel libera apud subditos & Clientes. ibid.

Neutralitatis causæ l. 5. c. 11. num. 2. p. 263. Quies & Pax exemplo Ducis Megapolitani. ibid. Sanguinis conjunctio, exemplo Ducis Sabaudiaë n. 3. p. 264. accepta beneficia, munerata ut Ludovicus XII. & Ferdinandus Arragonius. l. 5. c. 11. num. 4. p. 264. 265. pacta intermedia n. 5. p. 265. quorum exempla. ibid. quæ fortissima sunt causa. n. 6. p. 265. Metus & aliæ. n. 7. p. 266. per totum cum exemplis ibid. p. 267.

Neutralitatis Commoda l. 5. cap. 12. per totum. p. 267. seqq. *Authoritas* n. 1. ibid. *Conservatio Status*. n. 2. p. 268. 269. *amicitia*. n. 3. p. 269.

I N D E X.

- O*ccasio proficiendi. n. 4. p. 269. 270. Item fœderandi exemplo Helvetiorum n. 5. p. 270. Æquilibrium politicum Potentiorum. numer. 6. pag. 271.
- Neutralitatis* incommoda l. 5. cap. 13. per totum p. 271. quia medii pessimo sunt loco, inuisi amicis & hostibus. l. 5. c. 13. n. 1. p. 271.
- Neutrales* communiter præmium sunt Victoris. l. 5. c. 13. n. 2. p. 272. media via nulla est inter belligerantes n. 3. p. 273. exempla ibid. & n. 4. p. 273. 274. sufferre debent ab utroque belligerantium, eorumque fœderatis omnia fermè incommoda belli n. 5. pag. 275.
- Neutrales* multi decepti. l. 5. cap. 14. n. 1. p. 277.
- Neutrales* illi veri sunt, qui dissidentes conciliant, non concitant. l. 5. c. 14. n. 6. p. 280. 281.
- Neutrales* esse oportet paratos in omnem eventum. l. 5. c. 14. n. 7. p. 282. Idè belligerantibus suspecti, ne unam vel alteram amplectantur. n. 8. pag. 282. ut Jacobus Rex Scotiae contra Angliam. p. 282.
- Neutralitas* in bello civili l. 5. c. 15. per totum. p. 283. 284. De ea Solonis Lex l. 5. c. 15. n. 1. p. 283. Refellitur à Plutarcho. n. 2. p. 283. 284. Solonis tamen subsistit. n. 3. p. 284. Temperamentum hujus ex Lipsio. n. 4. p. 284.
- Neutralitas* in publicâ patriæ necessitate viciosa est. l. 5. c. 15. num. 6. pag. 286.
- Neutralium* semper pejor est conditio, quàm partialium, nisi illi præpotentes sint. lib. 5. cap. 18. numer. 2. pag. 295.
- Nobilitas* Imperii immediata non est Status, licet diu litigaverit de Præcedentia cum Civitatibus liberis. l. 4. c. 6. n. 47. & 48. p. 131. 132.
- Nobilitas* non eximitur à Tributis extraordinariis, licet aliàs exempta sit ab Ordinariis lib. 4. cap. 6. n. 15. p. 362.
- Nosse* causas alienæ ruinæ documentum est propriæ cautelæ l. 6. c. 10. n. 1. p. 398.

O.

- O*Barati infames sunt apud Persas l. 6. c. 11. n. 1. p. 410.
- O*baratorum misera conditio describitur l. 6. c. 11. n. 2. p. 410.
- Observanda* distinctio circa communia, que occupari possunt vel non l. 4. c. 7. n. 57. p. 189. 190.
- Observationes* particulares legati. lib. 4. c. 4. per tot. p. 70. seqq.
- Observanda* in paciscendis fœderibus lib. 6. c. 10. per tot. pag.
- O*ccasio & opportunitas Legato quærenda l. 4. c. 3. n. 20. p. 63. c. 4. n. 8. pag. 72.
- O*ccasioni quomodo insistendum. l. 4. c. 4. n. 9. p. 72.
- O*ctavius Fronto & Hatterius parsimoniam svaserunt Tiberio ob necessitatem publicam lib. 6. cap. 8. num. 7. pag. 381.
- O*diosa moderatè referenda à Legato l. 4. c. 4. n. 3. p. 71.

I N D E X.

- Oeconomia* Principum. l. 6. c. 12. n. 1.
p. 418. 419.
- Officiales* principalium aulae devincien-
di à Legato. lib. 4. cap. 4. num. 6.
pag. 71.
- Officiorum* mercatus in Galliâ à Thua-
no improbatus. l. 6. c. 13. n. 13.
per totum p. 431.
- Opes* publicæ tamdiu crescunt, quam-
diu privatæ vigent. l. 6. cap. 3. n. 8.
p. 339. 340.
- Opem* pecuniariam tulerunt Ferdinan-
do II. in necessitate publicâ Prin-
ceps Eggenbergius, Cardinalis Diet-
richsteinus &c. l. 6. c. 6. num. 15.
p. 362. Romanorum exemplo. c. 6.
n. 16. p. 362. 363.
- Oratio* Hispaniæ Legati apud Venetos
contra incrementa Gallorum poten-
tiæ. lib. 5. c. 3. num. 5. pag. 209.
- Oratio* Fulconis Episcopi contra Caro-
lum III. Nortmannorum foedus am-
plectentem. lib. 5. cap. 6. n. 3. pag.
232.
- Ordo* graduum est de omni Jure. l. 4. c.
6. n. 3. p. 88. 89.
- Origo* foederis. lib. 5. cap. 1. num. 1. pag.
196.
- P.**
- P***Acis* tempore instruendum ærarium.
lib. 6. cap. 3. num. 5. p. 338.
- Pactum* gentilitium inter utramque
domum Austriacam, quâ Germanam,
quâ Hispanam. l. 4. c. 7. n. 25. p. 168.
deducitur illud & explicatur. ibid.
n. 28. 29. & seqq. p. 172. 173.
- Pacti* gentilitii effectus duo. l. 4. c. 7. n.
32. 33. pag. 176. 177. seqq.
- Pacta* gentilitia inter Principes domos
solita. l. 4. c. 7. num. 31. p. 176.
- Pacta* gentilitia vim successionis obti-
nent. l. 4. c. 7. n. 29. p. 174.
- Pactum* cum Noë. l. 5. c. 1. n. 1. pag. 196.
inter Deum & populum Israëliticum.
lib. 5. c. 1. n. 2. p. 197.
- Palatinus* Octavus Elector. lib. 4. c. 6. n.
23. pag. 105. seqq. Palatinus Rheni
est Vicarius Imperii. l. 4. c. 6. n. 42.
pag. 122. An Judex Cæsaris & quo-
modo? cap. eodem. num. 43. pag.
123.
- Papa* prætendit Regna Neapolis, utri-
usque Siciliæ, Arragoniæ, Sardinia,
Jerusalem, Angliæ, Hiberniæ & Hun-
gariæ. l. 4. c. 7. n. 4. & seqq. p. 144.
quare? ibid.
- Papa* quale Jus prætendat in Imperia?
lib. 4. c. 7. n. 8. p. 145. Ejus funda-
menta. ibid. moderatio eorundem.
ibid.
- Papa* prætensio universalis. lib. 4. c. 7.
num. 8. ad finem. pag. 145. 146.
- Parfimonia* principis auget ærarium.
l. 6. c. 3. n. 13. p. 341. 342. ad parfimonia-
m quid spectat. lib. 6. c. 3. n.
14. p. 342.
- Parfimoniam* tria impugnant. lib. 6. c.
13. num. 14. p. 342. 343.
- Parfimonia* in quo consistit. ibid. ad fi-
nem. p. 342. 343.
- Parfimonia* excludit avaritiam. l. 4. c. 3.
n. 15. p. 343.
- Parfimonia* & avaritiæ antithesis: item
illius laus. ibid.

INDEX.

- Parfimonia* Principis sicut Republicæ utilis, ita prodigalitas exosa est. l. 6. c. 3. num. 18. pag. 344. 345.
- Partialitas* aliquando necessaria est. l. 5. pag. 17. per tot. pag. 292. seqq.
- Partialitatis* commoda & incommoda. l. 5. c. 18. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. pag. 294. 295. 296. 297.
- Partiales* aliorum Principum arma in se convertunt. lib. 5. cap. 18. n. 5. pag. 297. pluribus se bellis implicant. c. 18. n. 6. pag. 298.
- Patrimonii* tantum partem negavit Parliamentum Regi Galliæ, licet obærato, abalienare. l. 6. c. 13. num. 16. p. 433.
- Patrocinium* aliorum non facile à Legato suscipiendum. l. 4. c. 4. n. 26. & seqq. pag. 75. quorundam nullo modo. ibid. & pag. seqq.
- Pauleta* apud Gallos quid, & quæ ejus Origo. lib. 6. cap. 13. num. 12. pag. 430. 431.
- Paulus V.* interdixit Venetos. l. 4. c. 7. n. 3. p. 143. quare? ibid.
- Peculatus.* lib. 6. c. 2. per tot. pag. 333. seqq. puniendus. n. 1. p. 333. sed melior in hoc domus Austriaca cum suo damno. ib. pag. 334. Quid peculatus? ibid. multoties in Franciâ severè punitus. lib. 6. cap. eod. num. 2. p. 330.
- Pecunia* omnia corrumpit. lib. 4. c. 3. n. 25. pag. 66.
- Pecunia* tardè corraditur, ubi hostis præ foribus, & turbato jam rerum statu. lib. 6. cap. 3. num. 3. pag. 337.
- Peritia* rerum maxima exigitur in Legato. lib. 4. cap. 7. num. 1. pag. 141. 142. unde hanc habere possit. ibid.
- Perfarum* fœdus subdolum cum Spartanis. lib. 5. cap. 10. num. 2. p. 256. 257.
- Perfa* & Turcæ quales æratio præficiunt. lib. 6. cap. 2. num. 5. p. 335. 336.
- Philippus IV.* Regno Portugalliæ privatus. lib. 4. cap. 7. n. 19. pag. 160. 161.
- Philippi* Macedonis responsum ad Legatum Romanorum. lib. 4. cap. 2. n. 10. p. 44.
- Philippi* Mediolanensis astus in Florentinos. l. 4. c. 2. n. 6. p. 39.
- Philippus II.* cum quibus svasit filio inire fœdera. l. 5. cap. 5. num. 1. pag. 221. 222.
- Pictura* imaginis Lotharii Imp. Super scriptis Romæ. l. 4. c. 6. n. 11. pag. 95.
- Pirri* Regis dialogus cum Cineâ Philosopho. lib. 4. cap. 7. num. 19. pag. 142.
- Pœna* ob offensum Legatum. lib. 4. c. 2. num. 10. p. 41. 42.
- Pœna* in fœdifragos. l. 5. c. 1. num. 4. p. 198.
- Polonorum* Lex de Legatis. l. 4. c. 5. num. 10. p. 85.
- Pontificis* consilium datum Hispaniæ Legato ad evitandam competentiam cum Legatis Galliæ. lib. 4. c. 6. n. 49. p. 134.
- Pontifices* imparciales coluntur ab omnibus.

INDEX.

- bus. lib. 5. cap. 12. num. 1. ad fin. p. 268.
- Populi* lachrymæ propter tributa. l. 6. c. 6. n. 3. pag. 355.
- Potentis* Principes debilioribus impetare se debere existimant. lib. 5. c. 10. num. 3. pag. 257. seqq.
- Potentis* rarè imbecillioribus frustrà assistunt. lib. 5. cap. 18. num. 3. pag. 296.
- Potentibus* idem est à neutris stare, sive ire in partes. lib. 5. cap. 20. num. 6. pag. 307.
- Potentia* vicinæ nimium crescenti syncretismo obviandum. l. 5. c. 16. n. 3. pag. 288.
- Potentia* an præcedentiam inferat. l. 4. c. 6. n. 50. p. 137.
- Potentia* an Jus tribuat mittendi Legatos. lib. 4. cap. 5. num. 7. pag. 82.
- Potestatem* majorem habens præcedit. lib. 4. cap. 6. num. 52. pag. 138. 139.
- Præcedentia* lis in Collegio Christi. l. 4. c. 6. num. 6. p. 91.
- Præcedentiam* tueri non prohibitum est Christianis sine derogatione humilitatis. lib. 4. c. 6. n. 3. pag. 88. 89.
- Præcedentia* Jus duplex, & quale? lib. 4. c. 6. n. 33. p. 113.
- Præcedentia* immediatorum ante mediatos. lib. 4. cap. 6. num. 34. pag. 114.
- Præsentiones* in mare, præsertim Oceanum. lib. 4. cap. 7. num. 38. & seq. pag. 180. 181.
- Præsentiones* in Ducatum Juliensem, Clivensem & Bergensem. l. 4. cap. 7. n. 36. pag. 178.
- Præsentio* Regis Daniæ in Hamburgum. Item Angliæ in Regnum Franciæ, in mare Balticum. lib. 4. cap. 7. num. 37. pag. 179. 180.
- Principatus* miseriæ. lib. 6. c. 1. n. 2. p. 529. & 530.
- Principes* eligant Legatos rei negociandæ capaces. lib. 4. c. 1. num. 26. p. 22. 23.
- Princeps* ipse Legatos audiat. l. 4. c. 2. num. 2. p. 32. 33.
- Principes* Præcedentiam manteneant. lib. 4. cap. 6. num. 2. pag. 87. 88.
- Principis* solius est Legatos constituere. lib. 4. cap. 1. num. 11. pag. 17. 18.
- Principi* quid agendum, cum se partialem declaravit. lib. 5. c. 20. n. 10. p. 310.
- Principibus* mediis inter duos belligerantes quid statuendum. lib. 5. cap. 10. n. 3. pag. 257. 258.
- Principi* quid observandum cum de neutralitate deliberat. l. 5. c. 14. n. 1. pag. 277. 278.
- Principi* quid observandum cum se neutralem declarat? lib. 5. c. 14. per totum. p. 277. & seqq.
- Princeps* neutralis inter duos belligerantes utrumque sibi devinciat, ostensis causis legitimis suæ neutralitatis. l. 5. c. 14. num. 2. p. n. 278. neutri plus faveat. l. 5. c. 14. n. 4. p. 279. Neutralitatis Leges ad un-

I N D E X.

- gvem observat. lib. 5. c. 14. n. 3. p. 278.
- Princeps* in Belli societatem requisitus cliu deliberet, & responsa suspendat. l. 5. c. 19. n. 1. 2. p. 299. 300. Justitiam Belli expendat. num. 3. pag. 300. perspiciat an vicini sui in partes iverint. num. 4. p. 301. 302. Mediatorem se prius offerat. num. 5. p. 301. 302. 303. Vires suas ponderet. n. 6. p. 302. 303. alia plura. ib. p. 304. 305.
- Principi* cui adhærendum? l. 5. c. 20. n. 1. & 23. p. 305. 306.
- Principibus* & Statibus Imperii licent Confœderationes ex Auræ Bullâ. lib. 5. cap. 4. num. 4. pag. 217. sed quâ restrictione? ibid. & num. 5. 6. 217. 218.
- Principum* Protestantium fœdus legitimum non facit secundum Auræ Bullam. lib. 5. cap. 4. num. 7. 8. p. 218. 219.
- Principi* diu deliberandum est antequam fœdus aliquod ineat. l. 5. c. 5. n. 1. p. 221. item n. 16. p. 231. propter periculum, quod fœderibus sublatet. ibid.
- Princeps* fermè ad sex admittere debet, cum fœdus init. l. 5. c. 5. n. 3. p. 223. ad potentiam fœderati. ibid. & num. 4. 5. 6. p. 223. 224. ad ingenium. n. 7. 8. p. 225. 226. ad viciniam. n. 9. p. 226. ad fœderatorum Regimen. n. 10. n. 11. p. 227. ad conditiones fœderum. num. 12. p. 228. 229. ad Religionem. num. 13, 14. pag. 229. 230.
- Princeps* dignoscitur ex monetis. lib. 6. c. 1. n. 4. p. 331.
- Princeps* egenus gravis est subditis. lib. 1. cap. 3. num. 3. p. 337.
- Principes* dum aliena aucupantur, depidunt propria. lib. 6. cap. 9. n. 21. p. 396. exempla. ib. 397.
- Principi* ad quid advertendum circa commercia. lib. 6. cap. 5. num. 11. p. 352.
- Princeps* ne sinat crudam materiam ex Regno exportari, sed elaboratam. l. 6. c. 9. n. 2. p. 385.
- Principes* caveant, ne sub specie tributi prædas & rapinas exerçant. l. 6. c. 6. n. 8. p. 357. 358.
- Princeps* obætatus. lib. 6. c. 11. n. 1. & seq. p. 410. cum principe periclitatur semper Respublica. l. 6. c. 11. n. 4. p. 411.
- Princeps* obætatus nihil magni agere audeat nec potest. lib. 6. c. 8. n. 6. p. 380.
- Princeps* antequam se obstringat ari alieno, cogitet jam tunc, determinetque hoc illo modo solvendi. l. 6. c. 11. n. 14. p. 418.
- Princeps* ille felix est, qui non indiget fœderibus. l. 5. c. 5. n. 15. p. 230. 231. plus unus potest mediocri potentia, quàm multi imbecilles simul. lib. 5. c. 5. n. 16. p. 231.
- Principi* quæ cum vicinis fœdera? l. 5. c. 8. per totum. p. 243. seqq.
- Principes* etiam potentissimi fœdera tamen contrahunt. lib. 5. c. 8. n. 3. 4. p. 244. 245.
- Principes* vicinorum & præsertim fœdera-

INDEX.

- deratorum pacem procurent & fo-
veant. lib. 5. c. 8. num. 9. & 11. pag.
248. 249.
- Principibus* nunquam prætextus defunt
rumpendi fœdera, vel frangendi fi-
dem. l. 5. c. 9. num. 1. p. 249. 250.
cujus causa sunt ipsi vel hostes, con-
tra quos initum est fœdus. l. 5. c. 9.
num. 2. & 7. vel ipsorum fœderato-
rum æmulatio, diffidentia, suspicio.
pag. 250. & 254.
- Privata* omnia seponi debent à fœde-
ratis. lib. 5. cap. 10. num. 2. pag.
256.
- Problema*, an magis expediat per Mini-
stros exigere vectigalia & Collectas:
an vendere & elocare fœneratori-
bus. lib. 6. cap. 7. num. 14. pag.
375.
- Prodigalitas* Principum exhaurit æraria.
l. 6. c. 3. n. 7. pag. 339. item bellandi
libido. ibid.
- Prodigi* Principes in Symposiis & bel-
luationibus recensentur. lib. 6. c. 3. n.
16. pag. 343. item in largitionibus
nimii. lib. 6. cap. 3. num. 17. pag.
344.
- Promissa* Legati qualia esse debent lib.
4. cap. 3. n. 19. pag. 62. 63.
- Propositiones* sex verissimæ circa con-
federationes cum externis Princi-
pibus. lib. 5. cap. 4. num. 12. pag.
220. 221.
- Protectio* politica. lib. 5. cap. 22. per to-
tum pag. 318. seqq. Proxima est Ma-
jestati. num. 1. p. 318. Ejus duo emo-
lumenta. n. 1. & 2. pag. 319. est arca-
num usurpationis nunc & olim. n.
3. ibid.
- Protectionis* tria vitia. lib. 5. c. 22. pag.
319. Imbecillitas protectoris. num.
4. p. 319. 320. violata à protectore
fides. n. 7. pag. 320. 321. Usurpationis
clientelæ. n. 8. pag. 321.
- Protectio* Romana, Ottomannica, Galli-
ca. l. 6. c. 9. num. 18. p. 396.
- Protector* reddere debet pignus vel de-
positum à Cliente acceptum finito
bello vel fœdere. lib. 5. cap. 22. n. 7.
p. 320. 321.
- Protestatio* Regis Hispaniæ contra Le-
gatos Hollandiæ apud Angliæ Re-
gem. l. 4. c. 1. num. 2. p. 5.
- Providendum* omnibus ex æquo fociis,
sive in conficienda pace, sive in con-
trahendis fœderibus. l. 5. cap. 10. n.
4. p. 258.
- Provinciarum* cooptationes & Confœ-
derationes sunt periculosæ Principi-
bus. lib. 5. c. 2. num. 4. p. 202. 203.
Exemplo olim Silesiæ. ibid. impe-
diendæ magis, quàm promovendæ.
lib. 5. n. 5. p. 203.
- Prudentia* consistit in medio. l. 4. c. 4. n.
pag. 73. hæc Legato necessaria. lib. 4.
cap. 3. n. 5. p. 54. 55. sine temeritate.
n. 6. & 7. pag. 55. 56. ejus vitia. n. 8.
p. 56. 57.
- Prudentia* Munus in Legato. lib. 4. c. 3.
num. 9. 10. p. 56. 57.
- Prudentia* absque fide nihil est. l. 4. c.
3. n. 12. p. 57. seqq.

R.

Reges, qui Ecclesiæ Vasalli non
sunt, nullâ obligatione, sed solius
(N n n) 2 decen-

I N D E X.

- dacentiæ & reverentiæ causâ tenentur Legationem officiosam mittere ad Neo Electum Pontificem.* lib. 4. cap. 1. n. 21. pag. 20. 21. quid Galliæ Legatis in tali casu dixerit? *ibid.*
- Regum Franciæ Præensiones in Regnum Castiliæ, Portugalliæ, Arragoniæ.* l. 4. c. 7. num. 10 p. 154. item in Regnum Neapolitanum ex triplici causâ. lib. 4. cap. 7. n. 10. p. 154. in ducatum Mediolanensem n. 11. p. 154. 155. Contentio eorum pro Monarchia contra Hispanos. n. 13. p. 155. quare & quomodo? n. 14. p. 156. Effectu his ultionis temporibus valdè magno. n. 15. p. 157. Eorum prætentio post mortem Caroli. *ibid.* ex quibus rationibus. n. 16. 17. 18. p. 158. 159.
- Rex Romanorum an habeat Majestatem.* l. 4. c. 6. num. 19. p. 101. 102. An præcedat Regem Galliæ. *ibid.* & seq. resolvitur affirmativè. n. 20. p. 102. quare? n. 21. p. 103. 104.
- Rex Bohemiæ quo loco sedeat in curiâ Imperiali.* lib. 4. cap. 6. num. 23. pag. 105.
- Regum & Rerumpublicarum res inter se, suapte naturâ pugnant.* l. 5. c. 5. n. 10. p. 227. 228.
- Regalia Officiorum Hæreditariorum in Imperio.* lib. 4. c. 6. n. 2. pag. 87. 88. Romanorum fastus. *ib.* Zelus gloriæ. *ibid.*
- Regnum duorum non est.* l. 6. c. 10. n. 14. p. 407.
- Regna suâ mole intereunt.* l. 6. cap. 9. n. 21. pag. 397. etiam aliæ causæ sunt
- particulares.* l. 6. cap. 10. n. 1. recensentur initi. pag. 398.
- Regnum Baviaræ arbitratur facilè in omnes suos vicinos, quibus par est, nisi offendat omnes.* lib. 6. c. 13. n. 1. p. 427.
- Religio potenter conjungit fœderatos.* l. 5. c. 3. num. 11. pag. 214. 215. maxime contra infideles. *ibid.*
- Religio firmat & conservat Statum.* lib. 6. c. 10. num. 3. pag. 399.
- Renovatio fœderum utilis est ad eorundem firmitatem.* l. 5. c. 10. num. 7. pag. 260.
- Romanorum insolentia in Reges externos.* l. 5. cap. 21. n. 2. pag. 313. cap. 22. num. 10. pag. 223.
- Rudolphus I. intermisit coronam Romanam & Lombardicam.* lib. 4. cap. 6. num. 17. pag. 99.

S.

- Sabando quid à Galliâ.* l. 4. cap. 7. n. 12. p. 155.
- Sabandi, ut Vicarii Imperii præensiones in Genevram.* lib. 4. cap. 7. n. 34. p. 177. in Ducatum Montferratensem, in Regnum Cypri & c. *ib.*
- Salica Lex, ejus à Gallis nimia extensio.* lib. 4. c. 7. n. 18. pag. 159. quid illa, & quo extendenda. *ibid.*
- Satomon navigavit in Indias trium annorum spatio. Id conficiunt mortales per Trimestre.* lib. 6. c. 2. n. 12. p. 352. Ejusmodi viarum compendia augent valdè commercia. *ibid.*
- Sansovini observatio circa Neutralitatem*

I N D E X.

- tēm & partialitatem. lib. 5. cap. 19. num. 7. p. 303.
- Sapientia* divina confundit humanam. lib. 4. c. 3. n. 10. p. 57.
- Saxonia* Ducis & Electoris prærogativæ. lib. 4. c. 6. num. 44. pag. 125.
- Scabellum* Regis Persarum. lib. 6. c. 3. n. 5. p. 338.
- Scipio* Africanus deceptus. lib. 4. c. 2. n. 3. p. 36.
- Seditionis* remedium opportunum. l. 5. c. 15. num. 5. 6. pag. 285. 286.
- Seditio* Aquitanix propter nimium vectigal. lib. 6. n. 10. p. 359.
- Securitati* commerciorum prospiciendum. l. 6. c. 5. n. 11. p. 352.
- Sixti* & *Henrici* quarti Gallix Regis ingentes thesauri à Successoribus exhausti. lib. 6. cap. 3. num. 9. pag. 340.
- Spartanorum* & *Atheniensium* error. lib. 6. cap. 9. num. 15. pag. 394. 395.
- Specialia* quædam advertenda in pacificendis fœderibus lib. 5. cap. 10. num. 5. pag. 258. videlicet ad necessitatem rationem particularem sui Status: ad Causæ Justitiam: ad loci opportunitatem: ad vires: ad cautiones. ibid.
- Stabilire* Statum l. 6. c. 10. per totum. p. 394. 399.
- Stabiliendi* Status modi & rationes recensentur. lib. 6. cap. eod. num. 2. 3. 4. 5. 6. 7. pag. 399. 400. 401. 402.
- Statistarum* conatus dissolvendi fœdera ut æquilibrium moneat politicum. lib. 5. c. 9. num. 7. pag. 254.
- præsertim inter domum Austriacam & Gallicam, ne alterutra præpoleat potentiâ. ibid. Id olim etiam satagebant Romani. ibidem.
- Status* sæculares Imperii l. 4. c. 6. n. 6. pag. 90.
- Status* tota firmitas duobus continetur. lib. 6. cap. 10. num. 15. pag. 407. 408.
- Status* Proportionari debent Regnantium viribus tam externis quam internis. lib. 6. c. 9. num. 13. pag. 392.
- Subditi* non se possunt alienæ protectioni subicere lib. 5. cap. 21. n. 7. p. 316. excepta necessitate extremâ. lib. 5. cap. 21. num. 8. pag. 316. cujus conditiones. num. 9. p. 317. ubi tamen duo scopuli vitandi. ibid.
- Subtilia* Ingenia lib. 4. cap. 3. num. 8. pag. 56.
- Suffusiones* omnes quocunque venerit, avellat à suo Principe. lib. 4. c. 4. n. 2. & 3. p. 71.

T.

- Taciturnitas* Legati l. 4. c. 4. n. 30. p. 76. in quibus constet. ibid.
- Tarquiniorum* Legatio ad Romanos. l. 4. c. 2. n. 14. p. 48. 49.
- Temperamentum* circa libertatem & Jurisdictionem maris, præcipuè Oceani. lib. 4. cap. 7. num. 63. pag. 194. 195.
- Tempus* Legato observandum l. 4. c. 1. n. 34. p. 27.
- Thesauri* cumulati sæpius cesserunt hosti.

INDEX.

- fili* l. 6. c. 3. n. 2. p. 337. exemplis ostenditur idipsum. *ibid.*
Tiberii thesaurus. lib. 6. c. 3. n. 6. pag. 339.
Tiridasis Oratio plusquam adulatoria ad Neronem l. 5. c. 21. num. 2. p. 13. 14.
Transgressores mandatorum puniendi l. 4. c. 3. n. 28. p. 68.
Trevirensis Elector ubi sedet l. 4. c. 6. n. 23. pag. 105. 106.
Tributa. lib. 6. cap. 6. per totum. pag. 353. 354. seqq. horum necessitas de Jure divino & gentium. num. 1. pag. 353. causas etiam alias exponit textus Juris *ibid.* tria requiruntur ad exigenda Tributa n. 2. p. 354. 355.
Tributorum exactio ad Principes absolutos pertinet. *ibid.* 354. 355. Causa illorum est salus publica. *ibid.* ne sint supra vires subditorum. *ibid.* Apposita oratio Ibrææ ad Marcum Antonium de moderando Tributo. *ibid.* p. 355.
Tributum duplicis generis. l. 6. c. 6. n. 3. p. 355. 356.
Tributa extraordinaria non nisi ex magnâ causâ imperari possunt. *ibid.* causæ enumerantur. num. 4. p. 356. constare debet de causâ quod iusta sit. *ibid.* & in eum finem, non in privatum applicanda tributa l. 6. cap. 6. num. 5. pag. 356. 357. tollenda sublata causâ. *ibid.* & n. 22. pag. 365. 366. neganda in turpi causâ. num. 6. pag. 357. præstanda ob futurum etiam periculum, quod prævidetur. num. 7. p. 357.

- Causa extraordinarii Tributi subditis aperienda. num. 8. pag. 357. 358. alios turbant facile statu. *ibid.* in fine. propterea perit Caligula n. 9. p. 359. alia Exempla Aquitanix Lusitanix, Belgarum, n. 10. p. 359. Item Filiorum & populi Israëlitici. n. 11. p. 360.
Tributa matricularia. l. 6. c. 7. n. 13. pag. 374.
Tributa ne sint rerum talium, quarum subditis copia non est. lib. 6. cap. 6. num. 12. pag. 360. aut difficulter exigi possunt. num. 13. pag. 360. 361. deinde exigantur sine respectu personarum & æqualiter. l. 6. cap. 6. num. 14. pag. 361. exemplo Cosmi Medices. *ibid.* in Tributis extraordinariis exemplo præeant Magnates & ipsi Principes. l. 6. c. 6. num. 16. 17. 18. pag. 362. 363. 364.
Tributa sub alio nomine interdum petenda l. 6. c. 6. n. 19. p. 364.
Tributa remittenda iis, qui infortunia magna passa sunt. lib. 6. cap. 6. num. 24. pag. 366. 367. exemplo multorum Imperatorum. l. 6. c. 6. n. 25. pag. 367.
Turcarum Imperatoris modus habendæ à suis præsertim Magnatibus pecuniæ lib. 6. cap. 7. num. 7. p. 371. 372.
Turcarum mos in bello suscipiendo. l. 6. c. 3. n. 3. p. 337.

V.

Vestigalia tantò periculosiora sunt, quantò certiora alimentis & necessaria-

I N D E X.

- cessariis rebus imposita. lib. 6. c. 6. n. 9. pag.
- Vestigalia* ex mercibus omnibus inveniendis l. 6. c. 7. n. 13. p. 374.
- Vestigalium* insolitum augmentum divertit commercia l. 6. c. 5. num. 9. p. 350. 351. in hoc emendavit prudenter œconomiam suam Philippus II. l. 6. c. 5. n. 10. p. 351.
- Vestigal* chartæ sigillatæ apud Hollandos inventum lib. 6. cap. 7. n. 9. pag. 373. Item Judiciarum, lib. 6. num. 10. p. 373. 374. Item Luxus publici ibid.
- Veneta* Respublica antiquior est Romanâ. l. 4. c. 6. n. 53. p. 139.
- Veneta* Respublica in se libera, inter Orientis & Occidentis Imperium insidet mari. l. 4. cap. 7. num. 41. pag. 182. quod sibi desponsat in singulos annos. n. 42. p. 182. obtinuit illud Jure Belli. n. 43. & seqq. pag. 182. seqq.
- Vetustas* Regni præcedentiam arguit. l. 4. c. 6. n. 53. p. 139.
- Vicinis* præstanda auxilia. l. 5. c. 8. n. 8. pag. 248. 249.
- Vicini* non invicem concitandi l. 5. c. 8. n. 10. p. 248. 249.
- Victoria* Caroli III. Regis Catholici. l. 5. c. 20. n. 10. p. 310.
- Unctio* & coronatio Pontificia an requiratur de essentiâ ad Imperatorem faciendum. lib. 4. cap. 6. num. 11. pag. 94.
- Unio* & Conjunctio Statuum firmat Regnum lib. 6. cap. 10. num. 4. pag. 400.
- Unio* similiter & concordia civium. l. 6. c. 10. n. 5. p. 401.
- Unitate*, non pluralitate Imperantium stabilitur Status. lib. 6. c. 10. n. 13. p. 406.
- Urbes* Osterlingæ quid? l. 5. c. 23. n. 5. p. 326.
- Usurarii* & sceneratores in necessitatibus publicis onerandi & taxandi. l. 6. c. 7. n. 11. p. 374.
- Usurpatio* alicui non est justus finis & causa fœderum l. 5. c. 3. num. 10. p. 213. 214.
- Utilitas* Legationum à S. sede ad principes Sæculares lib. 4. cap. 2. n. 7. pag. 12.
- Vulnerator* Legati Veneti. lib. 4. c. 2. n. 10. p. 42.

W.

W *Alburgici* Comites componuntur circa officium Dapiferatus l. 4. c. 5. n. 11. p. 85. 86.

F I N I S.

